ALPHONSI HUYLENBROUCQ SOCIETATIS JESU VINDICATIONES

ALTERÆ

Adversùs Famosos Libellos quàm plurimos & novam eorum Collectionem, sub Titulo TUBA MAGNA *Novum Clangens Sonum* &c. per Eruditissimum Dominum Liberium Candidum : *Argentinæ*. 1712.

EDITIO SECUNDA.

Interpositis Responsionibus ad *Tubam alteram* inter hæc Signa ✱. ✱ comprehensis.





BRUXELLIS
Ex Typographia *Antonii Claudinot* Bibliopolæ sub Signo Sancti Pauli.
MDCCXV.

Cum Facultate, & Approbatione, &c.

PRÆFATIO.

Religionis Societatis Jesu in Belgium revocatæ Institutum, Finem, & Media apud animum suum fortè versabat *Ruardus Tapperus* in Academia Lovaniensi Doctor meritò celebratus, cùm (ut autor est *Orlandinus* Societatis Historicus) affirmabat, *Nihil mirum videri, si talia profitenti Ordini, pro Satanæ odio, & invidia multi existerent adversarii. Quamquàm* (addebat) *se credere, plerosque ex inscitia adversari, moxque* VERITATE COGNITA, *studia mutaturos.* (a)

Ita planè, & ante, & post, illud tempus se res habuit. Adversarii nobis ubique fuerunt multi; adversandi causa fuit multis Satanæ instinctus, multis item invidentia. Ab utrâque passi sumus multa, & lætamur, quia post duram hyemem fertilior ager fuit, & segetes promanarunt feliciùs.

Plerosque in nos commovit Instituti nostri inscientia: *Henricus IV.* Rex Christianissimus, si quemquam de Societatis fama detrahentem audiisset, eum in hunc modum monebat. *Noris illos, eos cognitos non poteris non amare: nam simul atque te in eorum consuetudinem immiseris; & has perversas opiniones erues, & odium in studium, amoremque Convertes.* (b) Liberalius quidem hoc dictum est, sed Regiâ benevolentiâ dignum non foret, nisi merita nostra longè transcenderet.

* *Veri-*

(a) *Hist. Societatis parte 1. l. 11. n. 43. Edit. Romanæ pag. 49.* (b) *Gomez ex Annuis 1604. pag 424.*

Veritas Cognita, incredibile dictu est, quoties hominum studia erga nos immutaverit: amor, benevolentia, propugnatio, munificentia, atque in his omnibus constantia, ex hoc fonte uberrimè profluxerunt.

Cognitam habemus Societatem, inquiebat, PAULUS III. mandabat proinde Diplomate, *ut qui publicè, privatimve Societatis nomini detraxissent, ii eodem modo violatam ejus famam palinodiâ resarcirent.* [a] JULIUS III. affirmabat, *nihil de sua in Societatem benevolentia, ac pristina voluntate falsis hominum sermonibus, quibus non satis crederet, imminutum, spondens insuper nullo loco Societati se defuturum.* (b)

Apud PIUM IV. Societas multis libellis fuit accusata, tum apud *Maximilianum* Imperatorem, tum apud *Danielem* Archiepiscopum Moguntinum, & *Carolum IX.* Francorum Regem Christianissimum. Pontifex, *Cognitâ Veritate*, Societatem absolvit, commendavit, & apud alios propugnavit: apud Imperatorem & Archiepiscopum datis literis 29. & 30. Dec. 1564. apud Regem Francorum 29. Maii 1565.

His affirmavit multa. *Id agi intelleximus*, inquit, *ut pia opera, quæ per eos effici consueverunt, talibus calumniis impediantur. Re diligenter quæsitâ, compertum est, atque ita nobis renuntiatum, ea probra & crimina falsò illis & temerè ad conflandum ei Societati odium, & infamiam objecta fuisse. Diligens de iis rebus inquisitio innocentiam eorum magis patefecit, in lucemque protulit.*

Tum ad *Danielem* Archiepiscopum: *Obtrectatorum Calumniæ hoc saltem attulerunt commodi*

[a] Hist. S. p. 1. l. 8. n. 12. & 51. (b) Ibid. l. 14. n. 12.

commodi, ut quanto illi magis hujus Collegii, & Societatis universæ famam lædere voluerunt, tanto magis ipsius Collegii Innocentia vitæ, & morum honestas patefacta sit. Atque ad Regem Christianissimum. *Collegium*, ait, *Parisiense* S. I. *magnis affici cepit molestiis, & variis vexationibus impediri....id accidit nimirùm humani generis hostis instinctu, qui consuevit illis adversari.... id non laturam Majestatem tuam esse scimus, ubi edocta fuerit de ejus Societatis meritis.*

Succesit Sanctus Pius V. cujus summum Patrocinium, experta est minima nostra Societas; ac tum maximè, cum 21. Maii 1568. ad *Salentinum* Archiepiscopum Coloniensem scriberet à se *Visa* esse, quæ ad nos attinerent: *Visis*, inquit, *magnis ac variis commodis, quæ Ecclesia sancta ab hac Societate accepit, pietate, charitate, morum puritate, ac sanctæ vitæ fidelium in ea commorantium.* Post hæc pergit subjungere, *utinam plura haberet Collegia, in urbibus præcipuè Hæresum peste tactis & infectis....summopere gaudebis in dicta Civitate habere Collegium Societatis, in quo multa invenies adjumenta ad Pastoris officium laudabiliter exercendum, onusque levandum tuis humeris impositum.*

Gregorius XIII. cumulatissimè beneficia in Societatem veluti congessit, nec majora ab illo concedi, nec sperari à Societate poterant. Optimo Societatis Parente ad Superos evocato; Sixtus V. accedentem ad se Claudium Aquavivam Societatis Præpositum Generalem his verbis compellavit. *Scito ad nos scriptum*

tum, non deesse, qui Gregorio mortuo putent idoneum sibi tempus oblatum ad vestros vexandos, quibus respondimus (literas simul ad cumulum benevolentiæ exhibebat) *Nos rebus ipsis effecturos ut omnes intelligant, quantum Societatem hanc amemus, & complectamur, Novimus, vestra Societas quàm salutaris sit Ecclesiæ Dei.* Adjunxit Gregorius XIV. *Omni nobis studio curandum esse duximus, ejusmodi temerariis impugnantium præsumptionibus omnem aditum præcludere.... ut Societas Præsidio Apostolico munita..... uberiores indies fructus in agro Domini pergat proferre.* Multa de nobis delata fuerunt apud *Clementem VIII.* sed ille Patres benignè alloquens, qui ex universa Societate Romæ congregati fuerant 1600. Societatem, *Brachium Dextrum Sedis Apostolicæ appellare dignatus est.* Tanto encomio indignam se fatetur *Societas*, tenuitatis suæ sibi probè conscia, omnibus Ecclesiæ membris libenter concedens. Id tamen à *Clemente VIII.* tametsi præter meritum nostrum pronuntiatum fuisse, autor est *P. Franciscus Suarez.* Tom. 4. de Relig. lib. 1. de Instituto Societatis, c. 7. n. 5. Edit. Moguntinæ anno 1625. pag. 382.

Ill.mus *Maphæus Barberinus*, à *Clemente VIII.* missus extra ordinem Nuntius in Gallias, gratulaturus *Henrico IV.* & *Mariæ Medicææ* Regibus Christianissimis primogenitam sobolem *Ludovicum XIII.* ubi Parisios venit, cognitæ Societatis causam benevolè & potenter promovit, ac ipse Rex Christianissimus eam ipsam causam dicere voluit; dixitque enimverò poten-

potentiſſimè pridie Natalitiorum anno 1603. quo die cum Regina in Senatum deſcendit, ac primarium Præſidem contra Societatem dicentem Rex ipſe coarguit. Habita eſt eo die illa Actio, quâ nulla inſtituta eſt nomini noſtro honorifica magis, nulla theatro celebriori, nulla majore Patronò. Auditæ tunc fuerunt Regiæ illæ voces: *Obſervavi, cum de Jeſuitis reſtituendis loqui cepi, duo imprimis genera hominum reſtitiſſe, Hæreticos, & improbos Eccleſiaſticos, quod quidem acriorem mihi ſtimulum ad eos revocandos addidit. Hanc mihi gloriam Deus reſervabat (quam quidem ut gratiam cæleſtem agnoſco) nempe ut eos ſtatüam, atque omnino ſtabiliam. Sorbona eos damnavit; Sed eos non noverat.*

Paulus V. Bullam quam dedit Anno 1606. ita exorſus eſt. " Quantum Religio Societatis
„ Jeſu in Eccleſia ad Fidei, Pietatis, & Reli-
„ gionis augmentum profecerit, nos ipſi *ſci-*
„ *mus*, & Chriſtiana Reſpublica *novit* univer-
„ ſa; *Propterea illam diverſimodè perturbare,*
„ *ab incepto retardare, malis artibus humani*
„ *generis hoſtis quotidie nititur.*

Carolus à Lotharingia Epiſcopus *Verdunenſis* facultatem petierat à *Gregorio XV.* ineundæ Societatis; Pontifex facultatem, quam poſtulaverat, conceſſit, addiditque in Apoſtolicis ad Epiſcopum literis, " Quam Socie-
„ tatem quidem quanti Nos faciamus, Ca-
„ tholici nomine, & Hæreticorum excidiis
„ clariſſimam, duo illi Chriſtiani Imperii pro-
„ pugnatores *Ignatius*, & *Xaverius* Sanctorum
„ cognomento nuper à Nobis aucti cunctis

terra-

„terrarum Provinciis, fæculorum ætatibus „declarabunt.

His affinia funt in literis *Urbani VIII.* ad Principem Cafimirum Societatis Novitium, deinde S. R. E. Cardinalem, & pòft Regem Poloniæ. Iis adjunxit, Societatem *in fuo primitivo fervore effe conftantiffimam.*

Innocentius X. anno 1646. in *Brevi* de Superiorum Societatis triennio, addit confulere fe velle, *Profpero atque felici ftatui Societatis Jefu, quæ viris pietate, & doctrinâ infignibus referta, uberes in vinea Domini fructus jugiter producit.*

Apud *Alexandrum VII.* quantam ipfius erga nos benevolentiam provocaverit *Veritas Cognita*, quantam apud alios in nos ipfe excitaverit, teftimonio funt illius Pontificis propriæ literæ *in forma Brevis*, ut appellant; alteræ datæ 23. Dec. 1656. alteræ 27. Jan. 1657. & Conftitutio fuper Regimine fuperiorum Societatis data 1. Jan. 1663. Pontificatûs fui anno octavo.

Tanto Patrono, & vero Societatis Parente, effectum eft, ut novas, eafque uberrimas gratias deberemus Sereniffimæ Reipublicæ Venetæ, à qua, memores beneficiorum, affectu erga Rempublicam numquàm abfuimus.

Alexandro VII. cenfuit Congregatio noftra XI. ut habet Decreto 26. " Ad conteftandum „Univerfæ Societatis gratum animum, ob „tam fingulare & immortale beneficium, „quo vindicata eft fama integritatis noftræ, „& ablatum opprobrium, quod pafsim jactabant Hæretici, fummas quàm humillimas „gra-

gratias nomine totius Ordinis agendas esse; gitque quàm potuit demissè, & Sanctissimo Domino, fusas apud Deum preces, pro Beneficio rependit.

Omnes Societatis Superiores *Joannes Paulus Oliva* Præpositus noster Generalis Epistolâ datâ Romæ 15. Oct. 1667. copiosissimè monuit, quis sensus esset Summi Pontificis *Clementis IX.*, quid rebus omnibus perspectis, ipse pronuntiaret: *incredibile prope est*, inquit, *quàm tenero cum affectu paterni amoris loquatur identidem sua* Beatitudo *de minimo Ordine nostro, tamquàm valde exemplari, perutili Ecclesiæ, & nulli Religiosorum Ordini secundo. Ut hoc ipsum incitamento nobis esse debeat, & ad incrementum virtutis, & ut factis probemus vera, quæ à Summo Pastore de nobis sunt prolata.*

Clemens X. quantam erga Ordinem nostrum exhibuerit benevolentiam, posteris est Documento solemne judicium, quo Sancto *Francisco de Borgia* Sacros honores decrevit, & exhibuit.

In eamdem sententiam plura accepimus sub *Innocentio XI.* P. M. Sanctissimæ memoriæ, & cujus sinè ingenti virtutis stimulatione meminisse non possumus.

Alexandri VIII. Sapientissimam sollicitudinem & paternum affectum universa Societas in hunc modum veneratur, ut ei maximè, præsentissimum discrimem à se sublatum esse, non sinè ingenti lætitia adscriptum referat.

Innocentium XII. nescio qui variis fatigaverant, tum querelis, tum litibus, ac falsis

de

de nobis rumoribus: *Cognita Veritas* Paternum summi Pontificis amorem erga nos auxit, & anno Sæculari, quanti faceret Societatis operam, ad aliorum propemodùm invidiam commonstravit.

Clemens XI. difficillimis temporibus, beneficio Dei Ecclesiam regit, & si quid valent Orbis Catholici vota, reget diu. Christi Jesu Vicarii Dignitatem admisit tandem, cùm sinè peccato eam non admittere,se non posse intelligeret. Unum Personâ, virtute, multorum ac præclarissimorum sustinet Pontificatum. Pater Communis minimam nostram Societatem in visceribus gerit Paternæ suæ Charitatis; hujus erga nos sensa, pro immerita benevolentia, ubi res tulit ipse explicare dignatus est. Magna de hoc summo Pontifice omnes referent, & referunt sanè, illi etiam qui foris sunt: Religio Societatis omnibus plura se illi debere palàm semper ac lubenter fatebitur.

Tanti valuit apud Sedem Apostolicam *Veritas Cognita*, tantum nobis præsidium attulit *Cognitio Veritatis*, & apud Augustissimam Domum Austriacam, apud Reges, & Principes, Urbesque, & Academias, atque apud ipsas aliorum Ordinum Familias.

Tu Lector hoc quoque te exorari patiaris, ut quæ contra nos adferri vides, expendas animo libero, & minimè occupato: alteram aurem si Vindicationibus nostris æquus servaveris, judicium tuum non reformido, sed de tua erga nos æquitate multum mihi promitto, Omnibus illud curæ esse debet, in quod summâ sollicitudine adlaboravit S. Ignatius


atius; hic, cum ei multa referrentur contra ocietatem jactata, hoc unum pacatus repouit, *illud avertat Dominus, ne quando malè zobis dicant, & vera dicant.*

* Hæc visum fuit præfari à biennio: *Liberius* his nihil opposuit. Nescio tamen an huc fortè respexerit cùm ita scribit* " Alios etiam „Ordines, S. Benedicti, S. Dominici, S. „Francisci &c. tam Romani Pontifices, quàm „non nulli Sancti similiter præconizaut, iis-„que non obstantibus ob deficientiam non „parvam plurimorum à primævo Instituto, „necesse fuit ipsos reformari. Ea si ad Præfationem meam retulerit, ne is mentem meam minimè est assecutus: unum ego mihi proposui, atque id unicè; accedentem nempe ad has Societatis vindicationes monere in ipso limine, planè novum non esse, nos accusari: nihil nunc fieri præter usitatum, omni retro ætate, & variâ multorum contentione Societatem fuisse agitatam, Romæ imprimis: ibi verò Summorum Pontificum immeritis nobis testimoniis usque in hanc diem publicum esse atque apertum, cognitâ tandem veritate, remisisse has tempestates, inductumque aëra sereniorem. Oravi propterea Lectorem, tanto exemplo invitatus ipse quoque examini locum relinqueret, futurum, ut cognita veritas, ipsius erga nos benevolentiam, aut augeret, aut excitaret.

De Sanctissimis aliorum Religiosorum Ordinibus, nihil ibi necesse habui dicere, neque erat his locus: magnas Bonorum omnium laudes

* *Pag. XL.*

laudes semper provocavit, præclarissimorum istorum Ordinum Pietas, & Doctrina, quibus solidissimis fundamentis à plurimis sæculis stabilita in hunc diem consistunt munita, singularia Sacrosanctæ Ecclesiæ Ornamenta; similes laudes Societas sibi non tribuit, antiquioribus libenter concedit, & merita veneratur majora. *



CA-



CAPUT PRIMUM.

Harum Vindicationum Occasio, Necessitas, Consilium, & Scopus.



Uàmprimùm Batavicis typis, *Tuba magna* securè fuerat excusa, ingens extemplò numerus exemplorum per omnes Belgii Civitates divisus est. Rara tamen, nec nisi timidè palàm divendita: ac tum magis circumspectè, posteàquàm Bruxellis interjecto mandato, cautum fuerat, ne quis Bibliopola aliquam copiam, aut venum exponeret, aut distraheret: sed fraus viam invênit, quâ fugeret pœnas. Itaque vix octiduum abjerat, cum omnis vicinia hanc *Tubam* resonaret.

Sub id tempus mihi fortè aliquis commodatò dedit exemplum, quale aliud nancisci non potui, nisi ex Hollandia ab ipso operis typographo: cavisse siquidem videbantur, ne citiùs aliquod ad manus nostras deveniret, quàm totius Cabalæ studio, multorum animos vulgata folia in sententias suas adduxissent: & sanè rerum ignaris, aut qui criminatorum nostrorum technis minùs assueverant, dubium fecerant, quæ essent illa, & à quibus viris elaborata studia, quæ eo libro, & vix audita afferebantur, & multa.

Itaque multorum inſcientia, & præceps occupatio, *Vindiciis* fecit occaſionem, quibus hæc *Tuba* apertiùs explicaretur, & omnium oculis expoſita deſineret fallere. Scio equidem ſentire permultos, ejuſmodi in Societatem ſimulationes, ſilentio validiùs frangi quàm calamo; ejuſmodi turbinum ſibila, ſi nihil adverſùm occurrerit, momento prætervolare, vix noxia, vix audita: contra ſi quid durius extiterit, vires conduplicare; fragorem, ac ruinam edere ingentem.

Hæc tamen vel inertium dictata ſunt, quibus otium pro prudentia, vel infida oſorum conſilia, qui, dum quaſi mutili armorum pondere Societatem per benevolentiæ ſpeciem exonerare ſtudent, eamdem improtectam hoſtium telis objicere moliuntur.

Aliud probant ſaniorum conſilia.

Aliud nos docuerunt Sanctorum Exempla, ac Sententiæ: *hi*, inquit Doctor Angelicus, *quorum vita in exemplum Imitationis eſt poſita* (quales ipſo teſte ſunt Religioſi) *debent ſi poſſunt, detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum Prædicationem non audiant, qui audire poterant, & in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant.*

„Finis noſtræ Societatis eſt, non ſolùm „Saluti, & Perfectioni propriarum animarum „cum Divina gratia vacare; ſed & cum eâ„dem impensè in ſalutem, & perfectionem „Proximorum incumbere. Nobis proinde neceſſaria eſt Conſcientia, & vita noſtra, aliis Fama noſtra: *eſt autem Apoſtolici Præcepti, atque exempli*, teſte etiam *S. Paulino*, *ut habeamus*

beamus rationem non CONSCIENTIÆ *tantùm*, *ſed etiam* FAMÆ. Quod equidem præceptum tunc magis urgere exiſtimo, cum obtrectationibus ſuis id potiſſimum agunt adverſarii, ut nos in Proximorum ſalutem minorem operam collocemus: ut aut laſſati arma ſponte ponamus, aut ut Eccleſiæ Moderatoribus, Protectoribus noſtris perſuadeant, legionem noſtram in hybernis reſtaurari patiantur, nec eam hoſtibus curent objicere, quò ipſis liceat turbare frequentiùs.

Hinc omnis Vindicationum *Neceſſitas* eſt, ne aliorum vitio, aut Eccleſiæ, aut Proximo minùs ſimus idonei, qui operam noſtram ad Majorem Dei Gloriam, omnibus optaremus eſſe utiliſſimam.

Neque tamen ulla necefsitas eſt, ipſi operi, quod *Tubam Magnam* appellarunt, aliquod ſcutum objicere; totum quantum eſt, veluti ſartoris pulvinar ex malè conſutis, & tritis laciniis leviſsimè coaluit, veterum mercium novum furtum, & mendaci fronte multa promittens, non niſi fractis olim armis onuſtum: oſtendam hoc, atque ut arbitror, luculenter: igitur operi illi, hæc omnis eſto Reſponſio; *ipſum Reſponſione indignum eſt*: quia non *Tuba*, ſed *Echo* eſt.

Fertur quoque ex eodem ære parari nunc *Tuba Major*, *quæ ipſa jam prodiit*, fortè pòſt *Maxima* ſubſequetur,* quæ nunc formidabilibus minis promittitur *, Tympanumque, & Cornu, & Equitum, Peditumque agmen in apertum deſcendet, quod nunc adhuc minatur ex inſidiis, donec jungatur amicis co-

piis

piis, & caput vexillis ostentet sub quo mereatur. Minùs nocebunt hæc omnia, cum Bellum pridem susceptum gerent apertiùs.

Sed neque cum harum sordium collectore congredior, qui veluti clitellarium quoddam jumentum omnia caudæ suæ appendit, unde unde tandem habita sint in Religionem nostram convitia: hominem neque admodùm novi, neque hili faciam eum novisse, opto ut se noscat, & resipiscat. Difficile non est conjectare eum, eumdem esse, qui nuper tertiùm damnatum famosumque edidit libellum, quem *Artes Jesuiticas* appellavit: spes fuit aliquando futurum, ut honesti viri legibus obtemperaret: sed ei jam pridem jacta est alea, & callum obduxit contumaciorem, quàm ut leni manu posſit mollescere.

Unum agere hisce Vindicationibus mihi constitui, separare nempe Instrumenta omnia, quæ *Tuba Magna*, sive repetit integra, quæ plusquam medietatem libri absolvunt, sive quæ recitat ex parte, & quæ aliam medietatem componunt: tum hæc omnia appendere, atquè examinare: ostendere denique, quo Autore primùm prodierint, quod sit eorum Pondus, & quantum; quàm sæpe fuerint Superiorum sententiis proscripta, quam multiplicibus vitiis laborent.

Neque tamen eo consilio ad has Vindicationes accedo quasi existimem omnia domi nostræ splendêre, neque in ea aliquid reperiri quod meritò quemquam offendat: equidem Sodalium omnes actiones nec laudo, nec probo: amens sim si de omnibus respondeam

deam, qui meas culpare debeo quotidie: hæc eſt mortalis hujus vitæ ſors, & ratio, hæc cujuſcumque ſtatûs conditio. *Luſtravi Monaſteria Nitriæ*; inquit S. Hieronymus, *& inter Sanctorum Choros, aſpides latère perſpexi.*

Ipſe olim S. Auguſtinus cùm de ſummo flagitio quaſi ſua in familia perpetrato ageretur, ad Clerum, & Plebem Hipponenſem in hæc verba reſpondit: (*a*) "Quantumlibet vigilet „diſciplina domûs meæ, homo ſum, & inter „homines vivo, nec mihi arrogare audeo, „ut domus mea melior ſit, quàm Arca *Noë*, „ubi tamen inter octo homines reprobus unus „inventus eſt, aut melior ſit, quàm domus „*Abrahæ* ubi dictum eſt, *ejice Ancillam, & „filium ejus*: aut melior ſit, quàm domus *Iſaac*, „cui de duobus geminis dictum eſt, *Jacob* „dilexi, *Eſau* autem odio habui: aut melior „ſit quàm domus ipſius *Jacob*, ubi lectum „patris, filius inceſtavit: aut melior ſit quàm „domus ipſius *David*, cujus filius cum ſo„rore concubuit: cujus alter filius contra „Patris tam ſanctam manſuetudinem rebel„lavit: aut melior, quàm cohabitatiò *Pauli* „Apoſtoli, qui tamen ſi inter omnes bonos „habitaret, non diceret, *foris pugnæ, intus „timores.* Nec diceret, cum de ſanctitate, „& fide *Thimothei* loqueretur, *neminem ha„beo, qui germanè de vobis ſollicitus ſit, omnes „enim ſua quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*: aut „melior, quàm ipſius cohabitatio Domini „Chriſti, in qua undecim boni perfidum & „furem *Judam* toleraverunt, aut melior ſit

(a) Epiſt. 137.

„postremò, quàm Cœlum, unde Angeli
„ ceciderunt.

Minimè igitur hoc ago, ut nos omnes, omni culpâ eximendos esse persuadeam.

Barbarum tamen flagitium est, paucorum vitium omnibus affingere, & integrum Corpus ex membro metiri: eâ fraude jam pridem non pauci, Religiosas familias in odium advocare studuerunt: "Extendunt, inquit Doc-
„tor Angelicus, crimina Religiosorum quo-
„ad Personas, ut scilicet quod ab uno, vel
„duobus geritur, toti Religioni imponere
„præsumant: quæ etiamsi ab aliquibus ali-
„quando fiant, nullatenus sunt totali Colle-
„gio imponenda.

Eâ fraude Ecclesiam impetere solent hæretici, & omnes mali Rempublicam, ac proptereà magis imbelle hoc telum est, quàm ut ullo clipeo indigeat, quo debeat arceri.

Sed neque Defensio adversùs eos suscipi debet, qui nescio quo supercilio, nobiscum de legibus nostris, de *Instituto*, de Immunitatibus contendere vellent: hos nemo refellit, nisi qui Injuriam facere voluerit Summis Pontificibus, atque ipsi œcumenico Concilio Tridentino, cujus Oraculo Declaratum est, Religionis *Clericorum Societatis Jesu Pium esse Institutum*, & *à Sancta Sede Apostolica approbatum.* (a)

Nulla Regio est, aut Provincia, nulla Urbs, quæ non quotidie homines patiatur, qui, cùm se ipsos, aut rem familiarem aptis terminis circumscribere non possunt, toti sunt in

(a) Sess. 25. cap. 10. de Regul.

in arrodendis publicis legibus, damnandis abrogandisque, dum aliam se dignam, id est ineptam, ac sæpe fatuam gubernandi formam comminiscantur. Ipse disertus potator eloquio tabernam suspendit, cantharum sceptri loco circumvibrat, & quasi numine plenus leges dictat Magistratui, Senatui normam, quâ sinè; Respublica salva esse non possit. Hos omnes una Æsopi vulpes meritò facessere jubet, pro rei gravitate, opportunâ admiratione exclamans, ô *quantum Caput! sed Cerebrum non habet.*

Hoc unicum mihi consilium est:

Affirmant adversarii, *Esse in Societate vitia maxima, & in ea dominantia:* Demonstrandum suscipio, ex mendacibus ineptisque momentis, atrocissimam hanc, atque Universo Ordini impingi Calumniam.

Sequitur, quod de *Scopo* brevissimis est indicandum. Non eò respicio, ut Adversariorum criminationes spretæ exolescant, audiantur potiùs, legantur, expendantur, conferantur cum Vindicationibus nostris, nullam hinc Societati veremur famæ jacturam.

Unus hujus scriptionis est *Scopus*, ne quis dolo malo inductus, aut fraude, existimet Institutam Dei beneficio Religionem Societatis Jesu, à Summis Pontificibus confirmatam, tantis aliorum gratiis auctam, ad Ecclesiæ, & Proximi obsequia minùs esse accommodatam.

Quoniam verò ad unum *Gasparem Scioppium* hominem gravissimis Censuris celeberrimum pleraque omnia sunt referenda,

Capite proximo Integrum *Scioppium* exhibeo, & Integram *Scioppii* officinam : tum demonstro constanti furto, atque ex ære Scioppiano totam hanc *Tubam* conflatam fuisse.

Spes esse poterit, fore, ut inexpertus, aut peregrinus lector non patiatur imponi sibi tam facilè. Ingens hoc sæculo: & ferè quotannis libellorum copia distrahitur, quibus luctuosissimâ contentione illud præ cæteris suscipitur, ut interminabilibus quæstionibus implicetur Ecclesia, Apostolica contemnatur Autoritas, Ecclesiastica pariter, ac Regia ludatur Potestas: mille artes in nefarium hoc consilium advocantur, doli, & effugia mille, quibus tantisper aliqua sub larva delitescens, incautos fallat contumacia, & miseram trahat in ruinam.

Nulla ætas, conditio nulla, aut sexus, tanto periculo satis subducitur: præsens venenum vernaculo, aut usitatissimo gallico sermone propinatur, ad humilem colum gravissima Religionis Mysteria descendunt, & de potestate Vicarii Christi Jesu pronuntiare discunt pueri, indoctæque puellæ.

Tantorum malorum infelices autores, id sibi quoque negotii reliquum esse crediderunt, ut nos diverterent: hoc agunt studiosè, & quas possunt quaquaversùm criminationes corradunt, quibus nos onerent.

Juverit proindè non leviter intellexisse, quâ propagine hæc ad nos usque descendant: unde, & quando emanaverint, quæ fides illis sit adhibenda, ad *Quos* tandem, *Qualesque*, omnis hæc obtrectationum copia debeat referri. * De promissa Demonstratione, vide Cap. 2. ad reliqua nemo reposuit verbum. *

§.*§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§

CAPUT SECUNDUM.

1. Gaſparis Scioppii *Natales &c. libelli famoſi: Punitiones, Proſcriptiones, &c.*
2. *Eruditorum de* Scioppio *judicium.*
3. *Odium erga Religionem Societatis Jeſu: Conſuetudo cum* Franciſco Roales *&* Joanne de Eſpino, *publicè Perſtrictis Calumniatoribus.*
4. *Satyræ adversùs Societatem, harum Elenchus, occaſio, & cauſæ.*
5. *Famoſa* Tuba, *infamis Echo, Scioppianas contumelias, aliaſque inverecundo plagio inſtaurat.*

NAtus eſt GASPAR SCIOPPIUS *Neagôræ* oppido Palatinatûs ſuperioris anno 1576. Patre Veſpillone,& inter Lutheranos Æditno, atque eâ ſtirpe oriundo ex qua propè ab ipſo Lutheraniſmi exordio non pauci *Prædicantium* officio ſunt functi. Tabulæ *Ambergenſes* plures *Scioppios* enumerant, qui eo munere innotuerunt. Rem familiarem *Gaſpar* tenuem nactus eſt, fortunas exiguas: ipſe de ſe ſcripſit.

Aſpice me, cui parva domi fortuna relicta eſt.
Nullus & antiquo marte triumphus Avi.

admodum puer, vivax ingenium promiſit, & alacre, neque fefellit: narrat ipſe de ſe multa, nec parcè; ſummum imprimis in literis profectum, quem fecerit ab anno

1585.

1585. *qui erat*, inquit, *octavus ætatis meæ exactus :* adolescens ingenio ſtudium adjunxit minimè vulgare, & conſtans : ſeveriores tamen diſciplinas vix excoluit, *ſed tempus quod diſcendis magis ſeriis occupatum oportuit, libris*, inquit, *edendis terebam.*

Animum ferè ad *Criticam* applicavit ac primò Latinos Autores, & Grammaticos multos arguit, propria præter modum extollens, in alienis, canis mordax quàm qui maximè. Anno 1594. ætatis ſuæ 18. primam edidit lucubrationem, quam *Symbola Critica* appellavit.

E Germania Romam profectus, poſteaquàm *Coſteri* Controverſias diu verſaſſet, illius rationibus conceſſit, & erroribus *Lutheri*, aut remiſit, aut nuntium viſus eſt remiſiſſe. Exſtat *Scioppii* Epiſtola, *de ſua ad Orthodoxos migratione* edita anno 1600. Pædagogum, quoad licuit, in Urbe egit, *Adoleſcentes*, inquit ipſe, *ad Jeſuitarum ſcholas deducebam.*

Patronis initio Romæ non caruit, nec mecœnate. *Grammaticus* paſsim audiebat, & eruditus.

Româ diſcedens per omnem Italiam, & vicina Regna vagatus eſt : iterum venit in Germaniam, pòſt rediit in Urbem, inde apud *Helvetos* delituit, tandem *Patavium* receſſit : ubique in aulas ſe inſinuans; opellis ſuis omnia arroſit, Eccleſiam, Politiam, literas, Gymnaſia. Nunc hos, nunc illos exagitans, calamo pro fautorum arbitrio venali.

Iconem, jam pridem ex Urbe ſe ſubducens

cens divulgaverat ære incisum, & effigiem suam referentem cum Epigraphe.

GASPAR SCHOPPIUS.

Anno 1602. Ætatis 26.

PRISCA FIDE.

Infra legebantur hi versus:

„ *Hostem esse, atque inimicum hominum, mo-*
„ *rumque malorum: Contra defensorem hominum*
„ *morumque bonorum. Magnificare hos, his*
„ *bene velle, his vivere amicum.*

Honoris titulos de se plures prædicavit.

Ait se à S. P. Q. R. civitate donatum fuisse, ac inter Patritios côoptatum: nunc *Equitem S. Petri* se salutat, nunc *Comitem Palatii Apostolici.* Alibi Consiliarium, Cæsareum, Regium, &c: alibi *Comitem de Claravalle*, alibi alia ejusmodi encomia commemorat, denique expertissimum desiit in Medicum, vulgavitque opellam cum inscriptione. *Effetti maravigliosi del pretioso Elettuario, del Conte di Chiara Valle.*

Patavii, ut exhibet *Gymnasium Patavinum*, GASPAR SCIOPPIUS diem suum obiit anno 1649. 19. Nov. horâ 23. id est unâ ante occasum solis, ætatis suæ anno 74. Ex hoc loco *Gymnasii Patavini* (ut hoc obiter moneam præter institutum) emendari possunt Historici, & qui eum octogenario majorem obiisse scribunt, & qui illius mortem referunt in annum 1663.

Magis corrigi debet autor libri, cui titulus

titulus, *Jugements des sçavans*, aut, si mavis, is, qui apud eum est indicatus, & *Scioppium* Religioni Societatis adscriptum fuisse commemorat, atque ab ea descivisse: hoc falsum est : *Gaspar Scioppius* ad eam Religionem numquam pertinuit. Ipse quoque gloriatus est, *se*, *ne unâ quidem horâ*, *Societatis discipulum fuisse.*

Hæc volui in pugnum contrahere, quibus sub unum aspectum utcumque advocari posset famosus, ac integer *Scioppius* : tum quod id minùs ab aliis factum esse viderem, tum quod Lectori, neque incommodum, neque ingratum fore conjicerem : venio ad ea, quæ initio mihi proposueram.

Pudet referre, quæ in una *Statera*, cui nomen *Verdæi* appendit, in Sedem Apostolicam, in summos Pontifices *Scioppius* evomuit delira, impia, & blasphema: neque enim hoc opus, sibi sæpius objectum, suum esse umquam negavit.

Negat *se Apostolicæ Sedis autoritatem irridere*, *aut ludificare umquam velle*: sed (vide hominis blasphemam impudentiam) SI QUÆ JAM ESSET, inquit, SEDES APOSTOLICA. addit *se non solùm irridere*, *verùm detestari Pharisæos*, *qui se profitentur*, *sedere in Cathedra Moysis*, *& tamen fermento falsæ doctrinæ mundum corrumpunt* : *sedem etiam pestilentiæ illius*, *qui in templo Dei tamquam Deus sedet*, *præ se ferens se esse Deum.* (*a*) Commentario non indiget hæc impia Satyra. Apertiùs quoque eodem libro pag. 14. non solùm ag-

[a] In Statera cap. 1. n. 3. pag. 13.

agnoſcit, ſed gloriatur, *conari ſe eos, qui nomen uni Chriſto dederunt, à ſede peſtilentiæ avocare, ne ad ejus gremium redeant, quæ Mater eſt Fornicationum, & Abominationum terræ*: quibus nemo Hæreticus eructavit impudentiora: leve proinde eſt *Scioppio* calumniari, (*a*) *Typhum & ſuperbiam Sedis Romanæ in Extravaganti* BONIFACII S. P. *jam olim bonis omnibus diſplicuiſſe*: eumdem Pontificem (*b*) *digniſſimum autorem eſſe ſuperbiſſimæ Decretalis, de qua tam inſolenter glorientur Monachomachi*: Pronuntiata, confirmataque à Gregorio VII. *ſuperbiſſima* affirmare, & *abſurdiſſima.* Propugnatores autoritatis Sedis Apoſtolicæ, aſſerere *eo nomine infames fuiſſe.* (*c*) *Inſanam vociferari Epiſcoporum Romanorum libidinem propagandi terminos ſuos, quà jure, quàve injuriâ.* (*d*) *Romanæ Sedis autoritatem* infrunito ore *Tyrannicam* appellare.

Nihil *Scioppio* familiarius, quàm Sedis Apoſtolicæ defenſores ſummis convitiis onerare. Cardinalis *Bellarmini* librum de *officio Principis*, ut (*e*) *inſanum* & *flagitioſum* traduxit. *Franciſci Suaris* Defenſionem Fidei, ab Epiſcopo Conimbricenſi approbatam, tamquam (*f*) *Hæreticam* reprehendit, & Epiſcopi approbationem, hoc nequiſſimo ſcommate perſtringit, *Quid tum, ſi ſicarius, aut latro habeat ſuos approbatores, an propterea innocens judicabitur?*

(*g*) Alibi iterum in Summos Pontifices injurius

[a] Cap. 7. p. 74. (b) Ibid. [c] Cap. 11. p. 136. (d) Cap. 10. p. 119. (e) In Statera cap. 7. pag. 71. & 82. [f] Cap. 8. p. 85. [g] In Anatom. p. 15.

injurius eſt, eoſque fere quotidie *Sacrilegii reos* mentitur, & *res Deo ſacras*, LUPIS, id eſt Eminentiſſimis S. R. E. Cardinalibus (ut ille impudentiſſimè pronuntiat) *in prædam dare*. Nunc inſectatur Sanctorum Canonizationes, nunc ridet Doctorem Angelicum: paſſim recepta exſibilat; & ut brevibus rem omnem abſolvat, negat Deiparam Virginem, attributis illi ab Eccleſia encomiis meritò poſſe appellari.

Alia hujus generis, quæ integros libros occuparent, non excutio; gravior etiam eſt hæc cloaca, quàm ut eam alius, præter Calvini, aut Lutheri hircum ferre poſſit diutiùs.

Imperatores, Reges, Principes, nihilò habuit clementiùs. Nec ipſi pepercit *Ferdinando II.* Imp. ſemper Auguſto, cujus olim Diplomatibus, ac literis non parùm tum fuerat commendatus: plura ſcripſit in *Henricum Magnum*, & impium Regis Parricidium non obſcurè laudavit. *Jacobum I.* Angliæ Regem graviſſimè eſt inſectatus: unâ fideliâ Principes maculat, quos omnes mentitur, *Religioni non habere*, *menaſteria vexare*, *ſpoliare*, *exactionibus gravare*, &c. ac propterea, *non multò optabiliorem eſſe Monachorum ſub talibus Principibus conditionem*, *quàm ſub Principibus Proteſtantium* (*a*). Aptavit illis præterea objurgationem Iſaiæ, *Principes tui infideles*, *Socii furum*: item alteram Davidis, *ſi videbas furem*, *currebas cum eo.* (*b*). Atque ut injuriam ludibrio duplicaret, ait nolle ſe hoc eò accipi, quaſi ipſe tales eſſe

(a) In Arcanis. p. 81. [b] In Anatom. p. 102.

esse suspicaretur: tum ore rotundo infamia probra eructat, & *in Principibus* vociferatur *esse vanitatem, hypocrisim, avaritiam, sive sordes, & stuporem ingenii, atque inscitiam.* (a) Eosdemque impietatis *in negotio conscientiæ reos esse, malignèque, ac duplici corde ad Deum accedere* (b).

Hæc pauca ex multis: quæ cuique Scioppium pervolventi ipso in limine sunt obvia: supersunt Scioppianæ temeritatis exarata monumenta, & ad posteros, præter jam indicacata, his titulis transmissa. *Consultatio de causis & modis componendis in S. R. Imperio Religionis dissidiis: Scorpiacum: Consilium Regium: Stemma Augustæ Domus Austriæ: Classicum Belli Sacri: Ecclesiasticus de amplitudine Potestatis Ecclesiasticæ. Alexipharmacum Regium: Heldus redivivus: Pœdia Politices: Astrologia Ecclesiastica*: tum quod omitti non potest opus *Scioppii* Singulare, insolenti hac inscriptione vulgatum. *Ars Artium, & scientia scientiarum conservandi Animam Summi Pontificis.*

Abominandam illam in summis superioribus lacerandis licentiam, utraque potestas frænavit, ut potuit: Roma, Madritum, Parisii, Londinum, Pontifices, Reges, inconsideratas effrœnis hominis opellas, Damnarunt, proscripserunt, ac meritis flammis adjudicarunt: ipse *Scioppius* fugâ vitæ suæ consuluit; Româ amandatus, Mediolanum redire non audens, nec in Serenissimæ Familiæ Austriacæ territoria, erroneo vitæ genere diu delituit, mundi civis, nullâ certâ Patriâ, nusquam pedem

(a) Libd. pag. 44. (b) Iuniperi Relat. c. 25. pag. 88.

pedem nisi in exilio fixit, donec Erroni ægyptio qualem, ut scribunt, vultu quoque turvo, atque obscuro planè referebat, pèrquàm simillimus, Asylum aliquod invenit Patavii: *hai de tout le monde*, inquit *Vauterius*, *&* *craignant justement pour sa vie, il chercha un Asyle à Padoue.*

Liberiùs maledicentiæ habenas in Eruditos Grammaticos laxavit: vix ullus est, quem non inverecundè traduxerit: *Quis quæso est*, inquit JOANNES DECKERUS (*a*), *Magnorum*, *&* *antecedentis ætatis virorum, cujus scripta*, *&* *famam* GASPAR SCIOPPIUS, *non majori cum infamia polluisset? De Salmasio*, ait NICOLAUS HEINSIUS, *non queror, qui cum nemini suorum temporum literato pepercerit, non magis quàm ille* SCIOPPIUS, *quem insignis Maledicentia, Zoilo quovis nobiliorem reddidit* (*b*).

Utrique consonat *Lambecius* (*c*): hic *Scioppium* hominem fuisse scripsit, *ingenii Maligni*, *&* *oris maledicentissimi, qui propter præstantissimorum*, *&* *de re literaria optimè meritorum virorum invidas, ac injuriosas calumniationes*, CANIS *Grammaticus est appellatus.*

Josephum, ac *Julium Scaligerum*, Patrem & filium, *Casaubonos*, seniorem *Heinsium*, *Famianum Stradam* præ cæteris est insectatus, ubique solens suo more, leviter, arroganter, & calumniandi libidine per quàm singulari: *l'audace*, ait scriptor Auctarii ad Moretium, *avec laquelle il attaqua les plus sça-*

[a] De Scriptor. Adespotis. p.94. (b) Notis in Ovid. lib. 2. de Arte. (c) Lib. 1.

sçavants hommes de l'Europe, attira sur lui une grele des invectives, & lui firent donner le surnom de CYNIQUE.

Scaligeros, (*a*) ait TANAQUILLUS, *& Casaubonos, insectari ausus est* SCIOPPIUS, *Asinus ad liram.* Et BONIFACIUS (*b*), *Scaligeris incassum, ut Lunæ canis, oblatravit* SCIOPPIUS.

Verùm, exiguum animo suo morem gessisse visus est Cynicus, nisi in antiquissimos autores insurgeret audacior: exstat de hoc testimonium apud *Tanaquillum*, *Phædrum*, inquit, *ignorasse leges metricas, suspicatur Scioppius, sed cui quæso persuaserit? Eâdem operâ L. Syrum, eâdem operâ Plautum, Terentium, veteresque alios accuset, & Virgilium ipsum si Dis placet:* alterum dedit *Philippus Labbe. Valla*, ait, omnes Grammaticos, qui ante ipsum vixerunt, aggreditur: *Gaspar Scioppius* non mitior est, nec ipsi *Ciceroni*, ac *Varroni* parcit. Tum indicatus Scriptor Gallus, *Sa critique non contente de s'etendre sur les auteurs modernes, osa remonter jusques à Ciceron. Son emportement, pour ne pas dire la fureur, qui paroit dans ses escrits doit rendre sa memoire odieuse, & servir d'exemple à ces sçavants feroces, qui s'acharnent sans distinction sur ce qu'il a de plus distingué même dans la Republique des lettres.* Idem ante testatus fuerat *Balzacius*: *Ciceronis Accusator*, inquit ipse, de quo, ut ad te scribam me rogas (Epistola est 12. ad Dominum *Chapelain*) *est formidandus ille* SCIOPPIUS. *Mediolani librum prælo submisit, in quo Ciceronem in congruitatis*

(a) Notis in Prolog. Phœdri. lib. 1. (b) Lud. Hist. p. 602.

tis, & *Barbarismi arguit*: *hæc erga Ciceronem injustitia*, *Scaligerum si reviviſceret ſolaretur. Sed ſpero Scioppium eumdem*, *librum alterum conſcripturum*, *quo evincendum ſuſcipiet* CATONEM *virum minimè frugi*, *Juliumque Cæſarem ignavum militem fuiſſe*.

Tametſi verò illa teſtimonia deeſſent, ſupereſt liber, *Autorum Latinæ Linguæ Syllabus* appellatus, qui omni Lectori inſaniſſimam illam procacitatem exhibeat. Immanem præterea *Scioppii* Criſim te docebunt, ab ipſo editi libri, *Scaliger Hybolominæus*: *Pœdia literarum humanarum ac divinarum*: quo libro, omnes ſuas elucubrationes enumerat, editas, & edendas: *Philoſophia Stoica. Infamia Famiani. Obſervationes linguæ Latinæ. Suſpectarum lectionum libri V. Veriſimilium libri IV.* & qui ſunt hac de re alii, aut ex his, alio titulo propoſiti.

Tam inhumanus, ac delirus optimorum autorum reprehenſor, peſſimi Scriptoris impia ſenſa, *Machiavelli* præcepta propugnavit: de his librum conſcripſit, cui, ut amplum impudentiæ, ac ſtultitiæ ſuæ relinqueret monumentum, hanc fecit inſcriptionem, *Pœdia Politices*, *ſeu civilis Philoſophia*, *quum ex Machiavelli libris*, *tum ex ſacris literis hauſtæ*. Non vacat hoc fœtidum Augiæ ſtabulum, hoc loco excutere.

Dedi Eruditorum de *Scioppio* Judicia non pauca, & quæ ante propoſita ſtabiliant. Addo alia, ac magis generalia.

Commendarunt Scioppium à literatura, Diplomata Cæſarea, *Joannes Imperialis*, *Octa-*

Octavius Ferrarius, *Vauterius*, *Limnæus*, aliique: cætera gravissimè repræhendunt. *Scioppius*, inquit VAUTIER *estoit un homme d'un genie vaste, impetueux, d'un' application infatigable, & d'une profunde literature .... Il a fait imprimer ses écrits, plusieurs sous des noms supposez pour pouvoir satisfaire avec plus de licence le dangereux penchant, qu'il avoit à la Satyre*: & *Limnæus*, *multa*, ait, *scripsit Scioppius Doctè, & laboriosè, sed pleraque eo animo, & stylo, ut ad Scommata, & Convitia factus videretur. Rittershusius* eum Plagii accusat, *& quid* Giphanio, ut scribit, *Harpagarit*, *notum est doctis*: L'Abbeus, hominem *desultoriæ levitatis* esse dixit. Sprinfeldio, *famosus turbo*, *& publica tempestas Pacis* appellatur: Baudino, *Monstrum ex omni spurcitiarum, & scelerum colluvie concretum.*

Narrat *Hornæus*, Sciopium *extremâ senectâ Scriptis* PATAVIO LEIDAM *litteris*, *transitionem iterum ad Evangelicos*, *ut* loquitur, *obtulisse*, *si in gratiam reciperetur*. Sed addit, *rejectum fuisse Apostatam, contemptumque ob vanitatem*: Paulò antè eum *non nisi miserabilem literatorem* fuisse dixerat, ut opera *ejus inepta*, *& maligna ostenderent*: Author Censuræ Celebrium Autorum, post variorum, varia testimonia, de suo, in hæc verba subjungit, *En effet les plus grands hommes du Siecle se plaignent de luy presque tous d'une voix, Catholiques, Heretiques, & les Deistes mêmes: & tous donnerent leur voix pour sa proscription, parce qu'il attaquoit indifferemment tout le monde, qu'il dechiroit la reputation des plus*

honneste

honnestes gens, avec autant de plaisir que d'impudence, & qu'il faisoit gloire de n'epargner ni la qualité, ni le merite.

Qui plura desiderat, adeat, cùm per otium licuerit, scriptores, qui apud jam indicatos præterea sunt nominati; integrum Scioppium Pluribus excusserunt, *Eugenius Lavanda*, in *Grammatico Pedico*. *Laurentius Forerus*, in *Grammatico Proteo*. *Albertus de Albertis*, in *Vindiciis Generalibus*: *Lapide Lydio*, *Dentiscalpio*: *Strigili*: *Novacula*, &c. *Wangnereckius* in vindiciis, Machiavelli defensionem ex merito refutavit.

Placcius Germanus Indicem dedit Librorum, qui *Scioppium* aliquâ ratione habuerunt autorem: ficta nomina sub quibus voluit delitescere, hæc fere sunt, quæ subjungo:

Paschasius Grosippus.
Theophilus Sanctasidius
Oporinus Grubinius.
Holofernes Krigsoëderus.
Meitingentis Scholæ Monarcha.
Christianus Goedtliebius.
Bernardinus Ghiraldus
Alphonsus de Vargas.
Georgius Pomerius.
Philoxenus Melander.
Renatus Verdæus.
Sanctius Galindus.
F. Juniperus de Ancona.
Augustinus Ardbingellus.
Daniel Hospitalius.
Mari-Angeli à Fano.

Interea hæc omnium propemodum Regionum ejectamentum, Orbis judicio maledicentiæ Pandôra *Gaspar Scioppius*, alterum desultoriæ suæ levitatis daturus exemplum, quam pridem multis laudibus extulerat Religio-

ligionem Societatis, quàm posset indignissimè lacerandam suscepit.

Tanto porrò homo impotens in eum Ordinem odio flagravit, ut ipsum quà literis, quà sermonibus indicaret: 1. ad *Veldkirchium* scribens, negabat se quietem ullam capere posse donec Jesuitas exulatum è toto Imperio abiisse cerneret: si mendax non fuit, plures noctes insomnes egerit necesse est: *Raperswilæ* in Helvetia palàm in plateas contra Societatis Religiosos adeò declamabat, ut eos Turcis, & Tartaris deteriores penitusque extirpandos vociferaretur: utrumque hoc aptis instrumentis stabilivit *Forerus* in *Mantissa* Sect. 2. ejusmodi eum quàmplurima in nos evomuisse, Ordinis S. Benedicti Religiosi, auriti & oculati testes literis suis significarunt. Sed hæc stolidæ rabiei præludia ferè fuerunt.

2. Organœdum *Weingartensem* Epistolâ manu sua exaratâ rogavit, ut conquireret quidquid undique in Jesuitas umquam prodiisset quocumque idiomate: hæc Epistola *Biberaci* intercepta est ab eo, qui ibi legioni Suecicæ præerat, *Sperreiter* nuncupato, ibidemque relicta mense Augusti 1633. in Bibliotheca *Sylvestri Eccardi*, Ministri ibidem Lutherani. Cujus rei testimonium præbuit *Consistorium Wittenbergicum Studt-gardianum*, quod edito libro integram hanc Epistolam, ex authographo descriptam, legendam exhibuit. Nulli sollicitudini pepercit, quâ hanc sibi Bibliothecam pararet, augeretque: corrasum est, quidquid alicundè potuit haberi

ex Italia, Germania, Gallia, Hiſpaniaque. Ac ſubminiſtravit quidem Germania, *Lyſeri* Hiſtoriam Jeſuiticam: ejuſdem *Jejunium Jeſuiticum*, ejuſdem Hiſtoriæ à *Ludovico Lucio* eleboratam continuationem. *Georgii Heckelii* de modo agendi Jeſuitarum, & *Rationale Jeſuiticum*: *Martini Kemnitii* Originem Jeſuitarum, & quos plures tædet referre: ab his, tria palmaria accepit pronuntiata.

1. Jeſuitas, Romanoſque Pontifices veros eſſe ſeditionum, ac rebellionum per totum orbem Chriſtianum autores, tum ob diſsidium de die Paſchatis celebrandi, tum propter Idola in Templis habenda.

2. *Joannem Petrum Caraffam*, exinde Paulum IV. P. M. ſectam Jeſuitarum *Venetiis* anno 1555. primùm inſtituiſſe.

3. Jeſuitas hoſtes Dei eſſe, quia Papam pro Deo habent: item Magos eſſe, Veneficos, Atheos, Regicidas, Diabolicos viros, Peſtem, & quid non denique?

Illiberalibus licet maximè, ejuſmodi encomiis jam pridem aſſuevimus, Dolemus ſinè Dei offenſione nos iis non affici: optamus tamen, ut Numinis vindictam majorem non experiantur quàm noſtram, qui per Dei gratiam libenter oramus pro perſequentibus, & calumniantibus nos.

Cùm Bibliothecam ſuam his inſtrumentis Germanicis *Scioppius* Inſtrueret, erat fortè Mediolani, Cardinalis Infantis Præceptor (is tum fuit *Franciſcus Roäles* Hiſpanus) Societatis hoſtis capitalis; cum hoc conſuetudinem facilè contraxit, atque cum eo iniit clandeſtinum fædus

fædus, ad mutua ferenda auxilia in oppugnatione Societatis: *Roäles*, quæ poterat, afferebat ex Hispania, *Scioppius* gentilia curabat, & communicatis à familiari largiter utebatur: occultum, & legibus vetitum Typographium in ædibus quas incolebat, aut instituerat, aut parabat, & amico furtivos typos ad edendos libros benevolè obtulit.

Singula hæc comprobata sunt, ex intercepta *Scioppii* Epistola, quam Mediolani dedit 5. Junii 1633. ad *Michaëlem Krafft*, id est ad eum, quem paulò ante indicavi, *Organœdum Weingartensem*, in hæc verba olim ex Germanico reddita. "Cardinalis Infantis Præceptor, qui hìc est, in Hispania Jesuitas ad Inquisitionis Tribunal multarum „atrocissimarum hæreseon reos egerat, tamquam Academiarum Salmanticensis, Complutensis, & vallis olearum Procurator: & „nunc totus in eo est, ut eorum hæreses, „imposturas, scelera orbi universo patefaciat, Jesuitæ extrema omnia fecerunt, ut „eum ex Cardinalis familia expellerent, sed „irrito conatu. Imò quoties Iesuitæ ad „Cardinalem veniunt aliquid acturi, advocatur Præceptor, ut eorum dicta examinet, nesciunt itaque pauperes diaboli quid debeant „incipere. *Wissen also die arme teuffel nit was* „*sie anfangen sollen*. Contra quos quidquid „ego habueram, frivolum planè est, si cum „iis comparetur, quorum eos Magister iste „Principis convincit, & cum octo Jesuitarum publicè congressus, eos elingues, & „mutos reddidit.

„Hic plurima mecum communicat, quæ „mirifi-

„ mirificè erunt uſui, ac fortaſſe ipſe quoque
„ ad me in Germaniam veniet, ut domi
„ meæ libros ſuos edendos curet. Cupit ſibi
„ conquiri quidquid undique in Jeſuitas
„ exiit quocumque idiomate, quam rem ti-
„ bi curæ eſſe velim: D. N. *Argentinâ* affe-
„ rendum curare poterit, quidquid ad rem
„ pertinet &c. Hactenus *Scioppius*: nihil ſinè mendaciis tranſmittens: cùm enim de atrocibus injuriis Societati à *Franciſco Roäles* impactis ad Sereniſſimum *Infantem* expoſtulaturi acceſſiſſent P. *Fabritius Bamfus* Provincialis, P. *Ludovicus Porrus* Præpoſitus, P. *Otho Gorinus* Rector, abſque *Roälis* præſentia liberum colloquium nacti ſunt, & Regiâ benignitate dimiſſi. Paulò pòſt Dux *de Turſis* nomine Cardinalis Infantis, & illius juſſu, Provinciali renuntiatum acceſſit ad Domum Profeſſam, Mandato Principis ſui, *Franciſcum Roäles* è familia eſſe amandatum: poſtquàm præterea hujus facinora ad Philippum IV. Hiſpaniæ Regem poſtmodum fuiſſent delata, à legitimis judicibus, Societatis Innocentiâ compertâ, idem *Roales*, non ſolùm Cardinalis Magiſterio abdicatus, atque ex Aula expulſus, verùm etiam totâ Hiſpania proſcriptus, omni jure Patriæ orbatus, cunctis exutus Sacerdotiis, atque ad alia deinceps adipiſcenda inhabilis denuntiatus eſt.

In vulgatum à *Roale* contra Societatem libellum, graviſsimè exinde animadvertit per Hiſpaniæ Regna, Inquiſitor Generalis *Antonius de Soto-major* ex inclyto Ordine S. Dominici, Archiep. Damaſcenus, tum ipſe In-

Inquisitionis Senatus, qui eumdem libellum tamquam *Impium, calumniis refertum*, atque ab omni veritate alienum, *Madriti* publicâ autoritate damnavit 30. Julii anno 1636. nec non clitellario impositum jumento, & per urbem à Carnifice circumductum, ejusdem carnificis manu in ignem publicè in platea conjectum, & combustum facessere jussit. Dixi de hac re iterum in *Vindicationibus* adversùs Damnatam opellam *Artes Jesuiticæ* à pag. 45.

Alteram consuetudinem *Gaspar Scioppius* habuit cum *Joanne del Espino*: fuit is, quia duræ cervicis, & correctionis impatiens è Societate ejectus, atque hoc nomine *Francisco Roales* percarus, ac familiaris: non diu pòst reus, & carceri mancipatus, apud Sacrum Inquisitionis Tribunal in Hispania meritas pœnas persolvit: hujus rei amplum testimonium dedit, oblatus per id tempus Inquisitioni Granatensi Libellus, à Provinciæ Bæticæ Præposito Provinciali *Petro de Aviles*, suo, ac provinciæ nomine vulgatus:

Juan del Espino, inquit, alfin como expulso de la Religion por incorregible. Y para ello procuro darse la mano con *Roales*, que concurrio con el en Madrid, y passo a Italia con *Gaspar Sciopi* Aleman.	*Joannes del Espino*, inquit, tandem à Religione expulsus ut incorrigibilis, ac propterea jungere se studuit *Francisco Roales*, quocum unà erat Madriti: transivitque in Italiam cum Gaspare Scioppio Germano.

Am-

Ampliùs septingentos Articulos complectitur hoc instrumentum, illud evolvat, qui de *Espino* plura voluerit intelligere: his quartus accessit *Gregorius Esclapesius*; de hoc memini quoque in illis *Vindicationibus* pag. 55. atque hi sunt ornatissimi illi Quatuor-viri, non aliâ re, æquè ac judicum sententiis, quibus publicè affecti sunt, notiores; & quorum operâ, studio, atque sollicitudine, ingens adversùs Religionem Societatis Satyrarum plaustrum per Europam effusum fuit: hi tabulas suffecerunt, ex quibus famosum excrevit *Theatrum Jesuiticum*, tantis olim mendaciis apertum, atque Calumniis, tot judiciis dirutum, ac merito igne concrematum: ex hujus combusti cineribus Gallicæ Sylvæ surrexerunt, quæ nos in hunc diem calumniantibus, tela subministrant.

Scioppius primò adversùs nos animum ad scribendum appulit anno 1631. Juvat ejus opellas ordine recensere, atque in publicam lucem adducere, & quæ eò præcipuè faciunt, enarrare.

Viginti, & ampliús anni erant, quando non obscurus rumor per Italiam; atque Germaniam ierat, *Scioppium* plusquàm Philippicas, aut Verrinas in Societatem meditari, eumque in finem undique materiam corradere: quæ res neque exteros Scriptores latuit, à quibus apertè scriptum accepimus, *il se dechaina à toute outrance contre les Jesuites. qu'il affecta de dechirer par des Libelles sanglants.* Ita comparatus, anno jam indicato 1631. vernaculâ linguâ per omnem Sueviam

am disseminavit acerbissimam satyram; titulus erat *Catechismus P. Scherêri.* Hæc, Cæsarem Infantiæ, Electores Catholicos injustitiæ, Jesuitas, Confessarios imprimis negligentiæ arguebat, atque malitiæ: hanc Contumeliam ad Scioppium pertinere, Dynastes Sueviæ per idoneos testes comprobari posse, eo tempore significavit.

Successit anno 1632. Germanico item idiomate, evulgatus Libellus Famosus, cum inscriptione *Actio Perduellionis in Jesuitas S. R. Imperii hostes*: hìc se *Philoxenum Melandrum* appellavit, & ad Lutheranos recessit, aut reditum simulavit. Hæc *Actio* sæpius prodiit: ibi *Flagellum Iesuiticum* nuncupatur, alibi alio titulo, eadem semper res est.

Eodem hoc anno, bina alia disseminavit opuscula, & patrio sermone elaborata: alteri inscriptio est, *Colloquium inter* PAULUM V. *Papam*, PHILIPPUM *Hispaniæ Regem*, & FERDINANDUM *Archiducem Austriæ. ex Iesuitarum Monacensium*, & *Ingolstadiensium secretis Consiliis institutum*, & *in bonum, ac cautelam omnium Protestantium publicatum.* Fuerat hoc colloquium jam olim anno 1608. conscriptum, ut Societas in invidiam adduceretur, suppressum tamen, donec Suevico Bello licentiæ laxata via est. Alteri titulus datus est, *Mysteria P P. Societatis*: in utroque, magis præterea in hoc ultimo, ad Lutheranos errores quàm proximè visus est accessisse.

scripsit larvatus *Verdæus*, *Mysteria* hæc primùm Gallicè edita fuisse anno 1635., latinè

tinè verò anno 1631.; sed nullibi hæ Impressiones aut prostant, aut prostare audiuntur, nemo indicatur, qui alterutram viderit.

Anno 1633. *Scioppius* latinè edidit opellam, quam *Anatomiam Societatis* appellavit; eique nomen apposuit *Sanctii Gallindi* è Societate Jesu. Hoc opere, & Catholicæ fidei, & S. Romanæ Sedis observantissimum sese deprædicat, quo fortè Lector in suspicionem veniret, eam *Anatomiam* ab aliquo Jesuitarum esse elaboratam; sed fœtus parentem apertiùs indicavit, quàm ut de aliò vel levissima opinio esse potuerit: hujus *Anatomiæ* trecenta exemplaria dolio inclusa, per *Sueviam* disseminanda, cum Epistola *Scioppii*, quam supra exhibui, *Biberaci* intercepta fuerunt. *Anatomiæ* confestim alia prodiit editio, typis, ut præ se tulit, Lugdunensibus: tum ex eâdem, pars una excerpta est, & Germanicè edita, appellataque *Iesuita exenteratus*: hac scriptione iterum ad Lutheranos accessit, & Universam Religionem Catholicam probrosè Acatholicis deridendam effinxit.

Aliquot pòst mensibus, Nundinis Francofurtensibus, novâ metamorphosi *Scioppius* Monachus evasit, aut potius Religiosus Ordinis S. Francisci, emisitque anno 1634. *Consultationem de causis, & modis Rligiosæ disciplinæ in Societate instaurandæ.* Huic nomen præfixit *Iuniperi de Ancona Minoritæ &c.* Certum est testimonio RR. PP. Franciscanorum, nullum hoc nomine in eo Ordine innotuisse.

Gra-

Graviſſimæ hæ in Societatem cotumeliæ, ſummos viros non latuerunt, neque latebant quas præterea *Scioppius* parabat. Solebat enim ſua diu, & multis ante ptomittere: occurendum his ſtatuit Eminentiſſimus *Antonius Barberinus*, quam ob cauſam ad Apoſtolicum Nuntium has literas dedit.

Molto Illre. è Revmo.

Molto Illre. è Revmo. Signore come fratello. Sono pur troppo inquieti gli ſpiriti di Gaspa-ro Scioppio, *& ſi rende molto oſtinato, nel volere con ſuoi ſcritti, che da alle ſtampe ſotto finti nomi lacerare la fama de Padri Gieſuiti. Ha però N. Signore con ſenſo di diſpiacere veduto gli titoli di quelli che pur oggi cerca d'imprimere; che Va. Signoria ha inviati qua. E col parere di queſti miei Eminmi. ha commandato che uſcendo alla luce ſiano prohibiti dalla S. Congregatione dell' Indice, come opere di ſuppoſto autoré & il Signore la proſperi ſempre è con-*

Multum Ill.is ac Rme. D. uti Frater.

Gaſparis Scioppii ſpiritus, nimis quàm inquieti ſunt: & videtur obſtinaſſe, ad lacerandam ſcriptis ſuis, quæ ſub fictis nominibus evulgat, PP. Jeſuitarum famam. Eorum proinde, quæ in hodiernum diem ſtudet imprimere, titulos à D. Va. huc tranſmiſſos, S. D. N. cum ſenſu diſplicentiæ vidit, & ex meorum Eminrum. Sententia mandavit, ut in lucem edita tamquàm ſuppoſititii autoris opera à S. Congregatione *Indicis* prohibeantur. Deus D.V m. proſperet ſemper, & con-

servi:di Roma li 8. *Dec.* 1635. *Di VS. Come Fratello affettionatissimo* A.C. BARBERINO.	conservet. Romæ 8. Dec. 1635. DV* tamquàm Frater addictissimus A. C. Barberinus.

Verùm hæc *Scioppium* nihil moverunt. Habent hoc obtrectatores nostri singulare, ut illos nulla Potestas in viam possit reducere. Typis apud hæreticos comparatis, hoc anno 1635. multa in unum volumen contraxit, cui nomen fecit, *Arcana Societatis cum Appendicibus utilissimis.* Appendices hæ novem sunt.

1. Monita secreta Societatis, seu secreta instructio.

2. De causis publici erga Jesuitas odii. Sub nomine Fortunii Galindi Cantabri.

3. Augustini Ardinghelli Paradoxa Jesuitica.

4. Bernardini Giraldi Patavini pro Senatu Veneto Apologia.

5. Controversia Pragensis de Carolo-Ferdinandea Academia.

6. De studiis literarum Jesuitarum ex *Mariana.*

7. Danielis Hospitalii ad Reges Principesque Catholicos Consultatio de causis, & modis Conservandæ & amplificandæ Societatis Jesu.

8. Deliciarum Jesuiticarum specimina.

9. Testimonia de Societate Jesu.

Omnem lapidem movebat sub idem tempus *Lugâni* in Helvetiorum Catholico oppido, ut ibi in lucem ederet alium, & se dig-

dignissimum partum, quem inscripserat *Infamia Societatis Iesu*, sed per Catholicum Magistratum impeditus, *Salodium* in Ditionem Venetam propè *Brixiam* venit, ubi iterum scelus perficere vetitus est, neque hoc titulo, opus illud, uspiam prodiit.

Accessit denique, quæ ultima in nos satyra Scioppiana fuisse videtur, *Alphonsi de Vargas Toletani Relatio* &c. hanc *Basilèam* edendam transmisit, posteaquàm illam prius *Lucernæ* legendam exhibuisset. Exemplarium distractionem impedire conatus est Illmus. *Farnesius* Archi-Ep. *Patrianus* apud Helvetos Apostolicus Nuntius, datis hac super re literis ad *Aloysium Morosinum*, *Lugani* Vicarium, ut appellant, *Foraneum*.

Illustre è Molto Rdo. Signore.	*Illustris & Multum Rie. Domine.*
Gia con altra mia accenai à V. S. che dovevano capitar costi in casa del POCOBELLO *due balle de libri, che da Basilèa si mandano à Milàno, è che tra essi ritrovendosene alcuni contra P P. Giesuiti, intitolati*, ALPHONSI DE VARGAS TOLETANI *Relatio ad Reges & Principes Christianos* &c. *dovessi V. S. come tratanti di mate-*	Jam alterâ meâ epistolâ Væ Dni. Indicavi, istuc in ædes *Pocobelli*, duas librorum arcas, quæ Basilèâ Mediolanum mittuntur perventuras, cumque inter eos non nulli etiam quibus titulus est *Alphonsi de Vargas Relatio ad Reg &c.* in Patres Iesuitas conscripti reperiantur; par esse DVm. animo excubare, ut eos, ceu de

rie proibite, invigilarne con la sua diligenza, per fargli sequestrare subito che fussero arrivati. Le replico l'istesso, con la presente ancora, gia che mi vien detto, che non possono tardare à comparire costa. & à V.S. per fine mi raccommando con tutto l'animo. Di lucerna li 20. *di Iuglio* 1639. *Di V.S. Illre. al servitio* FARNESI *Archivescovo di* PATRASSO.

de rebus vetitis agentes, simul ac essent appulsi, in sequestro poni curaret. Idem his literis repeto, quandoquidem intelligo, istuc haud in multò post pervehendos. Ac demum multa V æ. Dni. à me salus ex animo, Lucernæ 20. Julii 1639. V Dni. ad Favorem. *Farnesius* Archi-Ep. *Patrarum.*

Hæ cistæ, atquæ his libris refertæ, *Basilèâ* transmissæ, interceptæ fuerunt: *Gaspari Scioppio* inscriptæ erant cum hoc signo G.✠.S. vix impudens scomma est, quod in omnes Principes, Ecclesiasticos imprimis, iis foliis non eructat. Fortè dum illa levissimè inspicio, hoc in oculos insilit. pag. 109. *Dolendum est Episcopos legi ex medio Porcorum. Iustissimam dolendi, ac populi sortem deplorandi causam habent, cum Episcopos ex suilibus, aut Porcorum caulis, sive haris legi vident, qui nutriti in croceis amplexantur, stercora.*

Digna enimverò authore suo; id est impudico, & vernaculo scurrâ sententia.

His omnibus antè præmiserat *Amphotidas Scioppianas*: *Grammaticam Philosophicam*: *Mercurium Bilinguem*: *Rudimenta*, & *auctarium*

tarium Grammaticæ Philosophicæ: Dissertationem de Rhetoricis exercitationibus. Paradoxa literaria. aliaque id genus, quibus facilè pro genio arreptà occasione Societatem diversimodè criminatur, ac imprimis methodum, quam ipsa in tradendis literis observavit.

Habes *Scioppium* : cui nescio, an quæ Barbara tellus, publicis scriptis mendacem obtrectatorem alicubi similem umquàm enutrierit : indicavi edita opera, illi vivo sæpius objecta, ab eo numquàm recusata, perennia apud posteros calumniarum monumenta.

Superest aliqua de causis adjungere, quæ eum tantopere in Religionem nostram commoverint: equidem, tametsi existimem mordaces, mendacesque satyricos, non tam causis, cur mordeant, sed genio mordendi duci, accipe quæ per id tempus celebrata fuerunt judicia.

Primò igitur putant non nulli, eum insito quodam, vel potius innato odio erga Societatem flagrasse, quòd hæresi ipse met numquam satis nuntium remisisset.

Alii vero existimant affectatum ab eo jam dudum in literas Regnum, invidentiæ erga Societatem fomitem ministrasse. Notum enim omnibus fuit, quàm immodicè ille se suaque æstimet, quantoque opere universis persuasum velit, Jesuitis Musas omnes iratas esse, sibi soli à Superis eas concreditas ad custodiendum : quare cùm videret honestis Disciplinis, etiamnum in Jesuitarum scholis honorificam sedem, non sinè parte laudis esse constructam, illum de literariis

fascibus

fascibus desperasse, atque ex hac causa Societatem retortis oculis intuitum fuisse.

Fuerunt insuper ex amicis illius, qui dicerent, fateri expresſè *Amphotides Scioppianas*, aliquorum Patrum ſeu Dicto, ſeu Facto prælertim *Græcii*, atque in Italia, eum graviter offenſum fuiſſe. Hinc illæ lachrymæ.

Ac I. ajunt Romæ ipſum voluiſſe intra Collegii Germanici parietes veluti in ſtabili domicilio nidulari; cujus conatui cùm ſe P. *Bernardinus Caſtorius* illius Collegii Rector oppoſuiſſet, quia illius convictum atque conſuetudinem Germanicæ juventuti putaret minùs commodam, jam tum jacta eſſe rarum, ac vindictæ ſemina, etiam multis pòſt annis pullulatura.

II. Aiunt quoque Jeſuitarum quorumdam, editis libris bilem ei fuiſſe commotam, quando vel ea defenderent, quæ ipſe improbabat, vel ea improbarent, que ipſe defendebat. Exempli cauſa *Petrum Ribadineram* in *Principe Chriſtiano*: *Adamum Contzen* in libris *de Republica* acriùs in *Machiavellum* invehi. ejuſque Speudo-Politicem peſtilentiſſimis libris annumerare: id ægerrimè tuliſſe Scioppium, qui deleturus hanc Machiavelli maculam *Pædiam Politices* conſcripſerit.

III. His addunt accedere, eam docendi rationem à Societate obſervari ſolitam, quam ipſe ſexcentis obelis confodiendam cenſeret. Neque enim Grammaticam *Emmanuëlis Alvari*, neque libros aliorum Jeſuitarum, qui politiores literas attigerunt, ipſo judice, ſolæciſmis, & erroribus carebant:

Quum

Quum ergo idem ſummus latinitatis vindex ab omnibus audire velit, mirum videri nemini debere ſi ſuâ & Reipublicæ in tereſſe putet, Societatem ab hoc publico docendi munere removeri, & quæ in Latium Barbaries invehatur, univerſos commonefieri. In quem finem, & novam Grammaticam, præfixo *Paſcaſii Groſippi* nomine evulgandam curaverit, per *Orlandum Peſcetium* Veronenſem, qui pro meritis *Emmanuëlem Alvarum* perſtringeret

Crediderim magis, hoc aliud eum pupugiſſe: ferunt, *Ratisbonæ*, cùm ibi eſſent anno 1630. Comitia Electoralia, *Scioppium*, oblato libello ſupplici, à Cæſare, atque Electoribus ſuppliciter poſtulaſſe, ut ſibi, ob eximia in S. Rom. Imperium merita, ſtipendii loco, deinceps aliqua non levis pecuniæ ſumma, annuatim pendenda decerneretur, ex quâ, dum viveret, liberalius haberet alendi ſui ſubſidium, & adjumentum: atque ut concepto deſiderio ſperatus reſponderet eventus, hoc negotium Confeſſariis Imperatoris, & Electorum calidiſſimè commendaſſe: Cum autem ad finem procurrerent Comitia, nec tamen ipſe ſua vota videret, ſed ab hac ſpe repulſum ſe intelligeret, tum denique ſtomachum illius, jam pridem in Jeſuitas acida ructantem, everſione maximâ tentatum fuiſſe, quod crederet fruſtrationem illam tam ingentis boli, à nemine alio, niſi à Jeſuitis Confeſſariis eſſe injectam.

Atque hoc æſtu cùm agitaretur, ſuperveniſſe ſcribuntur alii, qui hominem commotiſſimum magis concitarint, caminoque ardenti

ardenti oleum offuderint. Neque id tum abs re ſcriptum eſt; Nam eodem Comitiorum tempore, *Ratisbonæ*, famoſa contra Societatem volumina ſunt diſſeminata ab iis, à quibus minimè exſpectabantur, & quæ nunc apud me ſervo: horum partibus, tantò faciliùs *Scioppius* creditur acceſſiſſe, quantò minus dubitaverit, ſi eorum cauſam defendendam ſuſciperet, promptiſſimè poſthac eſſet ab eis in menſæ aſſeclam admittendus, quorum ſalînum ſæpe ante deguſtaſſet.

Quamquàm, ut dixi, de cauſis, quæ hunc hominem exſtimulaverint, nequaquam laboro; fortè ſpontè currenti calcar addere potuerunt & maledica lingua, quæ ſua ſibi cauſa eſt maledicendi, his ratiunculis ſe potuit acuere: etenim obtrectatorum linguis, quod S. Hieronymus quoque nos monitos voluit, minimè ſufficit, iniquitatem propriam devorare, & proximos lædere; ſed quos ſemel oderunt per univerſum mundum infamare conantur, & ubique ſeminare blaſphemias.

Supereſt evincere, quod ultimo loco promiſeram, atque oſtendere, *Tubam Magnam* turpe plagium eſſe, tùm Operum maximè *Gaſparis Scioppii*, tum aliorum, illo vix diſſimilium.

Octo integris opellis tota *Tuba* componitur & intumeſcit.

1. A Pagina 281. uſque ad pag. 328. Refertur tota Epiſtola, adſcripta Illmo. *Palafox* Epiſcopo Angelopolitano: diem ſuum *Scioppius* obierat, priuſquam hæc vulgaretur, quæ data ſcribitur 8. Jan. 1649. non igitur ex eo

repetita

repetita eſt, ſed ex damnato Diario *Sancta-Morei*, ibi latina eſt in Appendice à pag. 11. uſque ad pag. 27. Gallicè reddita eſt in *Morali Practicâ* Jeſuitarum: ibi refertur tom. 4. à pag. 342. uſque ad pag. 374.

2. A pag. 329. uſque ad pag. 359. iterum impreſſa eſt tota Epiſtola *Ludovici Soteli*; hæc alteri Scioppiano opuſculo, ſive *Conſultationi F. Juniperi de Ancona*, annexa eſt: utraque prodiit ex Officina Sangeorgiana 1634. quam editionem apud me habeo.

3. A Pagina 360. uſque ad pag. 391. referuntur per calumniam fabricata *Monita ſecreta Societatis*: hæc *Scioppius* edidit anno 1635. & primam ad illius *Arcana* conſtituunt Appendicem.

4. A Pagina 392. uſque ad pag. 422. repetuntur varii libelli ſupplices, à Provinciis Societatis oblati Clementi VIII. P. M. oculatior fuit *Scioppius* quàm ut eos obtrectationibus ſuis inſereret: ipſos enim inconſideratos reprehenſores noſtros, qui libellos illos cæcè allegant, ipſi libelli redarguunt, atque condemnant. Hi omnes nullo apicè immutato excerpti ſunt, ex damnati *Mercurii Gallici* tom. 2. Impreſſo *Genevæ* anno 1630. ſervo hanc quoque impreſſionem: exhibentur autem eo libello, à Pag. 195. uſque ad pag. 230.

5. A pag. 422. uſque ad pag. 436. excurrit Diſſertatio *Fortunii Gallindi Cantabri*, *de Cauſis publici erga Societatem odii*: hæc tota quanta eſt, eſt poſt Arcana *Scioppii* ipſius Appendix ſecunda. Ipſa tamen quoque aliundè

ante eſt habita, impreſſaque, ut præfert, *Bononiæ*, Kal. Dec. 1610. proſtatque in Mercurio Gallico anno 1630 tom. 2. à pag. 329. uſque ad pag. 342.

6. A Pagina 436. uſque ad pag. 497. alteris typis data eſt *Theophili Eugenii Protocatastaſis*. Sive prima Societatis Jeſu Inſtitutio reſtauranda, ſummo Pontifici Propoſita: hæc opella nihilo diverſa eſt ab ea, quæ proximè eſt indicanda: utraque eandem ſententiam proſequitur: qui unam attulerit, ambas dederit: Paulo V. Inſcripta, à Paulo V. damnata eſt 16. Martii anno 1618.

7. A pagina 479. uſque ad pag. 510. ejuſdem cum prioris opellæ ſententia, in medium adducitur, *Danielis Hoſpitalii ad Reges Principeſque Catholicos Conſultatio de Cauſis & modis conſervandæ, & Amplificandæ Societatis*. Hæc nullo verbo immutato, eſt Scioppiana Appendix ſeptima.

8. A pagina 511. uſque ad libri finem, extenditur, & agmen claudit appellata *Archi-Epiſcopi Pragenſis cenſura Bullæ pro Erectione Academiæ Carolo-Ferdinandeæ*. Eſtque ad Arcana *Scioppii* Appendix quinta.

Hæc ſunt opuſcula omnia, quæ *Tuba* illa recenſuit, & quæ omnia alteri harpagavit. Indicavi Sentinam, ex qua fuerint educta: abſolvi, quæ initio indicaveram. Reliquum opellæ laciniæ componunt, tum ex indicatis modò Inſtrumentis petitæ, tum ex aliis nonnullis, ſed quæ tamen eoſdem habeant autores mendaces, damnatoſque: Dimidiati in Scenam prodeunt *Alphonſus de Vargas*, *Iuni-*

Juniperus de Ancona. Autor *Aulæ Ecclesiasticæ*, omnes, unus sunt *Scioppius*.

Bernardinus de Cardenas, *Didacus Collado* in Memorialibus. *Illmus. La Nuza* in Commentariis ad fictam Prophetiam Stæ *Hildegardis*. Accusatique multi è Societate vel libri, vel Personæ, eorumque Accusatores, qui omnes è toties damnata Morali Practica, ejusque combustæ cineribus evocantur.

Pistorius Niddardus : Andreas Trevisius Medicus Serenissimæ Infantis in Epistola data 24. Aprilis 1627., ex secundo Mercurio Gallico advocantur, ibi exstant pag. 325. usque ad 329. Duobus proximis majores partes sunt assignatæ : à Pag. 144. usque ad pag. 160. solus canit tertiò damnatus *Christianus Aletophilus* : à Pag. 265. usque ad pag. 278. solus auditur *Franciscus Roales*, in sua *Epiphaneia* : minores partes seu Fistulatorum sustinent, Epistola Rei, ac fugitivi, & ex Gallia profugi *Paschasii Quenelli : Diarium* damnatum *Santamorei* : *Serrius* ut ibi appellatur, *Sapientissimus* : ac denique Apologia *Huberti Gautii*.

His laciniis, quod reliquum est absolvitur: ita enimverò, si suas hìc quisque plumas repetat, moveat cornicula risum.

* Ecce autem ad hæc *Candidus* mirè excandescit: *Mendacium*, inquit, *est crassissimum (præter alia quamplurima) quod asseris te demonstrare, constanti furto, atque ex ære Scioppiano, totam Tubam conflatam esse* : * Bona verba : nescio quid loquatur : si ei oculi non caligant, videt hìc *Tubæ* suæ Anatomiam integram; & qualem

* Pag. XI·

qualem me demonstraturum promiseram: à pagina ad paginam indicavi, quid, unde sit harpagatum. Collige te quisquis es, & toto pectore incumbe, ut evincas, aut ea quæ indicavi in *Tuba* tua non inveniri, aut ipsa ad autores non pertinere à me nominatos, *Scioppium* imprimis; totam legionem tuam in auxilium advoca, ut alterutrum mihi eripiant. Certissimam Demonstrationem meam, quâ evici totam *Tubam*, constanti furto, & ex locis disertè indicatis, atque ex ære *Scioppiano* conflatam fuisse nemo umquam poterit infringere. Paginæ tuæ patent mi bone, libri *Scioppii* aliorumque, publicè pridem expansi sunt, quid tenebras soli offundere, & cornîcum oculos effundere tentas?

Notabis verò tu Lector, qui, & à me allata pervolvisti, & hic *Liberium* audis interpellantem, quid istis hominibus *mendacium* appelletur, idque *crassissimum*, ut hi quidem crassissimè loquuntur. Noli tamen iis irasci, sed inconsiderantiam libenter condona: in desperata causa vetus telum, nunc ad *Liberium* delapsum est, atque ut est apertissimum, infelicissimè.

Redeamus ad hominem: "*Scioppii* libros, ,,inquit, non exscripsit tibi invisus tubicen." *Tubicen* mihi enimverò invisus non est, qui Deum oro, ut efficiente ejus auxilio adjutus, faciat fructus dignos pœnitentiæ. Quos libros exscripserit, equidem ignoro. *Tuldenum* ex *Arnaldo* advocavit, Sanctos, Basilium, & Athanasium ex *Langio* exscripsit, aut

aut ex alio, illo juniore; *Honoratum Fabrum* exſcripſit, ex libro, quem non habebat, & Gallicè inventum apud *Quenellum*, ipſum latinitate ſuâ donavit. S. *Franciſcum de Borgia*, *Claudium Aquavivam*, alioſque ex indicatis à ſe libris exſcripſit, quales libri fuerunt numquam; ubi is quæſo, potis non fuit, *Scioppium* invenire? Dixi, quod res eſt, oſtendi quæ attulerit, indicavi ubi ad *Scioppium* pertineant; ex quo libro illa exſcripſerit, non memini; hauſerit igitur unde voluerit, per me quidem id integrum erit, ſive ea ex fontibus deprompſerit, id eſt ex Relatione *Alphonſi de Vargas*, ex *Junipero de Ancona*, ex *Infamibus Famiani*, ex *Arcanis*, ex *Appendicibus Scioppii*, ſive ex aliis quibuſcumque, quos is ignoravit ex *Scioppio* ſua eſſe mutuatos, nihil repugno: ſatis hoc habeo quod affirmavi, atque in præſentiarum denuò libenter affirmo, ex ære, impensè à me ſingulis paginis aſſignato, diviſoque, tubicinis *Tubam* efformatam fuiſſe.

Subjungitur exindè hoc alterum.

"Teſtes, ait, habet Factorum alios à ſe
" nominatos, omni exceptione majores, quo-
" rum teſtimonia inconteſtabiliter demon-
" ſtrant, reformandæ Societatis neceſſitatem
" maximam. habet celeberrimos ex Sacro Præ-
" dicatorum Ordine, *La Nuza*, *Colladum*, *Na-*
" *varete*, &c. habet ſanctiſſimos Epiſcopos *Pa-*
" *lafoxium*, *Solminihacum*, *Cauletum*, &c. habet
" B. Martyrem *Sotelum*. Habet commendatiſ-
" ſimos Germaniæ & Congregationis *S. Vanni*
" Benedictinos &c.* Hæc

* Pag. XI.

Hæc, tametſi omnia ita ſe haberent, nihil illa excerpunt ex demonſtrata à me Anatomia. Sed, ſi neſcis, quos teſtes Tubicen nominat omninò non habet: habet *Moralis Practicæ* Tomum 2m. opus ſententiâ publicâ famoſum, habet famoſi hujus operis vindicias Arnaldinas *Moralis Practicæ* tomum 3. & 4. illi omnes hos nominant, non ipſos omnes teſtes habet, qui indicantur : oſtendò ubi fert locus, aut falsò illos advocari, aut immeritò. Et quis amabo, horum omnium non ſupponitur nos accuſare? Num qui Accuſatores eſſent, iidem quoque teſtes contra nos ſurgerent, & omni exceptione majores? Ubi gentium vivimus, cùm hæc legere jubemur?

Sed is telam ſuam ducit, pergitque.

"Ex iſtis, aliiſque præclaris Autoribus "*Tuba Magna* conflata eſt, non (ut calum"niaris) conſtanti furto ex *Scioppio* de quo "Tubicini modica cura eſt. Tametſi dum "in jura Dei (qui ſolus eſt ſcrutator cordi"um) involando, de ipſo aſſeris, ex impla"cabili adversùs Societatem odio ſcripſiſſe, "quæcumque adversùs Societatem ſcripſit "(quæ cantilena ſociis eſt familiaris) in eo "ipſo, dum ipſum taliter judicas, te ipſum "condemnas de implacabili adversùs ip"ſum odio.* offendunt Tubicinis parentheſes, paucis lineis tres, & ſcriptionem implexam reddunt. Cuperem famæ ſuæ conſuleret, & calumniam vocitare diſineret, *Tubam magnam*, ex conſtanti furto conflatâm eſſe: id

* Pag. XI. & XII.

id nunc oculos habentibus eſt apertiſſimum, & erit ſemper; dedi ſingula, addidi unde eſſent deſumpta, quæ ex *Scioppio*, quæ ex aliis, ibi ſemper nominatis: non, ſi quis ſe in Vertumnum vertat, eam Anatomiam evertet umquam. Non etiam ex iſtis, quos ſupra *Liberius* appellavit, *Taba* eius coaluit, ſed ex *Morali Practica*, aut ex aliis de iis referentibus, quæ in hunc diem numquam evicerunt. Si Tubicini de *Scioppio* modica cura eſt, de hoc ego nihil indago, ero etiam liberalis ſi ita vult: credam ei de *Scioppio* nequidem in mentem veniſſe: rivulos, ut opinor, propinavit, quos ibi ſcaturire eſt opinatus, ubi illos ipſe offendit, de fonte ex quo emanarent parum ſollicitus, qui fortè in hunc puteum numquam deſcendit tam altùm: verùm hæc nihil immutant in re ipſa; in illo omnis mutatio eſt, qui à ſe adductorum propaginem ignorare modò non poteſt, ſi ipſum ante præterierat.

Quo animo erga nos *Scioppius* fuerit, ego minimè neceſſe habui dicere, dixerunt id pro me alii, imo ipſe pro ſe dixit copioſiſſimè. Ego in Jura Dei minimè involavi, illi cor apertum eſt, & interna, plana ſunt omnia, hæc ego non ſcrutor. Relictos à ſe libros, publica inſtrumenta attendi, ex his omnium gentium judicium dedi, ſæpius repetitum, conſtans, & diu communicatum: cæterà *Scioppium* non magis odi, quam Tubicinem, aut hominem mihi ignotum, omnibus res ſuas permitto; utrique à Deo precor fauſta omnia, utrique gratias habeo, quod calum-

lumniis

lumniis suis innocentiam nostram vindicaverint.

Commodè tamen meminit hoc loco, cantilenam sociis esse familiarem, ex odio scribi, quæ illos contra scribuntur, id enim de suis sibique sociis intelligere debuit, ut aliquid aliquando veri afferret. Si exempla desideret, ad manum sunt in causa Arnaldina, in vita *Arnaldi*, in Historia *Gerberonii*, in Apologiis pro *Portu Regio*, in operibus *Quenellianis*, aliisque huc facientibus : atque ne longiùs abeat, specimen aliquod habet apud se. Ego, ut ante memini, Eminm. *Albizium*, contra *Santamoreum* appellavi ; quid Tubicen ad illud reposuit? *Non est receptibile*, inquit, *testimonium Albitii*; *utpote testimonium Notorii inimici ipsius*. Hæc cantilena ad nauseam debet audiri, cum istorum hominum contumacia in scenam prodit. Sed non divertor, redeo ad id quod ultimum habet de *Scioppio*, quodque his verbis absolvit.

"Sed quæcumque tandem ratio *Scioppium* " moverit ad scribendum adversùs sociorum " multorum vitia, & mores, consequens non " est falsa esse quæcumque scripsit; cùm & " ex iis plurima testificati sint laudati scripto- " res, & ipsi met socii tantis laudibus *Sci-* " *oppium* extulerint, quamdiu non nisi adver- " sùs Protestantes, *Scaligeros*, & Philologos " scripsit. Ipse quoque Romanus Pontifex, " Imperator, Reges, Principes, tam magnifi- " cis encomiis ipsum collaudarunt. Scilicet " *Urbanus VIII.* in *Brevi* ad Regem Christia- " nissimum, *Ferdinandus II.* Imperator, *Phi-*

lippus

"*lippus IV.* Hiſpaniarum Rex, Florentiæ & "Mantuæ Duces. *Bellarminus* quoque alii- " queJeſuitæ plurimum collaudarunt Acumen " Ingenii ipſius, Doctrinam, Eloquentiam, " Zelum, Virtutem, Integritatem, Pietatem "Fidem, Prudentiam, & tam profundam in "perſcrutando exponendoque S. Scripturæ "ſenſu Eruditionem, ut non defuerint, qui "ipſi ſub hac ſcripſerunt Epigraphe, *Perillu- "ſtri Viro Gaſpari Scioppio Eruditorum. Regi.* "Ergone credibile eſt, quod mutatus ab illo "in tantum ſubitò tranſierit nebulonem, qua- "lem ipſum depingis? Verùm quidquid de "eo ſit, nec tu ſaltem probandus in eo, quod "ipſum velut notorium falſatorem depingis, "in iis quæ cum ſupra memoratis teſtibus, "omni exceptione majoribus ſcripſit.*

Quod hìc conſequens ſit, nemo non videt; *Scioppium* ſcilicet adversùs Societatem teſtimonium dicere non poſſe.; caſſa eſſe omnia, quæ illius fide nituntur; nullâ attentione digna eſſe quæ *Tuba magna* ex *Scioppio* plura repetiit, nihil contra nos bene adduci, quod ex eo ſit mutuatum. Hoc ex demonſtratione mea conſequens eſſe volui, atque etiam nunc volo; eripiat hoc mihi, qui poteſt. Si quæ *Scioppius*, cum aliis communia affirmavit, quâ parte *Scioppii* ſunt, cadunt ſe ipſis, quatenùs alios appellant, eos reſpiciunt, quibus relictum eſt onus probandi, quo quamdiu non liberant ſe, aerem verberant, & multis clamoribus proferunt nihil.

De laudibus in *Scioppium* aliquando congeſtis

* Pag. XII.

gestis dixi ego met prior, retuli enim quæ autores de eo meminerunt, quamquàm non omnes ibi indicati, historici mihi sint accuratissimi. Nihil mirum ipsum encomiis nonnumquam ornatum fuisse, idque à viris dignitate, sapientiâ juxtà ac Comitate celeberrimis, neque meritis *Scioppius* caruit semper, doctus Grammaticus: ecquis in Republica literaria vir est, qui nullâ sui parte, nullius laudem umquàm provocaverit? Ipsi Hæresiarchæ non tam infelici loco steterunt; neque enim semper errarunt, aut in omnibus. Suas itaque *Scioppio* laudes minimè invideo; hanc ei quoque gloriam totam tribuo, quod laudes suas ipse divulgaverit, & sui, se constituerit præconem admodum liberalem. Ea siquidem, quæ hìc *Tubicen* retulit, quasi illa alius pro Grammatico affirmasset, ipse *Scioppius* vulgato libello publica fecit, ipsi debet posteritas, quod illa monumenta qualia sunt, ipsius fide ad nos usque pervenerint.

Nunc, in quem virum credibile sit eum transiisse, neque interrogationibus, aut exclamationibus debet intelligi; quis fuerit, vel in quem ipse transierit, demonstrant, quæ allegavi, factis probatus est, qualem descripsi. Verùm hoc stadio libenter se eripit, & sapienter interjicit Tubicen, *Quidquid de eo sit*, ne si hìc hæreat diutiùs, omnium Nationum constantibus testimoniis fiat ludibrium. Cæterà testes omni exceptione majores nullos ego agnosco, quibuscum eadem *Scioppius* Societati objecerit, aut iisdem armis adversùs Religionem nostram pugnaverit.

rit. Proferantur probatiſſimi illi teſtes, intelligamus tabulas eorum legitimas, locus notetur in *Scioppio* ubi eadem fuerit proſequutus.

At tu Lector, pauxillùm ſubſiſte : putaſne tu quæ nunc legimus, & quibus ego reſpondi, *Candido* Autore ſcripta fuiſſe? Credîſne eum hæc excogitaſſe, ut ex tota mea de *Scioppio* diſſertatione, aliquid viſus eſſet arripuiſſe, in quod vagum telum jaceret? Exiſtimas tu, illum aliquâ eruditione collegiſſe magnorum Virorum nomina, qui de Grammatico aliquando benignè ſenſerint? Falleris tu quidem, ſi horum aliquid tibi perſuadeas : nihil eſt in his omnibus quod ad *Candidum* pertineat, præter idioma, hoc totum quantum eſt, totum ipſius eſt, & ipſo dignum. Vis ut evincam apud te, *Tubicinem* noſtrum aliquid ultra *Tubam* ſapere, & interpretis Provinciam poſſe ambire? vis ut eadem ipſa, quæ nunc ex eo audivimus, tibi Gallica recitem, & majori lepôre concinnata, editaque ab annis amplius viginti quinque, cúm publicus liber eſſet hoc titulo, *Defence de nouveaux Chrêtiens* &c. *edition ſeconde*, in quo libro, de *Scioppio* incidens fuit paucis lineis abſolutum; eccur me reſpicis? Ecce tibi *Arnaldum* teneo, & *Tubicinis* officinam *Moralem Practicam*, tu Latina recole, ego Gallica legam, ſic habent.

Qu'à à faire Gaſpar Scioppius, *avec l'auteur de la* Morale Pratique *qui ne l'a point nommé.*

Si le Moraliſte *à eu des Predeceſſeurs ce ſont ceux*

ceux qu'il a suivis & dont il a rapporté les pieces. C'est le bienheureux Martyr Sotêlo, *c'est le sçavant & zele Missionaire* Diego Collado *Religieux de l'Ordre de St.Dominique, c'est le saint Eveque* Dom Jean Pallafox, *ce sont les Benedictins d'Allemagne de* St. Vanne.

Voila les veritables predecesseurs de l'auteur, ... non point Scioppius ... *on n'a aucun interest à la reputation de* Scioppius *bonne ou mauvaise ... Etes-vous scrutateurs des cœurs pour decider hardiment, que çà été par un haine implacable contre les Jesuites que* Scioppius *a parlé en divers livres fort desavantageusement de votre Societé?*

Quelque motif qui ait porté Scioppius *à écrire contre vous, s'ensuit-il que vos adversaires n'en aient point eu d'autre .... il faut remarquer que tant qu'il n'a attaqué; que les Protestans, les* Scaligers, *& les Philologues, vous l'avez comblé de louanges ... il a fait imprimer un petit livre en* 1636. *ou pour se defendre contre ceux qui le dechiroient, il rapporte un* Bref *d'*Urbain VIII. *au Roi Tres-chretien, qui lui est fort honorable : & d'autres lettres de l'Empereur* Ferdinand II, *du Roi Catholique* Philippe IV, *des Ducs de Florence & de Mantouë. Et des Temoignages fort avantageux du Cardinal* Bellarmin, *& de beaucoup d'autres Jesuites, qui louent son esprit, sa Doctrine, son eloquence, son zele, sa vertu, son integritè, sa pieté, sa foi, sa prudence, sa sagesse, & sa penetration dans le sens de l'ecriture, qui font profession de l'admirer comme un homme celebre par toute la terre, & qui l'appellent le Roi des sça-*

sçavants : Perillustri viro Gaspari Scioppio Eruditorum Regi.

Hæc Tomo 3. *Moralis Practicæ* edito anno 1689. totidem verbis leguntur dispersa, paginis, 92, 93, 94, & 95. Hæc omnia sunt, quæ *Tubicen* pro se attulit, homo semper pauperrimus, & mendicato victitans, sive in accusatorem erigat se, sive pro se ipso dicere studeat: mitto notare, quod etiam in re sua, *Arnaldica* reddiderit infideliter, atque imprudentiùs. Sibi certè, quam in alium jacere voluit, scriptam hanc periodum esse intelliget; "Nullâ factâ mentione eorum, „quæ *Arnaldus* Tom. 3. *Moralis Practicæ* pro„tulerat, nihil morans jam dudum dicta, „antiquas cavillationes, ut novum ingenii „sui fœtum producit. Verùm ego ad *Scioppium* revertor.* Et quia ex ipso pleraque mutuata esse, omnibus intelligere volentibus certissimum est; tametsi Lector ultra ignorare non possit, quanti *Scioppius* fieri debeat, juvat paucissimis exemplis omnes Commonefacere.

1. Ad quàm inepta ipse descendat.
2. Quantis mendaciis.

Primò itaque in Relatione *Alphonsi de Vargas* cap. 7, pag. 22. scribit in hæc verba:

„Usque eò Jesuitæ de igne suo placent, ut „Pyrotechnicam, id est artem ignes missiles „conficiendi, eorumque Jaculatione, Do„mibus, & civitatibus incendia, & confla„grationes inferendi, velut Ignatii sui non „minùs menti & instituto, quàm nomini con„sentaneam profiteri audeant. In qua quan„tum

„tum profecerint, Ill.mi. Principis Landtgra-
„vii Lichtenbergici filius, si minùs oculatus,
„saltem exoculatus testis esse potest; is e-
„nim cùm superioribus annis apud Jesuitas
„educaretur, & ludos eorum in honorem
„Ignatii nuper consecrati seu Canonizati
„actos spectaret, ejusmodi missilis ignis
„ictu alterum oculorum amisit. Unde
„hominibus dicacibus, joci nata occasio,
„ut dicerent, alios Divos in festivitatibus
„suis cæcos illuminare, sed Ignatium viden-
„tes excæcare.

Ne hæc Consiliario Imperatorio, ac Regio, & Senatoriâ togâ digna memoria est!

Quid pueri cantent, recinant cum talia Patres? Sed accipe non minùs mendacem, quàm ineptum; & publicum testimonium quod eum Calumniæ convincat. Dederunt hoc Ingolstadii 1636., 27. Oct. Rector, Cancellarius, aliique Professores Sæculares Electoralis Universitatis Ingolstadiensis, quo ita pronuntiant.

„Nos &c. Publico hoc testimonio palàm fa-
„cimus, ac testamur," Illmi. S.R.I. Principis
„Landtgravii *Lichtenbergici* filium *Guilel-*
„*mum Fredericum*, anno 1626., 14. Jan. re-
„cens profectum Universitatis nostræ Ma-
„triculæ inscriptum: posteà verò eumdem
„juniorem Landtgravium anno eodem in
„festo Nativitatis *S. Joannis Baptistæ*, dum
„ignem antiquo more hujus diei excitatum
„spectavit, pyrobolis exilientibus, casu ta-
„ctum, & altero oculo læsum fuisse: nec
„eum ignem in honorem *S. Ignatii* Confes-
„soris

"foris *Societatis Jesu* Fundatoris, aut ejusdem Canonizationis, sed in atrio *S. Ignatii Episcopi*, & *Martyris* pro more temporis, & lætitia ejus diei, à Convictoribus tunc præsentibus, inter quos educabatur junior Dominus Landtgravius, excitatum esse; illos verò, de quibus *Vargas* ludos 1622. in honorem *S. Ignatii* Conf. & *Societatis Jesu* Fundatoris, tunc Canonizati, in Vere exhibitos esse, annis amplius tribus ante adventum Landtgravii junioris *Ingolstadium*, quibus neutiquam interfuit, ac proinde hanc prædicti Domini Landtgravii læsionem, non nisi malevolè in *S. Ignatii* Confessoris, aut cujusdam alterius Sancti irrisionem trahi posse: neque verum esse, quod ex hac Illmi Landtgravii læsione ulla occasio nata sit joci in *S. Ignatium* Conf. à *Varga* allati: quem quidem jocum nemo umquam *Ingolstadii*, aut excogitavit, aut edixisse huc usque auditus est: denique ea, quæ de Pyrotechnica Jesuitarum Ingolstadiensium adferuntur, fabulosa esse, nec apud ullum honestum, verique amantem posse fidem movere contra apertam veritatem, quâ nobis constat, nullam talem Pyrotechnicam à *Varga* descriptam, Societatis Jesu Religiosos hìc profiteri, & exercere, aut umquàm exercuisse, & professos esse; ad cujus nostræ assertionis, ac Testimonii robur, Universitatis nostræ sigillum est appensum, cum Subscriptione Notarii jurati ejusdem Universitatis. Datum *Ingolstadii*, Anno salutis 1636. die 27, Oct.

2.

2. Pronuntiat *Gaſpar Scioppius*, in Anatomia pag. 9. "Neminem in Dei gratia eſſe poſ-
"ſe, nec veniam, ſive peccatorum Abſolu-
"tionem obtinere, niſi per Jeſuitas: addit pag.
"20. *Æniponti* Leopoldo Archiduci Jeſuitas
"perſuaſiſſe, ut Conſiliarii, Cubicularii,
"omneſque omninò aulæ ejus familiares,
"ſolis Jeſuitis utantur Confeſſariis, nec ad
"Franciſcanos, aut aliarum Familiarum Re-
"ligioſos, veniæ, & Abſolutionis petendæ
"causâ accedendi jus habeant. Ac pag. 11.
"Et Archiducem quidem, iſti Phariſaico ho-
"minum generi, Jeſuitis plus æquo obno-
"xium, ſuis jam edixiſſe, ut Confeſſionis
"peccatorum faciendi causâ ad neminem,
"niſi ad Reverendos Patres Societatis Jeſu
"ſeſe conferre animum inducerent.

Bellè profectò! atque ut nugatorem, & ſycophantam imprimis decet: ſed more ſuo mentitur, & mendacii teſtes ſunt inſtrumenta: ac 1. Senatûs Auſtriaci, quo ita declarat: „Nos N. Hæredum à quondam Sere-
„niſſimo Archiduce Leopoldo relictorum tu-
„telares Præſes, Cancellarius, Regentes, &
„Conſiliarii Superioris Auſtriæ Provinci-
„arum &c. Habito diligenter temporum,
„Scriptorum, Perſonarumque examine ac-
„curatè indagavimus, an tale aliquid um-
„quam, vel à Glorioſiſſimo Principe Man-
„datum, actitatum, vel ab ipſa met Socie-
„tate ſuggeſtum fuerit: ſed manifeſtò com-
„perimus criminationi huic non modo ſcrip-
„turas, tempora, perſonaſque, verùm etiam
„contrarium quoque Aulæ *Ænipontanæ*

„con-

"conscientiæ moderatoribus libertatem penitùs refragari. Facimus proinde fidem "indubitatam, ne levissimum quidem ejusmodi suggesti consilii, seu (ut autor loquitur) *Monopolii Jesuitici* vestigium usquàm "reperiri, multò minùs à Serenissimo Archiduce tractatum umquàm mandatumque "fuisse, ut Aulici nullos conscientiarum "suarum haberent arbitros, & moderatores, "nisi Jesuitas, adeoque criminationem istam "falsam esse oportere, idcirco publicas hasce "literas stabiliendæ, roborandæque veritati, "solitâ sigillorum, & chirographi appositione "munitas esse voluimus. Datæ *Æniponti* 3. "Kal. Feb. Anno 1634.

"B. C. *in Wolchenstain* Reg. Præf.

"G. *Bienner* Cancell.

"Joan. *Werndle* D. M. P.

"P. *Starck* M. P.

Præter Illm. Senatum Austriacum, de eâdem calumnia testati sunt. 1. RR. PP. Servitæ.

"Quod Serenissimus Archidux *Leopoldus* "felicissimæ memoriæ non ita pridem suis "Cubiculariis, & Consiliariis, ne apud alios "Religiosos, quàm apud solos RR. PP. So"cietatis Jesu confiteri debeant peccata sua, "uti spargitur, edixerit, testantur RR. Pa"tres de Capitulo *S. Josephi*, Ordinis *Servorum B. Mariæ Virginis*, Deo, & conscien"tiâ suâ testibus, se nihil umquàm ea de re "inaudivisse, imò ab aliquot retro annis, "non nullos ex prædictis Serenissimi Princi"pis Cubiculariis, & Consiliariis, nostris "Patribus constanter confessos esse; in cujus

"rei fidem communi Conventûs figillo appo-
"fito, propriâ manu ex officio noftro fub-
"fcripfimus *Æniponti* in Conventu noftro
"*S. Jofephi* die 30. Sept. 1633. ita eft F. *Vin-*
"*centius Maria* Prior ibid. M. P.

"Ita eft. P. F. *Hieronymus Maria Stauber*
"ejufdem Ordinis *Servorum B. Mariæ Virg.*
"Sacerdos, & Capituli pro tempore Secret.
"M. P.

Tum hoc fuum prætereà adjunxerunt RR. PP. Capucini.

Nos Capucini de Familia *Ænipontana* præ-
"fentibus unicè atteftamur, nos de *Mono-*
"*poli* Jefuitici fpecimine, quod quidam
"RR. PP. Societatis Jefu *Æniponti* factum
"adfcripfit, nihil umquàm nec audiviffe nec
"fciviffe, nec etiamnum fcire; imo contra-
"rium in Aula factitatum conftare. Datum
"& munitum figillo loci hujus *Æniponti* 5.
"Oct. Anno 1633.

"Fr. *Jo. Bapt. de Ala* Capuc. & Guard.
"Indignus M. P.

'Fr. *Joseph. Ænipontanus* Capuc. Indig: M. P.

Fr. *Anacletus Hagenfis* Capuc. Indignus M. P.

Aliud verò teftimonium in hæc verba dederunt RR. PP. Francifcani.

"Quum ad noftras ex certo quodam fcrip-
"to (cui titulus *Anatomia Societatis*) perve-
"niffet aures, Sereniffimum Auguftiffimæ me-
"moriæ *Leopoldum* Auftriæ Archiducem &c.
"fuis quondam Aulæ Proceribus, Camerariis
"atque Cubiculariis inhibuiffe, ne quis Reli-
"giofis ullis, præterquam Patribus Societatis
"Jefu, fua confiteretur peccata, id autem veri-
"tatè

"tati directè contrarietur, nullâ hac de re um-
"quam mentione à Sereniſſimo Archiduce
"P. M. factâ. Ea propter literis hiſce ad om-
"nem deinceps ambiguitatem tollendam, te-
"ſtatum omnibus, ac ſingulis volumus, aſſer-
"tum *Anatomici* illius de Confeſsionibus
"Aulicorum, ac Procerum à PP. dumtaxat
"Societatis Jeſu excipiendis, inane, vanum,
"ac merum eſſe figmentum, quum planè
"conſtet reipsâ contrarium à multis Aulæ
"Magnatibus, & ante hac factitatum eſſe, &
"adhuc fieri. In cujus rei ſinceram fidem,
"& Syngraphum hoc communi noſtro Pro-
"vinciæ *Tyroli:* Sigillo muniri curavimus.
„Actum Æniponti in Conventu noſtro
"Cæſareo 2. Martii 1634.
"Fr. *Hen. Sifridus* Ord. S. Franciſci Diffin.
"Gen. Provin. *Tyrolis* M. P.
"Fr. *Hieron. Strambacher* Guard. *Æniponta-*
"*nus*, & Diffin. M. P.
"Fr. *Aug. Fetſcher* Ord. S. Franc. Fribur-
"genſis Guardianus.
"Fr. *Joes. à Cruce Nova* Lector, Affirmo,
"ut ſupra.

3. In eâdem Relatione *Alphonſi de Vargas*, neſcio quæ non furens, vix pueritibus digna crepundiis evomat in *Laurentium Forerum* Illmo. Epiſcopo Auguſtano à Confeſſionibus: deliras Accuſatoris reprehenſiones repetierunt juridica Inſtrumenta, quæ ſingulas mendaces eſſe comprobarunt.

Ac 1. Illmi Epiſcopi Vicarius Generalis ſuis verbis, teſtatus eſt in hunc modum.

"*Gaſpar Zeillerus* S. Theologiæ Doctor
"Vicarius Reverendiſsimi Principis ac Do-
"mini,

"mini, Domini Episcopi Augustani in Spi-
"ritualibus Generalis, omnibus, ac singulis
"Notum facimus, quod ex parte Reverendi
"in Christo Patris *Laurentii Foréri* Societa-
"tis Jesu, Doctoris Theologi, nobis expo-
"situm fuerit, quod quidam calumniator sub
"conficto nomine *Alphonsi de Vargas* librum
"quemdam calumniis, ac convitiis plenum,
"Sanctæ Sedi Apostolicæ, & Curiæ Romanæ,
"Augustissimo item Cæsari, Principibus, &
"Episcopis Catholicis, aliisque Ordinibus
"Ecclesiasticis maximè injurium, per quas-
"dam Europæ, potissimum verò Germaniæ
"Provincias sparserit, in eoque etiam dicti
"Patris *Foréri* nomen atrocissimis calumniis,
"confictis criminibus, talibusque mendaciis,
"quæ honestæ aures exhorrent, Nosque ve-
"luti falsissima scriptis inserere nostris dubi-
"tamus, impudentissimè obscurare, & Orbi
"facere suspectum malitiosè laboraverit. Quæ
"licet contra hunc Patrem ob libros pro
"defensione Ecclesiæ Catholicæ cum laude
"conscriptos, vitamque Religiosam omni-
"bus notam apud bonos & prudentes, maxi-
"mè autem eos, qui actiones, & mores ip-
"sius quotidie intuentur, nullam prorsus re-
"pertura sint fidem, virtusque ipsius absque
"ullo alio patrocinio per se satis defensa
"consistat nihilominus tamen Nos Inno-
"centiæ, & veritatis amore ducti, contra
"calumniatores ejusmodi, in hac communi
"Patriæ nostræ calamitate, pro innata men-
"tiendi libidine, & invidiâ impunè quidli-
"bet audentes, fidelem hunc Ecclesiæ Ca-
"tholicæ propugnatorem, nostro etiam testi-
monio

„monio, ab his mendaciis ex officio vindi-
„candum esse duximus. Cùm itaque prope
„viginti annis, quibus, & Ingolstadii, & Dilin-
„gæ Philosophiam, ac Theologiam magnâ di-
„ligentiâ docuit, atque Illmi. Revmi ac Cle-
„mentissimi Principis nostri Confessarium
„egit, vitam, actionesque Religiosi hujus
„Doctoris satis perspexerimus, ex iis nihil
„aliud, quàm ardens honoris Divini ubique
„promovendi studium, flagrantem animarum
„ex Hæresi, & peccatis ad salutem redu-
„cendarum zelum impigerrimum, in ad-
„versa semper valetudine scribendi laborem,
„temperantiam, virtutes denique eas, quæ
„Religiosum Societatis Jesu decent, semper
„advertimus. Quo circa manifestum est,
„crimina, quæ infamis calumniator sub
„larva *Alphonsi de Vargas* contra innocentem
„hunc Societatis Jesu Doctorem impiè com-
„miniscitur, non nisi apud eos, qui Inno-
„centiæ hostes sunt, fidem esse repertura:
„quæ omnia pro merissimis figmentis, libi-
„dinosis mendaciis, & impudentissimis ca-
„lumniis gravissimâ pœnâ mulctandis haben-
„da esse ducimus, & hâc nostrâ publicâ
„attestatione pronuntiamus, omnes, ac sin-
„gulos ex officio obtestantes, ut huic tam
„impudenti Criminatori, in Innocentissimi
„cujusque famam grassanti aures non præ-
„bere. Sed memorati Patris Innocentiam,
„ut Christiana charitas, æquitasque ipsa postu-
„lat, juxta veritatem, velut æquissimi æsti-
„matores judicare velint. In quorum om-
„nium fidem has literas officii nostri sigillo,
„&

"& propriæ manûs ſubſcriptione munitas
"fieri curavimus. *Auguſtæ* die 30. Oct. Anno
"1634.

"Gaſpar *Zeiller D.*

"Gregorius *Fauler* Rmi. Epiſcopi Augu-
"ſtani Fiſcalis, & Conſiſtorii ejuſdem jura-
"tus Notarius in fidem ſubſcriptorum ſub-
"ſcripſit.

Ampliori relatione, & quæ tam Accuſationum Capita, quàm refutationem complecteretur, hac ſuper re Teſtimonium ſuum dederunt Cancellarius, & Conſiliarii Epiſcopi Auguſtani his verbis exaratum.

"Nos Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi
"Principis & Domini *Henrici* Epiſcopi Au-
"guſtani Cancellarius, & Conſiliarii, ex offi-
"cio, veritatis, ac Innocentiæ defendendæ,
"Notum omnibus facimus, exhibitas nobis
" eſſe injurias, & calumnias cujuſdam *Alphonſi*
" *de Vargas*, Relationi ad Reges ac Princi-
"pes Chriſtianos inſertas, adversùs *R. P.*
"*Laurentium Forerum*, Societatis Jeſu The-
"ologum ſcriptis ſuis adversùs Hæreticos
"clariſsimum, & memorati Illuſtriſsimi ac
"Reverendiſſimi Principis Domini noſtri
"Clementiſsimi confeſſarium, quæ hiſce
"punctis continentur. 1. Occultò in Aulam
"ex Collegio commeatu, ſeu tranſitu ad li-
"centiam abnoctandi, & foris tum pran-
" dendi, tum cænandi, ipſum abuti. 2. Car-
"nibus electiſſimis per omnes dies eſuriales,
"aut piſculentos totius anni ventrem im-
"plere, & Eccleſiæ jejunia ſolvere. 3. Po-
"tu meri exotici, & ab extremis uſque Ga-
"dibus

„dibus advecti, eum ætatem irrigare, & venas „inflare, nec quidquàm in his, quâ fami- „liarium, & Catholicorum, quà Protestan- „tium scandalo moveri. 4. Pharmacopœum, „antequam nomen Societati dedit, fuisse, „indeque medicinæ plusculum studii impen- „disse, ac etiamnum ad curam corporis, „tuendamque sanitatem plus æquo esse at- „tentiorem.

„5. Non temerariam esse suspicionem, „ipsum Diabolo uti medico, & medicinæ „magistro. 6. Ob hanc vivendi rationem „cujuscumque libidinis & nequitiæ, cujus „et in aula copiam suppetere appareat, sus- „pectum haberi posse. Quæ etsi talia sint, „ut eorum suspicio in illum, quo tot annis „Princeps noster conscientiæ suæ modera- „tore usus est, omnium, qui illum norunt, „sententiâ, cadere non possint. Nos tamen, de „præfati *R. P. Laurentii Foreri* plurium an- „norum familiaritate, cohabitatione, visu, „& auditu testes idonei, has meras esse ca- „lumnias testamur, & tantam in hoc sæculo „Innocentibus maledicendi esse licentiam „deploramus. Primò enim præfatus Pater „non occultâ, cùm nulla talis in rerum „natura existat, sed publicâ ad Aulam gra- „ditur via, & ex mandato Superiorum suo- „rum, ad instantiam Illustrissimi Principis „senio, & labore fracti, in Aula, non ali- „bi, ab aliquot annis cibum sumit, & per- „noctat, quâ ratione plures alii Principes „ex diversis Religionibus Confessarios, & „Theologos non numquàm secum habent.

2.

„2. Jejunia Ecclesiæ carnis esu, cùm ex „febri hectica, & pectore gravissimè laboraret, antehac ad tempus solvit, Medicorum consilio, Superiorum voluntate, & „valetudinis servandæ necessitate; nunc à „quinque annis, amplius utcumque restitutus, à carnibus prorsùs abstinet, cùm „abstinendum est, neque antea illis, nisi „parcissimè, diebus vetitis utebatur, & privatim dumtaxat, absque ullius offensione. „3. Vinum peregrinum, & exoticum non „adhibet, sed omnes novimus, & oculati „testes sumus, illum dumtaxat hisce locis „consuetum, & facilè parabile, idque ab „ipso met in ipsa mensa aquâ dilutum pota-„re: ut proinde falsum sit, sive familiares, „& Catholicos, sive Protestantes ullos ju-„stam offensionis materiam in hac victûs, & „cibi, potûsve ratione, umquàm reperisse, vel „repertos esse. 4. Innocentissimam pharma-„copæi artem, si olim sub cura parentum „didicit, nemo vitio vertere potest, quod „in Religione oblitus non sit, sed eam mo-„deratè, exercitii, & animi recreandi causâ „in colligendis herbis salutaribus, commu-„nibusque medicinis parandis subindè exer-„ceat, cum magno familiarium, & paupe-„rum maximè commodo, uti proximis exilii „annis, cum Medici, & medicinæ defice-„rent, sæpius re ipsâ ostendit. 5. Quæ de „diaboli operâ & magisterio, *Vargas* adjun-„git, curanda non sunt, nulli enim viro „integræ famæ, scelerum ejusmodi suspicio „gratis objici debet. Testamur tamen dictum „Patrem

„Patrem, quamdiu nos illum novimus, nul-
„lam umquàm occasionem dedisse, ob quam
„cuiquam potuerit de tam atroci Magiæ cri-
„mine vel minimùm esse suspectus, sed ab
„omnibus semper fuisse pro viro Religioso,
„Deum timente, & amante, diaboli verò
„diabolicæque artis hoste habitum, & lauda-
„tum. 6. Denique libidinis, & nequitiæ notam
„de suo affingit idem *Vargas*. Nemo sinistram
„de integerrimo hoc viro suspicionem um-
„quàm concepit, cujus Religio, Zelus, &
„commodorum, cultûsque corporis negle-
„ctus, nullum, nisi castæ mentis præbent
„argumentum. Neque vel ipsi, vel cuiquam
„alteri in Aula Illustrissimi Episcopi Augu-
„stani, libidinis, aut nequitiæ copia suppe-
„tere potest, ubi, ut omnis sceleribus rima
„occludatur, pro viribus laboratur. Quàm
„non blandè teneriorem ætatem tractet sæpè
„memoratus Pater, id argumento est, quod
„omnes seu nobiles Ephebi, seu alii adoles-
„centiores Ministri, illum veluti rigidum
„disciplinæ, probitatis, industriè exactorem
„semper reveriti fuerint, & nullum impro-
„bæ suspicioni locum, mores illius omnibus
„noti relinquant. Quibus breviter pro defen-
„sione Innocentissimi Patris publicâ nostrâ
„Attestatione confirmatis, manifestum est
„nullum hisce calumniis fidem tribui debere,
„vel posse. Quod Testimonium veritatis,
„Innocentiæque ex officio elargiti sumus, &
„consueto curiæ Episcopalis sigillo robora-
„vimus. *Dilingæ* 17. Oct. anno 1639. *Mat-*
„*thæus Wanner D.* Cancellarius subsc:

„*M.*

„*M. Joannes Keſſler* Cancellarius ſubſc.

Hujus generis plura in promptu ſunt, ſed tædet diutiùs his immorari: habes *Scioppium* leviſsimum accuſatorem, atque mendacem, ac talem publicis, aptiſque Inſtrumentis declaratum; ſcies proindè, quantum ab eo allatis credi poſsit, aut tribui, quem leges ſanxiverint eſſe inteſtabilem. * Ignoravit de his, credo, *Arnaldus*, cùm in *Morali* ſua ſcriberet Tom. 3. pag. 96. *Il faudroit que vous l'euſſiez convaincu de fauſſetê par ſept ou huit exemples bien verifiez, pour avoir droit de vous faire croire, lorſque vous l'appellez le plus furieux calumniateur qui fut jammais.* Confeci, ut exiſtimo, quæ vellet; habebunt igitur *Arnaldini* quibus poſt heroëm ſuum hic acquieſcant; ſcientque me eviciſſe, quod ſuſceperam. *



CA-

CAPUT TERTIUM.

Per imposturam, & calumniam citatur adversùs Religionem Societatis Epistola S. Francisci de Borgia.

Falsò item, & ineptè, Claudius Aquaviva, in Industriis: *Epistola* Mutii Vitelleschi: Monarchia Solipsorum *adscripta* P. Melchiori Inchofer: *& liber, Imago Primi saculi.*

AD Domesticos testes provocant adversarii nostri: nihil miramur, quò enim illi non penetrant, quid non excutiunt?

S. Franciscus de Borgia, inquiunt, Prophetico spiritu, in Epistola, *ad Patres & Fratres Societatis*, in hunc modum pronuntiavit. *Veniet tempus, quo se Societas multis quidem occupatam literis, sed sinè ullo virtutis studio intuebitur: in qua tunc vigebit ambitio, & sese efferet solutis habenis superbia, nec à quo contineatur, & supprimatur habebit, quippe si animum converterint ad opes ... Intelligent illi se quidem ... opibus affluentes, sed omninò virtutum copiis destitutos ... Atque utinam jam non ante hoc totum experientia ipsa sæpius testata docuisset.* Hæc addunt se excerpere ex Epistolarum Generalium editione Iprensi vulgatâ anno 1611. Dignum his autoribus exordium, & digna Calumniatoribus impostura. Unam

Unam Epistolam scripsit S. Generalis, non ad *Patres*, & *Fratres Societatis*, *sed ad PP.* & *FF. Provinciæ Aquitaniæ*. Hâc Epistolâ numquàm illa significavit, & qualia referuntur absoluta: materiam scriptionis Sanctus Præpositus sibi elegerat, *de Mediis conservandi Spiritum Societatis*, & *Vocationis nostræ*. Enumerat artes Callidissimi hostis, quibus, & Spiritus ille, & vocatio in discrimen adduci possint: has inter artes collocat minorem attentionem in admittendis ad Tirocinium. affirmat pluribus malis aditum aperiendum, si Moderatores minùs perpendant, quos, quare, Religionis Tirones recipiant: accipe genuina verba Italica, qualia typis Romanis sunt edita anno 1606., addo versionem latinam ibidem vulgatam anno 1615. sic sonant.

Ancorche per molte vie & diverse inventioni può nascer la zizania nel nostro campo, non dimeno una delle principali cagioni s'ha da tener che sia la poca cura, che si tenesse in non osservar lo spirito delle Constitutioni nel ricever de soggetti; perche s'inquesto si procede con intentione diversa da quello que si ricerca nelle Constitutioni, senza dubio è la porta della perditione: perche se in cio si havesse sola-

Cum ergo in Campum nostrum zizania multis ac variis modis per fraudem induci queant, eo tamen ex capite maximè formidarem, Si *minimè nobis curæ esset Spiritum nostrarum Constitutionum retinere in admittendis ad Societatem nostram hominibus*: nam si aliâ intentione procedatur, quàm quæ à nostris Constitutionibus requiritur, certissimæ ruinæ porta ape-

mente riguardo alle lettere, ò ad altra habilità, senza considerar la vocatione, e lo spirito, certamente che si troverà la Compagnia col tempo ben piena di molti huomini, ma senza spirito. Donde ne nascera ambitione, & superbia senza modo di raffrenarla: Poi se guarderanno alla roba, ò a parenti, si troveranno r[illegible]e danari, è pover[illegible]irito, & sode virtu. [illegible]esto dunque sia il primo auvertimento & pongasi in capite libri: *Affinche non si faccia cognoscere l'esperienza quello, che l'intelletto ha per dimostratione, e piacesse à dio che non l'avesse alcuna volta mostrato l'Istessa esperienza.*

rietur. Sanè Si nullâ habitâ ratione, vocationis, & spiritûs, quo quisque impulsus accedit, literas modò spectemus, & alia exteriora talenta, ac dona; veniet tempus, quo se Societas multis quidem hominibus abundantem, sed spiritu, & virtute destitutam mærens intuebitur: unde existet ambitio, & sese efferet solutis habenis superbia, nec à quo contineatur, & supprimatur, habebit. Quippe si animum converterint ad opes, & cognationes, quas habent, intelligent illi se quidem propinquis, & opibus affluentes, sed solidarum virtutum, ac spiritualium donorum copiis egenos, ac vacuos. Itaq. hoc primum esto Concilium, & in *Capite libri* scribatur, ne tandem aliquando experientia doceat, atq. utinam nondum docuisset, quod mens demonstratione concludit.

Hæc in apertum adducunt Accuſantium turpe conſilium, & malevolum animum quàm qui maximè: toties repetita, ſemper eſt prætermiſſa conditio, quæ omnem ſenſum explanat; obtruſa malignè prophetia tam pellucidum eſt mendacium, ut nullius oculos fugere poſſit: quid ni etiam Hæreticus ſcribat, Prophetam affirmaſſe ſimul omnes eſſe perituros, tam enim hoc dixit Propheta admonitione ſuâ *niſi Pœnitentiam egeritis, ſimul omnes peribitis*, quàm abſoluta illa de Societate enuntiaverit *S. Franc. de Borgia.*

Eamdem hanc ſtolidè fabricatam Prædictionem, eâdem calumniâ *Artibus ſuis* inſeruit toties damnatus *Chriſtianus Aletoph*[illegible] inter locos communes Accuſationu[illegible]llocata videtur, adeo pridem reprehe[illegible]ribus noſtris eſt familiaris.

Editio Iprenſis, & ad quam eruditè enimverò appellant, neglectâ Romanâ genuinâ, & antiquiore, neque ipſa conditiones illas prætermiſit. Spuria eſt tamen in multis, & nullâ prodiit authoritate: ſenſibus ſcatet hiulcis, & barbaris: titulos fingit pro arbitrio: Epiſtolam refert S. P. N. Ignatii ad *FF. Studioſos Conimbricenſes*, qualis nulla lecta eſt umquàm.

S. Franciſco de Borgia adjungitur *Claudius Aquaviva* quintus Societatis Generalis, in libro, qui inſcribitur, inquiunt, *Induſtriæ de curandis Societatis morbis.* Hæc altera eſt impoſtura: librum ejuſmodi *Aquaviva* conſcripſit numquàm: titulus ille mendaciter confictus eſt, nihil ille præfert de *Curandis morbis*

-*bis Societatis*: liber ille hunc indicem habet *R.P. Claudii Aquaviva S.J. Præp. Generalis Industriæ pro Superioribus ejusdem Societatis ad curandos* ANIMÆ *morbos*. Ad omnes *Animas* ſpectant, quæ hæ Induſtriæ proſequuntur: earum omnium morbis tollendis, aut certè minuendis, opportuna probataque præſcribunt, & quæ adverſariis utilia eſſe poſſint; ea imprimis, quæ præſcribunt *de Pertinacia & duritie Judicii*, *de conſcientia minimè timorata*, *de perturbatione pacis &c.*

Tertius, veteri plagio adfertur *Mutius Vitelleſchus*: utrumque, utriuſque Generalis teſtimonium pari fide objectum fuit *in Actione Perduellionis* à pag. 62. & in *Anatomia* pag. 9. Romæ Damnat. 23. Aug. 1634. Quod ſi tamen hæc omnia, & primò, & ex vero referrentur, quis ignorat, in ejuſmodi ſcriptionibus ſenſum minùs eſſe Hiſtoricum, quàm exhortatorium, aut admonitorium: in SS.PP. Homiliis, in Sacris Literis, in obviis Quibuſcumque frequentiſsima eſt *Syllepſis*.

* Oſtendi in *Reſponſo prævio*, quos errores ſuos *Candidus* emendaverit in referendis ſcriptis S. *Franciſci de Borgia*, & R. P. *Claudii Aquaviva*: optaveram, ut plura emendaret conſtanter: hìc antiquùm obtinet, prætermiſsis quibus eum reſpondere oportuerat, de plagio, de Fide operum damnatorum: ait pag. 10. *Inſultè* à me animadverti *Sylepſim* hic eſſe; quo liberam dictionem ſuam ſtabiliat, verbum non affert. Quod ſcripſi, Catholicis omnibus certiſsimum eſt, neque hæreticus fuit, qui ita inſaniret, ut SS.PP. Homilias

milias, Historias esse vellet: adeò proinde insulsa hæc est, & inaudita *Tubicinis* Notatio. *

Quamquàm quid est, quod ex iis authoribus tantoperè ad rem suam facere posse existimant? *Sæcularitas*, inquit, *Aquaviva*, *& Aulicismus, insinuans in familiaritates, & gratiam externorum morbus est in Societate & intra & extra periculosus, & istis, qui eum patiuntur, & nobis ferè nescientibus, Paulatim subintrat, specie quidem lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magnates, conciliandi ad divinum obsequium, hujusmodi homines Societati, juvandi proximos &c. sed reverà quærimus interdum nos ipsos, & Paulatim ad sæcularia deflectimus.* Tum in Instructione pro Superioribus ad augendum in Societate spiritum, cap. 1. *Est & alia malorum radix longè periculosissima, eoque periculosior, quo minùs vulgò noxia censeri solet, rerum scilicet externarum occupatio nimia, in quam Superiores, ut plurimum, ac variis nominibus suprà modum effundi solent. Per speciem proximos lucrifaciendi Societati, multis se visitationibus implicant, iisque non modò non necessariis, sed parum etiam utilibus, atque ità in his versantur, ut à sæcularium moribus parum abscedant.*

Hæc sanè iis libris accepimus, & præclarè enimverò, ac sapienter: ex quibus apertissimè confici potest, quantopere ejusmodi vitia supremis Societatis præfectis displiceant, atquè omnem industriam, & diligentiam ab iis adhiberi, ut tanta mala, aut nusquam in Societate crescant, aut si jam crevissent alicubi, validissimâ securi quàmprimum radicitùs exscindantur. Qui

Qui ex his Societatem accusari existimat, quidni etiam omnem Populum condemnet, Antiochænum imprimis, imò Christianum Orbem universum, ad quem tam multiplex de fugiendis vitiis habita est adhortatio. Sanè vix commodiori compendio, Hæretici Ecclesiam, perversam esse conficient, quàm si totidem Ecclesiæ accusationes haberi possint, quotquot in ea de extirpandis cavendisque peccatis Sermones sunt instituti.

Quisquis in Medicorum Religiosorum libris, non omninò est peregrinus, novit profectò, iis animorum mala, non tam quæ sunt, sed quæ subnasci possunt, remediaque enarrari: ac propterea, ipsa met verba, quæ ibi *Actum* indicare videntur, usitato more, atque ex sensu scribentis, non ultra *Potentiam* atque *Periculum* significare intelliguntur: quin quod ipsi autores (ut Concionatores imprimis solent) se quoque accusatis sæpe annumerent: annumerat se quidem *Aquaviva*: *Reverà*, inquit, *Quærimus interdum nos ipsos, & Paulatim ad Sæcularia deflectimus.* Num hìc quoque dicendus erit se accusasse? Et illius criminis, cujus eum osorem maximum semper fuisse, nemo tum Romæ fuit, qui ignoraret: non alios eo loco coarguit, non se: sollici- ti medici partes implevit, indicavit de malo, *Periculum* ostendit, apposuit medelam, monuit eam diligenter esse adhibendam: tam sancti moniti memor Societas ità huic malo invigilat, ut major diligentia desiderari vix possit.

Quartus ex Præpositis Generalibus nomi-

natus est *Joannes Paulus Oliva* : sed nullum ex hoc verbum placuit citare; exspectabo dum afferant.

* Moneo tamen eos omnes, qui quidquid possunt, & quâcumque ratione possunt allatrare constituerunt, qui per avia deviaque, in tela inquirunt, quibus nos invadant, certi famam nostram depeculari, moneo, inquam, ab annis non paucis sparsas esse patentes literas, quas infamis, & ignota Barbaris licentia per id tempus adscripsit Præposito Generali *Joanni Paulo Olivæ*. Aliæ quidem circumferebantur sigillo Societatis munitæ, quibus alicui Regno, Nominatus ibidem è Nobilibus præficiebatur Magnus Cancellarius. Aliæ constituebant Summum Quæstorem. Tertiæ nominabant totius exercitûs supremum Præfectum. Quartæ huic addebant Locumtenentem, omnibus subscriptum legebatur, JOANNES PAULUS OLIVA *Præpositus Generalis Societatis*.

Num ejusmodi diabolicæ maledicentiæ Oracula, *Liberius* audire jubebit nos iterum? Si quæ afferat, vera postulo, apta, & certa. *

A Præpositis Generalibus ad aliorum libros descendunt *Arnaldini* : Principem locum occupat ille, qui inscribitur *Joanni Mariana de Regimine Societatis* : de hoc dicam altero pòst capite : proximum locum obtinet paucorum foliorum opella, cui titulus est *Monarchia Solipsorum* : hujus autorem celebrant *Melchiorem Inchofer* natione Germanum, & in Societate literis non ineruditum : numquàm

quàm Societas ſcriptionem hanc ſuam eſſe agnovit, numquàm ipſe, qui nominatus eſt *Melchior Inchofer*: nemo probavit hoc autore eam compoſitam fuiſſe: ad manum ſunt, quibus evincam, alteri, & à Societate noſtra dimiſſo eſſe adſcribendam: de hac *Monarchia* mentionem pridem inſtituit larvatus quidam *Theophilus*, in defenſione, quam appellat *Valeriani magni*: *Melchior Inchofer*, inquit ille, *cùm reformandæ Societatis conſilium ſuggeſſiſſet, carcere incluſus vitam clauſit, an dolo, an fato?* Hæc maledici impudens fabula eſt, quam aliâ calumniâ diluit fictus *Liberius Candidus*. *Papa*, inquit, *eum à ſuis clam abreptum de manibus ipſorum excuſſit, ſervavitque incolumem* (*a*): quo teſte, ex quibus tabulis hæc enuntientur, fruſtra quæſieris. Quod cuperent eſſe, ſcribunt fuiſſe: Suo Teſtimonio Accuſatores, Teſtes, Judices.

✱ Hoc ita ſe habere, oculis tuis Lector credidiſti facilè; nunc *Liberius* interpellat in *Monito* pag. VIII. ibi me alloquitur, *Quod cuperet non eſſe*, inquit, *ſcribit non fuiſſe*; Acutè enimverò; tum pergit, atque hæc omnia ſubjungit pro ſe. "Teſtem habemus Doctorem Sorbonicum, cui nomen *Bourgcois* "ad S. Sedem delegatum à viginti Galliæ "Epiſcopis pro defendendo libro, *de Frequenti Communione*, quo ſucceſſu id fecerit, norunt Jeſuitæ. Ab anno 1694. exaratæ ſunt tabulæ, Relatio, inquam, *Sapientiſſimi* illius Doctoris, viri integerrimi, à quo procul "aberat, aut conſcientiam prodere, aut veritatem

[a] Pag. 9.

"ritatem velare. Tabulas has quærat *Huy-*
"*lenbroucq*, ſeu potius non ſimulet ſe illas
"habere. Accuſator eſt Sacerdos vitæ pro-
"batiſsimæ, qui P. *Inchofero* familiariter uſus
"eſt: Teſtis Roma ipſa, ubi ſcena peracta
"eſt, judex ſit univerſus orbis.

Mirabar, ſi non *Sapientiſſimus* eſſet, qui pro *Liberio* diceret. Sed non evagabor; liber *De frequenti Communione* extra hunc locum eſt; Doctorem illum de ſua Legatione non conveniam: ſucceſſum novit Orbis Catholicus & fabulas novit *Arnaldinis* autoribus divulgatas, veluti quod aſſerunt libri illius Approbatoribus annumerari poſſe Summos Pontifices *Urbanum VIII*, & *Innocentium X.* de re quæro, quæ præ manibus eſt: Igitur nihil ſimulo; quas hic *Tabulas* commemorat, non habeo, non vidi umquam, neque an eſſent alicubi, audivi. Quod illas tam urbanè me quærere jubeat, habeo gratias, & experior verum eſſe, quod vulgò aiunt, fortuna non mutat genus.

Verùm, nihil mihi ſupereſt quod quæram: ego tabulis illis opus non habeo, habet ipſe, ut aſſerti ſui liberet fidem, proferat ergo ſi poteſt; intelligamus quid ferant; ni faciat, ſcenam nobis relinquit comicam quam qui maximè; procedit Sacerdos *Accuſator*, & nihil dicit; ponè ſequitur Roma Teſtis, & nemo; intelligit quid teſtimonio ſuo confirmet; judicat univerſus Orbis, & nihil definit, quia nihil audit. Quæ eſt hæc lepida evaſio!

Pergo itaque tabulas poſtulare, ex his planum

num erit, quorum alterum ipsæ condemnent, an *Theophilum* in defensione *Valeriani*, an *Liberium*; necesse est enim ut damnent alterutrum. *Theophilus* nempe ait Pm *Inchofer* in carcere mortuum esse, de *Modo* ei solummodò dubium est; *Dolone* obierit, an *Fato*. Contrà *Liberius* affirmat, eum clam abreptum à Papa de Jesuitarum manibus excussum fuisse, servatumque incolumem; utri modò *Tabulæ* patrocinantur, & cujus mendacium vincit?

Libenter prætereà intelligam, quo anno Doctor ille Legationem obierit, pro libro de *Frequenti Communione* edito anno 1643.; quo tempore naturæ concesserit, ut conficere possim, quâ ratione referre potuerit anno 1694, se *P. Inchofero* familiariter usum fuisse: novum quoquè mihi meritò visum est, si de illo Patre scripta relatio fieret, posteaquàm annis amplius 45. mortuus esset. ✱

Pergamus dicere, quod res est:

Numquàm *P. Inchofer* consilium illud Reformandæ Societatis suggessit, numquàm *Carceri* est mancipatus, Mediolani diem suum obiit 28. Septemb. 1648. annos natus 64. illius non sinè laude meminit *Sotuellus*, & eum inter scriptores Societatis annumeravit: de *Monarchia*, præter obtrectatores nostros meminit nemo. Tota opella ludrica satyra est, & obscura, mordax tamen; nihil ipsa molitur, quod ad reformationem referas: eam non legit, qui hoc affirmat: dicaci joco magis, quàm seriò exarata videri possit: atque eâ ratione conscriptam fuisse, inquit Christophorus Faber, *non semel audivi*: nullum factum eâ scrip-

ſcriptione refertur, nullum ſtabilitur: leviſſimum hoc ſtudium Sedes Apoſtolica proſcripſit; quiſquis ex eo quidquam allegat, fruſtra eſt: merces, ex pretio ſuo æſtimare didicimus. Vide de his plura Capite ultimo.

Operoſum magis otium poſuerunt in evolvendo libro, cui titulus, *Imago Primi ſæculi Societatis Jeſu*: hunc aiunt, non quidem nos criminum arguere; ſed exhibere quàm plurima, propter quæ meritò ſimus arguendi, & Superbiæ quidem præcipuè.

Duo, hoc loco affirmo.

1. Inconſideratum conſilium eſſe, atque inexpertum, ad eum librum confugere, ut Superbiæ noſtræ teſtis conſtituatur.

2. Reprehenſores noſtros, in his ipſis Teſtimoniis ex eo libro excerpendis, mentiri, atque calumniari. Quid enim eſt, obſecro, liber ille, bonorum omnium, atque eruditorum judicio, niſi Panegyricus, liberâ eloquentiâ Sæculari die, Majoribus ſuis dictus? Niſi frequentiſſimus, veterum imitatione, Ludus Poëticus? Talis haberi debuit, talis eſt habitus omni non mordaci, neque quærenti quod roderet.

Ardelio deridiculus ſit oportet, ſi fortè peryodos excerpat bene longas, ex Marci Tullii Oratione pro *Marcello*, pro *Lege Manilia*, aut ex aliis ſimilibus, quibus tandem conficiat ſcriptiones illas ſuperbiâ turgeſcere: novit Orator, atque imprimis cùm exornat, ſe in loco verſari maxime libero, & ubi vix monitum audiat, *ne quid nimis*.

Poëta præ cæteris, & feſtâ die, nihil canit Miſan-

Misantropo, aut morofo cenfori.

Accedit hos ludos fuiffe Sæculares; omni retrò antiquitati probatiffimum fuit, eam ætatem, quantâ poffent communi lætitiâ invicem gratulari, & publicæ jucunditatis attollere monumenta. In his gratulationibus, omnia confignificant. Aliud eft nempe quod ex *Genethliaco* petitur; aliud, quod ex *Epithalamio*, aliud denique quod ex feveris Annalibus depromptum eft: à tempore fuo, ab occafione avulfa, alia funt, ac fuerunt.

Unum his ludis affumptum eft; nempe grati animi memoriam exhibere erga Parentes, erga Majores. Hos fufceperunt laudandos, atque id quidem meritò, & bonorum omnium exemplo: erant quippe, & præclara, & multa, quorum commendatio pofterorum & exemplo, & utilitati effe poffet: nemo tamèn ita exciderat fibi, quafi illa, veluti hominum facta, & humanis viribus perpetrata, aut extolleret, aut adferret: omnium merita, Dei dona effe, nemo ignorat: qui Sanctos laudibus profequitur, Deum, in Sanctis fuis mirabilem deprædicat: omnium nomine repetitum effe intelligitur: *non ego, fed gratia Dei mecum*: & *fi gloriari oportet, in Domino gloriabor*: ut fcilicet qui tantorum memoriam renovari confpiciunt, dent laudem, & gloriam Deo. Hoc eo libro, fingulis propemodùm Capitibus eft indicatum.

Sed quid eft denique quod tanto ftrepitu reprehendunt? quod tanto apparatu comminifcuntur? Jefuitæ, inquiunt, rei funt fuperbiæ *nimis certè magnæ*. Quid ita? afferunt

in

in *Imagine* primi fæculi *Univerfos hujus Societatis homines galeatos nafci.* Nefcio equidem, cui magis delirum fit cerebrum, an illi, qui hoc effutiret, an ei, qui hoc alicubi fcriptum excerperet: fed decumànum mendacium eft, hoc eo libro fuiffe exaratum: liberet fe notâ mendacii, qui hoc affirmat: in Oratione de Origine Confirmatæ Societatis Fefto SS. *Cofmæ* & *Damiani* tantorum Martyrum exemplo, *Univerfos Societatis homines galeatos nafci, ac prodire* OPPORTERE, dixit orator. Galeatos nafci, tam ftultus non fuit, ut diceret. Galeatos effe *oportere* quotidiano ufu addifcimus, ne inermes adversùs tot impugnantium injurias, impetus, ac procellas, eorum furori immolemur.

Hæc prima Superbiæ accufatio, accufantis mendacium eft: nec æquo Lectori dubium effe poteft, quanti ejufmodi impoftoribus credi poffit, qui tam inepta, tam falsò, alicui crimini vertunt. * *Liberius*, hæc contra nihil muffitavit. *

Aliud fubjungit, fed æquè fe dignum, nempè libro illo affirmari, eos, *qui in Societate juvenes mortui funt, fæculum expleviffe: omnes focios effe fenes. Et quotquot extremum in Societate Jefu diem obeunt, fæculum vixiffe.* Numquid hæ dignæ funt crepundiis ineptiæ? Nec rem attendit, nec modum, qui puerilia hæc feligit. Rhetorum more, *Paradoxum* ibi proponitur, id eft præter opinionem Sententia: qualis Marco Tullio olim fuit, *folum fapientem divitem effe*, & *folum fapientem liberum*, & *omnem ftultum fervum effe*. Propofiti *Paradoxi*

doxi sensus toto contextu explanatur, ac tandem aperitur, quâ ratione verum esse possit, quod initio falsum, aut risu dignum fore putabatur.

Ineptit, qui alicui obtrudit, quod *Paradoxi* titulo propositum est, solus hic titulus eorum, quæ quis sub eo prosequitur, & vim indicat, & propositum.

Crescit intereà oratio : affirmat eo libro hæc scripta fuisse : *Socii omnes sunt Angelicæ puritatis, totique .... Deo affixi .... & Perfecti.* Aperta calumnia est. Nullibi exstat hæc peryodus: nullibi Sermo est de *omnibus*: nullibi dicuntur esse *Angelicæ puritatis*; sed quales omnes esse debent, hujus puritatis *æmuli*. Nullibi scribuntur esse *Perfecti*, sed *fornace illâ supremi & castissimi amoris excoqui, donec probè illuminati, & perfecti, lucem ardore mixtam aliis communicent.*

Lege, si vacat, locum hunc integrum in Imagine primi sæculi à pag. 400. ibi titulus est, *Exercitatio Oratoria*: atque, ut de illius proposito intelligas, hoc illi initium est: *in ludis hisce Sæcularibus, si ludere libeat &c.* Et effrontis accusatoris, ac calumniæ, oculos tuos testes constitue. Ex eodem hoc oratorio lusu; & in genere exornativo, quo delectare magis, quàm persuadere Rhetores constituunt, reliqua sunt avulsa, quæ pari momento in Superbiæ testimonium sunt advocata. * Hæc quoque *Candidus* silentio suo dignatus est. *

Alibi pessimè habet morosos censores, eâ in Imagine, probandum assumi, *Societati partam esse gloriam, per illustrem Sanctitatem Ignatii*

natii Loyolæ, & reliquorum Sociorum, nempè *Jacobi Lainii, Stanislai Koska, Aloysii Gonzaga, Joannis Berghmanni, Francisci de Borgia, Roberti Bellarmini, Bernardini Realini, &c.* Ego verò in hac causa invidis nostris libenter respondeo: quisquis ingentia facta, quibus, efficiente Deo servi illi boni, & fideles non exiguam Orbis partem sibi demeruerunt, non videt, cæcus est; quisquis videt, nec laudat, ingratus est; quisquis laudanti reluctatur, insanus est.

Iisdem Censoribus, iterum superbiæ insimulatur, in tantorum virorum encomio ab Oratore pronuntiatum fuisse. *Licet ergo, nisi ipse me fallo, licet illud Regii Prophetæ de Sion, hoc est Christi Ecclesia pronuntiatum, minimæ Societati nec arroganter adscribere, gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.* Cui Religioso Ordini eâ opportunitate non idem, & ex vero applicet Orator? tanta sunt in unumquemque Dei beneficia, ut de singulis meritò id possit affirmari, tanta sæpè loci, temporis, & officii vis est, ut ab Oratore debeat affirmari. Nihil ibi de Societate Orator dixit arrogantiùs, minùs quoque, quàm gratiarum iis à Deo collatarum dignitas postulet. Nihil addo de Scopo, quem eo loci Orator est prosecutus; legenti apertissimum erit, in hoc uno adlaboratum esse, ut aliquid in commendationem Augustissimi Nominis Jesu apud auditorem exponeret: nihil ibi sinè exemplo susceptum, nec sinè ratione gestum, nec sinè Sanctissimorum Virorum Sententiis est stabilitum: invidis his obtrectationibus abundè

abundè prius occurrerunt, & solidissimis rationibus Doctor Angelicus, & magno exemplo Gregorius Nazianzenus.

Pari momento, alibi, tamquàm illius libri Sententia reprehenditur, quod in margine brevissimè notatum est, & sine explicatione, quæ per decursum est copiosissima, excerpitur, ut possit accusari: alibi, plures repetuntur peryodi, sed singulæ ferè hiulcæ, & truncatæ, à corpore suo avulsæ, atque iis prætermissis, quæ si addita fuissent, nescio an Zoili invidiam meritò provocarent: ita si ad *totum* attendas, nihil est, cui æquus lector debeat succensere: singula sunt adornata, ut obtrectationis materiam, ex reprehensoris ingenio sufficere possint.

Affirmat (*a*) denique eo libro (*b*) scriptum fuisse in hæc verba, *Societas est Domus Sapientiæ, in qua omnes Jesuitas Divina regit Sapientia, humanâ Philosophiâ dux longè securior*: hoc alterum patens mendacium est: verba hæc exstant nullibi: nemo ità insanivit, ut Jesuitas omnes divinâ regi Sapientiâ effutiret, quasi omnes Jesuitæ humanis omnibus supereminerent:

Exstat quidem eo loci, hæc in Margine notatio, *Societas Domus Sapientiæ.* Sed cur de sensu altum silentium? Nempè evanesceret stulta criminatio, si Lector intelligeret, quid ibi Orator significatum esse voluerit.

Est ibi primò expressa ex sacris literis Prov. 9. divina Sententia: *Sapientia ædificavit sibi domum, excîdit columnas septem, misit*

(a) Pag. 28. (b) Pag. 704.

sit ancillas suas, ut vocarent ad arces, & ad mœnia civitatis, si quis est parvulus, veniat ad me.

Tum ostenditur, Societatem ex instituto Religionem esse, quæ subditis in omnem partem dimissis, exclamat per compita, per urbes ac pagos, per Orbem universum; *Si quis est parvulus, veniat ad me.* Suos nempè, & omnes in puerorum rectâ Institutione vult occupari, & quod adjungi poterat, hujus Societatis Professi, interposito Sacramento promittunt, paratos se fore, ut in ea Institutione omnem ætatem consumment: hinc liber ille continuò subjungit, *amplectantur cæteri, quod cuilibet maximè arriserit, hoc Societatis esto elogium, Si quis est parvulus, veniat ad me.*

Hæc tota res est: sed quæ formandæ accusationi satis videri non potuit, nisi mendacio adornaretur: quale iterum coronidis loco subjungitur, cum eodem libro (a) affirmari calumniatur, *In Societate omnes aquilæ sunt ingenio.* Sunt per Dei gratiam, qui ab ingenio commendari possunt Societatis nostræ Scriptores, neque tam delira comminiscuntur. Nemo hæc scripsit umquàm. Sua distribuit Deus, pro ut vult, aliis Quinque, Duo aliis, & multis Unum. Quantum fuerit, Deo referimus acceptum.

Ostendi intereà, quibus fraudibus in crimen vocentur, etiam illi libri, quos tamen præ cæteris, & tantopere reprehendi debere existimabant: vix locus notatus est, qui sincerè fuerit indicatus: sola malevolentia, aut excogitavit, aut composuit, quæ arroderet. ✱ Intellexit hæc *Candidus*, & tacuit. ✱

Mitto

(a) Pag. 28.

Mitto excutere ex iis libris petita, qui falsò Religiosis Societatis attribuuntur: tales hìc Duo potissimùm nominantur:

1. *Cavea Turturis*, hujus autorem esse fabulantur *Jacobum Kellerum*, è Societate scriptorem non ignobilem. *Caveam* illam *Jacobus Keller* numquàm exstruxit, sed Anonymi Britanni operâ prodiit, ficti Catholici, & Religionis nostræ propugnatoris: is quidem advocati pallium præ se tulit, sed sicam occultavit sub pallio, & Romano-Catholicum se simulat magis, ac commonstrat.


2. *Placida disceptatio*: hæc nulli singulari quidem tribuitur, sed *Monacensibus* modò, modò Jesuitis *Ingolstadiensibus*; adeòque nihil certi in promptu est, quo de illius autore quidquàm stabiliant: sed neque mihi de eo vacat inquirere, satis est eam ad Societatem minimè attinere, neque illam de hoc libro umquàm respondisse.

Hæc est jam pridem fraus usitata, Scriptorum nostrorum, modò integros libros immutare, modò, nescio quæ opera, aliena certè, scriptoribus Societatis attribuere: ille, *Joanni Maldonato*, Summulam casuum Lugduni impressam 1604. falsò adscripsit, alter librum obtrudit, falsò inscriptum *Apologia Card. Bellarmini pro jure Principum*. Tertius; *Bordonum* tertii Ordinis S. Francisci de observantia, Jesuitis annumerat: tum item *Joannem Sanchez*, aliosque non paucos, qui nostræ Religioni nomen numquàm dederunt. Alibi quartum ingenium, *Francisci Suares* tomum 5. de *Censuris* pro arbitrio suo truncavit

cavit: ſucceſſit, qui *Thomæ Sanchez* Diſputationes de Matrimonio turpiter mutilavit: integra denique turba eſt, quam fraus illa in aciem ducit; alius *Laimanno* tribuit, quæ ſunt *Amalarii*. Alius *Ægidio*, quæ ſpectant ad autores relatos *à Diana*: alter *Leonardo Leſſio*, quæ, non ipſe, ſed *Antonius Gomes* propugnat; quartus *Hurtado* adſcribit, quæ autorem habent *Petrum Ledeſma*. ✱ Nemo contra hæc ſyllabam repoſuit. ✱

Habent hi omnes veterem calumniatorem, quem imitantur, eum nempè, qui Servatori librum adſcripſit *de Magia ad Petrum & Paulum*, & qui ſimili flagitio excogitata mendacia, modò unius, modò alteriùs Apoſtolorum nomine ventitavit.

Idem experti ſunt Sancti Patres, idem omnes Religioſorum Familiæ; verùm hæc alibi proprium locum habent: ſatis hìc fuerit indicaſſe de fraudibus, quibus nominati libri, in accuſationem ſunt advocati. ✱. Dedi antea quæ *Liberius* de hoc Capite meminerat, alia non attigit verbo, ad ſingula mutus, ibi maximè, ubi eum imprimis decuerat liberare ſe notâ loquacitatis perquàm inconſideratæ. ✱



CAPUT

§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§

CAPUT QUARTUM.

Leviſſimi hominis Conſilium eſt, adversùs Societatem adducere libellos ſupplices oblatos Clementi VIII. P. M. 1593.
Quia illi libelli Supplices, adverſarios condemnant, & nos criminis abſolvunt, cujus nos ipſi accuſant.

TEnebris ſua involvere ſtudent, qui in rebus noſtris reprehendendis ſtudium conferunt: idem initiò fecerunt: primò libellos hos publicos fecit damnatus Gallicus *Mercurius Jeſuiticus*, impreſſus *Genevæ* 1630. ſed nudos, & veluti Cœlo delapſos *libellos* hos protulit, ut quid ferrent, quòve reſpicerent, nemo poſſet intelligere. Poſt hunc ſuum autorem, larvatus *Liberius* vafis inſtar loquitur, quantùm accepit, tantum fundit. Quâ opportunitate, quam ob cauſam, quo fine, quo denique eventu *libelli* fuerint oblati, ſilet uterque.

De his brevibus eſt intelligendum, & quantum ferre poteſt hic locus, ac debet, ut criminatorum fraus pateat & veſania.

Sapientiſſimè difficillimis temporibus univerſæ Societatis habenas tenebat *Claudius Aquaviva*, legum Societatis tenax, conſtanti virtute, ac

ac prudentiâ vir, ſemper celebratus; Pontificio quoque teſtimonio, poſt accuſationes commendatior; *Præclari iſti accuſatores:* inquiebat Clemens VIII., *dum Præpoſitum Generalem facere tentant reum, Sanctum oſtendunt.*

Verùm nullius virtus omnes ſpiritus coercet, aut ſatis compeſcit. Legibus noſtris, Congregatio Generalis, Præpoſito Generali ſuperior eſt: qui *Aquavivæ* ſuccenſebant, pauci quidem, ac ferè cum uno *Ioſepho Acoſta*, Regis Catholici Patrocinio, præter piiſſimam ſuæ Majeſtatis voluntatem, & præter æquum fiſo; hi omni ſollicitudine, atque conatu Congregationem cogi debere, fixum habuere: huc omnia media advocata; accuſatio, fraus, patrocinium, ingentis utilitatis ſpes, atque promiſſio: momenta contra oppoſuit *Aquaviva*; ſenſit Pontifex cogendam eſſe Congregationem, juſſitque; paruit *Aquaviva*, filium obedientiæ ſe profeſſus eſt, & Comitia per Provincias indixit; hæc acta ſunt 1592.

Turbatores prætereà efficere conati ſunt, ut præter omnem morem, plures Comitiis illis intereſſent, etiam externi, rati à magis ignaris longè facilius patrocinium poſſe ſperari; *Compluti*, ubi *Toletanæ* Provinciæ Conventus habebatur, creditus eſt *Ioannes Mariana*, partibus *Ioſephi Acoſtæ* addictus eſſe, tam aliqui inſtiterunt, ut *Mariana* eligeretur mittendus in Urbem, ſed rejectus eſt omnium, ſi unum, aut alterum excipias, calculo.

Intereà, dum *Acoſta* varia queritur apud Pontificem, *Toletus* Purpurâ donatus eſt; viſuſque

ſuſque eſt velle congregationi præſidêre, ſed huic exemplo, initium dare non potuit; unum *Acoſtæ* Pontifex indulſit, ut Congregationi intereſſet: alia, quæ plura petierat, rejecit.

Hæc occaſio eſt priorum duorum libellorum, quibus nemo ſubſcripſit. His variâ proponunt, quibus Societatis Inſtitutum magnâ ſui parte alterum fieret, ac diverſum: illud maximè, ut ne Comitia haberentur: qualia ſemper habita fuerant, & ex legibus noſtris haberi debebant; libera, atque ex iis ſolis perſonis compoſita, quæ jure noſtro, iis ſolummodò poterant intereſſe.

Quàmprimum de his per Provincias eſt renuntiatum, nullibi hæſitatum eſt; in ſingulis Congregati omnes, & unanimi ſuffragio omnem operam, atque extremam ſollicitudinem conferendam eſſe ſtatuerunt, ne qui turbulenti genii, & pauci, adversùs pacem Religionis, atque integrum Corpus obtinerent. Nullibi id potuit impetrari, nullibi debuit, niſi apud Chriſti Vicarium, & Eccleſiæ communem Parentem.

Hæc occaſio eſt aliorum libellorum: ſingulæ Provinciæ, ejuſmodi libellum Romam ad Pontificem miſerunt; miſſo Nomina ſua ſubſcripſerunt: Omnium verbis, Singulæ Provinciæ, hoc unum orabant, ne quid præter morem, præter approbatas Societatis leges, paucorum, & imperitorum importunis precibus immutari, ſeu alterari pateretur: decerneret, Comitia more majorum libera eſſe opportêre, & qualia Societatis bono, ad majorem Dei gloriam conſulere poſſent.

 Omnia

Omnia, ac singula Clemens VIII. pro ea, quâ summâ valebat prudentiâ, ac majoris boni desiderio, apud animum diu, diligenterque perpendit; memor Apostolicæ sententiæ, *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt*. Probavit, & cuncta liberæ Congregatorum curæ, arbitrioque permisit: id omninò se velle admonens, ut Instituta Societatis intacta starent ac illibata, steteruntque beneficio Dei. Accusatus *Aquaviva* Præp. Generalis sui commendationem vehementer auxit; tam inania pleraque, ac penè puerilia reperta sunt; quæ criminabantur. De iis Accusationibus, cùm ad Pontificem esset relatum, *quod nos*, inquit Sanctissimus Pater *audiendis istis vexares*, *nihil erat*.

Patres de perturbatorum audacia, & iniquitate questi graviter, illius coercendæ rationes inierunt, ac Decretum solemne sunt meditati, quo demùm ejusmodi rerum novarum architectos, & prævaricatores percellerent. Pridie Idus Januarias 1594. Clemens VIII. Domûs Professorum Templum invisit, remque divinam ibidem fecit, Patres Congregatos ad osculum pedum admisit benignè, & Societatem universam sibi curæ, & cordi esse affirmavit. Congregationi optatissimus finis impositus est 15. Kal. Febr. 1594. *Acosta*, è qua discesserat, in Hispaniam rediit; dum superfuit, Præpositi Generalis moderationis, ac benevolentiæ, vivum exemplum.

Hæc omnia integro libro (*a*) explicavit Historia Societatis, edita typis, & approbationibus

(a) Lib. XI. partis V.

tionibus Romanis anno 1710. autore *Josepho Juvencio*, tot aliis lucubrationibus celebrato, & à republica literaria optimè merito.

In necessitatem hæc repetendi, me conjecerunt illi, quos objectant libelli: & objiciunt opportunè, ut de levissima sua vesania omnem Lectorem commonefaciant: Quid enim? "Gravia, inquiunt, & enormia „crimina sunt in Societate, & quæ in ea „dominantur, ac propterea non pauci illius „Socii Reformationem efflagitarunt: id „certum faciunt libelli Clementi VIII. oblati. Latinè omninò non intelligunt, qui hæc objectant, aut quas allegant scriptiones neque à limine salutarunt.

Ostendi quid *Libellis* illis agatur: duo anonymi, qui, à quo, vel à quibus oblati fuerint, nullo signo cognosci potest, neque an sint sinceri, an contrà pro arbitrio ficti: duo, inquam, anonymi, & privatorum, aut veriùs unius privati, nullâ autoritate, non nos criminum arguunt, sed vitæ genus, & vivendi normam, leges nostras, & Institutum immutari postulant: Alii omnes, omnium Provinciarum, omnium nomine & verbis, communibus votis, pro ea, quâ pollent in Religione summâ autoritate apud Pontificem intercedunt, ne prava monentibus faciles aures præbeat, sarta tecta conservet, & illibata, nihil patiatur innovari.

Ineptos enimverò reprehensores, qui dum in nos collimare se arbitrantur, ipsos se feriunt: conficere sibi constituunt divisam per id tempus Societatem, & reformationem effla-

efflagitatam fuisse : atque ecce ea adducunt, quæ memorabili exemplo Orbem totum docuerunt, fuisse eo tempore omnium Provinciarum, & Nationum unam voluntatem, unum consensum, unum, ac constans desiderium, ut in turbarum autores pro meritis animadverteretur : quodque in Provinciis scripto præstiterant, opere in Urbe pariter bonorum omnium gaudio commonstrarunt, se esse omnes unius spiritûs, & labii unius. Quæ quidem tanta concordia singulari Dei beneficio coronata fuit, quando ita Congregationi finem imposuit, ut eo majus fuerit redeuntium gaudium, quo major esse potuerat adventantium timor. Fuitque illius Congregationis Generalis, quæ erat in Societate, Quinta, optatissimus fructus, *Diuturna concordia.*

Non sic agitur cum Republica optimis legibus suis munita, ut eam imprudens Architectus, & importunus reformator, aut scindere possit aut dividere, tametsi fortè, ea, quæ noctu somniaverit consilia, cum necessariis suis communicet, aut iis studeat turbare : turbatoribus nullum corpus satis potest carere, sed illi si à Corpore puniri possunt, nihil Corpori ab unione sua decedit : pro meritis excepti perturbatores nec turbant, nec dividunt. Quibus vero pœnis Societas, hos spiritus coercuerit, proximo capite demonstrabitur.

* Nihil interea ex *Liberio* audivimus, quo gravissimam levitatis notam à se avertere conaretur, cùm *Libellos* illos è tenebris eruit.

Scribit

Scribit in *Monito* pag. VI. eos iterum in altera editione sua occurrere; bene habet; ubi denuò inveniuntur, eodem pretio redeunt, eâdem inconsideratiâ; Si quid potest, quæ scripsi redarguat: iisdem clamoribus pugnare semper, desperantium vitium est. *

****

CAPUT QUINTUM.

Ad accusandam Religionem Societatis, malè, ac perperàm adducitur liber adscriptus Joanni Mariana.

1. *Quia meritò dubium est, fueritne* Mariana *autor scriptionis, quæ illi attribuitur.*
2. *Scriptio illa Concilio Trid. & summis PP. injuria est.*
3. *Mendaciis plena est, contradictionibus, & indignis dicteriis.*
4. *Tametsi certò esset* Joannis Mariana, *& nullo vitio laboraret*, Mariana *in hac re est autor ineptus, & quæ attulit, à Summo Pontifice gravissimè sunt perstricta.*

Commentitia fabula est, Narratio de colloquio P. Floravantii *cum Urbano VIII. P.M.*

JOannes Mariana, Natione Hispanus, Societati nomen dedit Kal. Jan. 1554. annos natus 17. in ea extremam senectam clausit 17. Febr. 1624. omnem ætatem in studiis

ſtudiis poſuit, ſcriptor non ignobilis, & eruditus, atque hoc nomine laudatus à multis.

Is autor eſſe perhibetur libri, cui titulus, *de Morbis Societatis, eorumque cauſis ac remediis*: titulus hic pro arbitrio fictus eſt, librum hoc nomine, *Mariana* non ſcripſit: ſcriptum tamen eſſe voluerunt reprehenſores noſtri, & tamquàm opus *Marianæ* omni idiomate divulgarunt: ad illud, veluti ad aram quamdam refugium eſt, quoties in Societatem acerbiùs invehi ſtatuerunt: *Mercurius Jeſuiticus*, ſcriptionem *Marianæ* adſcriptam Hiſpanicè, ac Gallicè *Genevâ* ad nos attulit 1630. alius *Mercurium* illum prævenit, & prior Gallicum dedit *Marianam* anno 1625. nullo indicato loco impreſſionis: *Melander* latinum dedit, non integrum tamen, ſed varia excerpta latino idiomate; *Galindus* eadem repetiit, & *Juniperus*: *Aletophilus*, *Candidus*, obſcuri omnes calumniatores, ſolis cenſuris notiſſimi, damnata autorum ſuorum folia novis typis publica fecerunt.

Liber, de quo hìc Sermo inſtituitur, hanc frontem præfert. *Tractatus de defectibus Regiminis Societatis*: viginti capitibus abſolvitur, nullis diſtinguitur paragraphis; qui eum alio titulo allegant, aut illius paragraphos citant, librum illum, neſcio, an aliquando ipſi, aut inſpexerint, aut habuerint.

Aio dubium eſſe, fueritne *Mariana* autor hujus Tractatûs qualis nunc pridem publicus eſt: numquam enim Societas eum genuinum eſſe agnovit; numquam Mariana ſuum eſſe confeſſus eſt: nullibi oſtenſum eſt autographum,

phum, nullibi probatum transſumptum.

Marianam, inquiunt, cùm in Hiſpania anno 1609. librum publicum feciſſet de *Monetis* in carcerem conjectus eſt; cùm verò cuſtodiâ teneretur, ex mandato ſcrinia illius perluſtravit *Nicolaus Richardius* Mag. S. Palatii, & in tractatum hunc incidit, eumque ex Hiſpania ſecum detulit; alii à *Francisco Sosa* Ord. Min. Generali ſubductum eſſe ſcribunt, *Richardio* ſolummodò communicatum; ita de origine varia narratio eſt, omnis ſinè teſte, nec aliqua pondus adjunxit, quo fidem mereri poſſet; fabulam olent hæc omnia.

Scribit *Philippus Alegambe*, Tractatum illum clam ſubductum fuiſſe à *Malevolo quopiam*, ad conciliandam Societati invidiam, & extruſum in lucem, adjectis etiam fortaſsè non paucis, ab ipſius obſervationibus, atque animo alienis: hæc habet Impreſſio Romana 1642. per integros octo menſes examinata, publici Juris facta, cum facultate Pontificia obtenta 26. Aug. 1640. poſteaquàm inſtituta ſingularis Congregatio de integro libro apprimè cognoviſſet.

Quiſquàmne poſt tanta examina Romæ ſcribat impunè, eum librum à *Malevolo quodam clam ſubductum fuiſſe*, ſi illum Ord. S. Franciſci Reverendiſſimus Generalis aut Magiſter S. Palatii, è ſcriniis *Marianæ* ſecum attulerit? omitto dicere quo jure alienam ſcriptionem, & de ea re, cujus nihil illorum intererat, graviſſimi illi viri è Religioſa domo ſurripere potuerint; Magis prætereà, &

à

à prudentia, & à viri boni officiis commendari debent, quàm ut ipsis autoribus dici possit hæc scriptio in lucem adducta fuisse. Sed finge tandem quemcumque, ad quem furtum hoc pertinere volueris, quo momento quisquam stabilivit, *Marianam* autorem habuisse, quæ apud *Marianam* inventa sunt? Quod de stylo commemorant (si tamen *Mariana* hæc scripsit latinè) quasi is ubique cum *Marianæ* operibus, idem esse cognosceretur, maximè est imperitum, nec audiri meretur: in commentariis sacrarum literarum, in Annalibus Hispaniæ, in aliis suis lucubrationibus Latinus est *Mariana*, neque vulgariter; in paucis his foliis sæpè tantùm non barbarus: alibi quosdam *interessatos* esse scribit; alibi addisci *improprietates*; nunc quosdam magis fore *unitos*; nunc esse novitates *præjudiciales*, & leges ex *speculatione* profluere. Tum haberi quemquam *pro extravagante*, tum *extravagantia* præcipi solere; sæpè magnos promanare *disgustus*, & quæ similia excerpi possunt non pauca; quæ, qui *Marianæ* esse existimat, de scriptore illo sentit humiliùs, ac duratum illius studium, & eruditio postulent.

Cur denique subductus ille liber anno 1609. non nisi sedecim post annis Anno 1625. primùm, & idiomate Gallico prodiit in lucem, id est anno uno, posteaquam *Mariana* è vivis excesserat? Et de opere nihil ultrà poterat æstimare? ubi amabo delituit tanto temporis intervallo? Ad quorum manus pervenit? An integer, an sincerus typis est editus? De his cer-

ti aliquid pronuntiet, qui certò *Marianæ* Tractatum illum adſcribit.

2. Scriptio illa graviter in Summos Pontifices, graviter peccat in Conc. Trid. Turpi calumniâ affirmat, "omnes ferè Jeſuitarum leges, & Conſtitutiones à Canonibus „& jure communi plurimùm diſſentire. Hoc ſi ità ſe haberet, graviſſimos errores Autoritate Apoſtolicâ Pontifices, & ſuffragio ſuo approbaſſet Eccleſia: Catholicum ſe ſimulat potius, qui tam indigna comminiſcitur.

Mendaciis ſcatet, iiſque apertiſſimis, ex multis pauca ſubjungo: "In Societate, (ſic "habet ſcriptio illa leviſſima) tam multæ ſeditiones, ac tumultus fuerunt excitati, ut "miraculi ſimile ſit inveniri aliquem, qui "non fuerit illis implicatus; omnes Provinciales, & Superiores Jeſuitarum Tyrannicè imperare ſibi ſubjectis; facere unumquemque "quidquid libet; Superiores Jeſuitarum eſſe "homines minimè dignos, qui officiis præſint. Multa facta mala, & turpia in Societate committi, quæ maneant impunita. "In Societate nullos eſſe excellentes Concionatores, nullos Eccleſiaſticarum rerum, "nullos literarum Humaniorum peritos. In "Societate Rectores dilapidare facultates, & "largiri conſanguineis. Bonos, & Deo ſervientes in Societate ſinè ulla cauſa, aut propter leviſſimas cauſas injuſtè affligi, vexari "atque etiam interfici." Integras paginas his affinia occupabunt, ſi omnia colligam: de his tamen etiam Societatis noſtræ ejectamenta, aut deſertores appello, proferant libere

berè quæ possunt, horum quoque testimoniis, mendacia esse intelligentur. Mitto dicere, occurrere sæpè pugnantia cum iis, quæ à Mariana certò accepimus, & eo vivo typis sunt edita. Scripsisse paullò ante affirmatur, nullos esse in Societate, quos literæ, aut doctrina commendent; confer hanc dictionem, si placet, cum Præfatione ad Cardinalem *Bellarminum*, quam scholiis suis *Mariana* præfixit ad vetus, & novum Testamentum, Impressis Parisiis Anno 1620. ante obitum 4. ibi sic loquitur.

,,Memoriâ superioris temporis tantisper "oblectare animum volebam (veniam hanc "seni dato) cùm Romæ tu quidem post obi- "tum avunculi tui *Marcelli* Pont. Opt. Max. "ætatis, sed & artium liberalium impigro "pede prima spatia metiebaris, paria præ- "ceptore tuo, amico nostro, & æquali: ego "Scholas Theologicas explicabam immaturâ "quamvis ætate, neque eruditione firmâ. "Ità res nostræ erant, in Italia nullus erat "nostri Ordinis, qui eam Provinciam susti- "neret, nunc innumeri sunt, ut audio, & "credo libenter; sic tempora commutantur. "Collegæ tamen in ea professione tunc erant "*Emmanuel*, & *Ledesmius* quales, & quanti "viri ingenio, eruditione, & modestiâ; in "Philosophia *Toletus*, qui eruditionis ergò "donatus est Purpurâ. *Pereira* eleganti prorsus ingenio; accessit *Acosta* nihilo aliis in- "ferior: artem Oratoriam *Perpinianus* tra- "debat, ex cujus ore melle dulcior fluebat "Oratio, eloquentiæ laude cum primis

"nostræ

" nostræ ætatis comparandus, neque antiquis " absimilis. Mathesim *Clavius* ex suis libris " satis notus, & nobilis. Hebraicas literas " *Baptista Romanus* inter suæ gentis spinas " rosa odorata, & suavis moribus magis, " quàm facie. Græcas *Stephanus* Domo *Valentinus* : eorum & temporum, & virorum " sæpè recordatio recurrit, eâque reficitur " animus, sed & eorum adolescentum, qui " supra ducentos ex variis nationibus unà " nobiscum vivebant, subit animum cum voluptate cogitatio. In eo numero *Galliardi* " tres, totidem *Sardi*, quibus se quartum " posteà adjunxit eorum Pater nobilis in " Sicilia Medicus : *Lucas Pinellus*, *Jacobus* " *Crucius*, *Bernardinus Castorius*, alii, quorum nomina exciderunt, hæret animo virtus : sed certè *Ludovicum Odescalcum* ipsis " gratiarum divinis manibus factum, moribus, ingenio.

" *Eximet è nostro pectore nulla dies.*

" Rector Collegii *Sebastianus Romæus* prudens juxtà & modestus: neque te *Jacobe Paëti* " dubium ingenio, an gratiâ major, silentio " involvo, meorum quondam in literis prime sodalium, mihi præ cæteris chare. Non " *Organtinum*, non ita pridem in Japonia post " immensos labores exstinctum. Non *Maldonatum* quamvis exiguo tempore in Romanorum Professorum numero, sed Collega deinde noster *Lutetiæ*, nostræ Nationis, & Ordinis decus. In tanto numero " nulli reditus erant, nulla vectigalia. Miraculi instar tot tunc juvenes ali potuisse :

" victus

"victus proinde frugalis erat, & tenuis: do-"cendi labor improbus; Cœlum nobis, præ-"sertim externis grave. Ità fractæ in limine "vires nostræ erant. Tredecim tamen annis "in Italia, Sicilia, & Gallia confectis, in "Hispaniam necessariò redii, si nativo cœlo "meliùs haberem, neque fefellit spes &c. & post pauca" Nostri hactenus consilii cau-"sas, sed & vitæ partem explicui, otii, & "secessûs Hispanici rationem reddidi. Ad-"dam tamen, me in hac vigilia brevitatem "consectatum, ne opus in immensum scili-"cet cresceret, si varias aliorum explicatio-"nes referrem, & de omnibus disceptarem, "& alioqui in locis singulis, quæ mens au-"toris fuerit, quid verba Sacra significent, "paucis explicare quid vetat? Laudem con-"ficiendi in divinos libros latissima commen-"taria aliis relinquimus, *quorum nostrâ æta-"te, & in nostro Ordine Magnus est numerus*, "neque mecum illis compono memor nostræ "tenuitatis. Nos ex agello nostro tenues flo-"rum manipulos damus, ditiores offerent "integra viridaria &c.

Ex hoc uno loco difficile non erit demonstrare longè esse,ac planè alia,quæ certò scripsit *Mariana*, ab iis, quæ illo libro occurrunt, qui ei adscriptus est: operæ pretium fuerit, pauca invicem componere, ut apertius judicium esse possit.

Mariana in libro illi adscripto, post ejus mortem edito.	*Mariana* in libro certò ab eo conscripto, vivo autore impresso.
1. Omnes Superio-	1. Rector Collegii

res violentum exercent imperium; nullis dotibus conspicui sunt præpositi, omnia ex libidine sua moderantur.	*Sebastianus Romæus* prudens juxtà, ac modestus.
2. Valde pauci Jesuitæ evadunt literati: nulli humaniorum periti: hi profitentur literas, qui eas neque didicerunt umquàm, neque discere volunt.	2. *Pereira* eleganti prorsus ingenio. Accessit *Acosta* nihilo aliis inferior. Artem Oratoriam *Perpinianus* tradebat eloquentiæ laude cum primis nostræ ætatis comparandus, neque antiquis absimilis.
3. Inter Jesuitas pauci sunt boni Philosophi, ac Theologi: eorum qui præstantes in altioribus studiis evadunt, exiguus est in Societate numerus.	3. Qui Theologiam doceant nunc innumeri, ut audio, & credo libenter. Qui laudem in commentariis in divinos libros reportare possint, eorum nostrâ ætate in Ordine nostro magnus est numerus
4. Exquisitis epulis ac fructibus pascuntur, laborum intolerantes, amantes delitiarum commoditatibus assuefiunt, nimios sumptus faciunt, rem familiarem dilapidant.	4. Silentio non involvo *Organtinum* post immensos labores extinctum: victus frugalis erat, & tenuis, docendi labor improbus.

5.

5. Mihi semper ob oculos versatur nos à Deo plecti.	5. In tanto numero nulli reditus erant, nulla vectigalia, Miraculi instar tot tunc juvenes ali potuisse.
6. Pauci, nec eruditione, nec aliâ laudabili qualitate præditi, in officiis continuantur: prudentiâ, literis ac virtute præstantes, in perpetuum ab officiis excluduntur.	6. Collegæ tunc erant *Emmanuel* & *Ledesmius*, quales & quanti viri, ingenio, eruditione, & modestiâ: in Philosophia *Toletus*, eruditionis ergò postea donatus Purpurâ: *Maldonatus* Collega Lutetiæ nostræ nationis, & Ordinis decus.

Adde à *Mariana* in una domo has omnes Personas numerari, in uno Collegio Romano, & uno tempore, cum ibi Theologicas disciplinas prælegeret.

Quid repetam indigna viro dicteria: vel uti *laicos nostros plurima frangere, rumpere*, &c. *Unum novitium tantum laborare, quantum duo, aut tres laici laborant*: cui mox aliud adjungit, & cum eo pugnans quàm quod maximè: *volunt Novitios, & Studentes in nimio otio educare, neque ulli labori admovere: duos Laicos plus consumere, quàm tres Sacerdotes: permittendum nobis non esse Suburbanum: habere nos quosdam professos* QUINTINOS *: nulla proponi Laborantibus præmia : Novitios nostros exquisitis epulis, & fructibus pasci*: tum alibi, *Jesuitas quasi ex dimidia parte esse Laicos*: nullum Collegium noverit, necesse est, qui hæc

hæc effutit: ſimilia de ſingulis perſonarum claſſibus ſingulis capitibus ſtulta occurrunt: hæc omnia ponderet, qui ſcriptionem illam & *Marianæ* attribuit, & in pretio habet poſt *Melandrum* & *Galindum*, qui in damnata ſua *Anatomia*, Marianis hiſce Laciniis onuſtus prodiit anno 1634.

Quamquàm ſi nullo vitio Lucubratio illa laboraret, ſi certò *Marianam* haberet autorem, quid tandem conficias? quem Magiſtratum vel extra, vel intra Societatem *Mariana* adminiſtravit? nullum: ubi rei œconomicæ præfuit? ubi ad negotia Procuratorum admotus fuit? nullibi: cujus Provinciæ ſtatum potuit examinare? nullius. Studiis ſuis vacavit, vir libris impalleſcens, atque ut fit, rerum quæ geruntur propemodùm ignarus, vix aliò excurrens, niſi quo compelleret nola domeſtica, cogitationibus, non uſu doctior. Publicis rebus noſtris gerendis tam parum aptus ſemper eſt habitus, ut eum valentem licet, ac vegetum 1593. tota Provincia ſua, vix duobus exceptis aſſumi noluerit, qui negotiorum causâ in Urbem proficiſceretur: de una Hiſpania loquitur, imò de una Hiſpaniæ Provincia, quoties de alia meminit, *ſcribitur*, inquit, *fertur*, *narratur*, *intelligo*. Vides quantum his tribui poſſit, intelligis omnia nullius eſſe facienda.

Fac tamen eum toti Societati præfuiſſe & diu; quid tum demùm evinces? quid habet integer *Marianæ* diſcurſus? quò collimat? diſplicet illi Societatis Inſtitutum, hæc ſumma eſt; Regimen *Ariſtocratiâ* moderari

derari cuperet: hoc quia non fit, illo judice, omnibus iis defectibus laborat Societas: sed probarunt hoc Institutum Summi Pontifices, Probavit *Conc. Trid.*, probarunt tot alii, vitæ Sanctimoniâ, prudentiâ, & rerum agendarum peritiâ præclarissimi viri: num volet *Mariana* his omnibus sua præhaberi? si volet, commiseratione dignus est, non responsione: si nolit, ut debet, & prudens est, ac pius, qualis celebratur, dolere potest de malè conscriptis, eaque rejicere, ac detestari: huc tandem recidunt, quæ nobis ex *Mariana* cantant criminatores: hæc ruminent, qui eum Societati objicere constituerint, tanti enim hac in re nobis *Mariana* semper valebit, quanti sutor ultrà crepidam.

Quoniam tamen in hunc locum incidimus, operæ pretium me facturum existimo, si ostendero quantâ attentione turbulenta ista, seu *Marianæ*, seu aliorum consilia, in cunis suppresserit Societas, quanto omnium consensu in paucos hos Machinatores animadverterit, quantâ denique Autoritate hæc omnia Societatis Decreta, fuerint confirmata.

Intelligent hâc opportunitate levissimi criminatores Pontificio oraculo declaratum esse.

1. Nostræ Religionis stabilimentum, & profectum in viridi Instituti ipsius, & Decretorum ejusdem Societatis observantia consistere.

2. Illam Religionem, aliorum calumniis vexari.

3. Paulum V.P.M. cujus verbis hæc omnia refe-

referimus Constitutioni suæ, quæ Romæ data est pridie Nonas Sept. 1606. hoc initium facere voluisse.

Quantum Religio Societatis Jesu in Ecclesia, ad Fidei, pietatis, & Religionis augmentum profecerit, & indies magis proficiat, Nos ipsi scimus, & Christiana Respublica novit universa: propterea illam diversimodè perturbare, & ab incepto retardare malis artibus humani generis hostis quotidie nititur. Tum verò pergit in hæc verba.

„Quia nonnulli inquieti spiritus, ad suam „temeritatem promovendam, perpetuitatem „Præpositi Generalis dictæ Societatis, in illius Constitutionibus statutam, & perpetuo „usu in dicta Societate, quemadmodum, & „in Religione S. Dominici sancitam, & „approbatam impugnari, atque immutan„dam satagere veriti non sunt; & prætextu „melioris gubernationis unitatem ejusdem „Societatis scindere, Nationum collectio„nem [quæ ingens gloria dictæ Societatis „est] dissolvere, atque in partes miserè dis„secare, nec unam, sed multas Societates „statuere cupientes; certum aliquod in suis „Regionibus Caput, & ut vocant *Commissa„rium*, aut *perpetuum visitatorem* statui desi„derârunt, & forte desiderant, & multa alia „nova, quæ quietem; & tranquillitatem „ipsius Ordinis, perturbant, regularem dis„ciplinam, obedientiam, & illius statuta „labefactant, moliti fuerunt, tentarunt, & „forsan impetrarunt: propterea ipsa Societas „universa in quinta generali Congregatione

„ſuperioribus annis Congregata, volens „prædictis incommodis, moleſtiis, & perturbationibus occurrere, ejuſdem Fundatoris Conſtitutionibus firmiter inhærendo, „pro felici regimine dictæ Societatis, ac illius Inſtituti perpetuâ, & firmiori obſervantiâ infràſcripta ſalubria decreta ſeu ſtatuta inter alia fecit & ordinavit, videlicet. *Quoniam diuturno quietis ſuæ detrimento, Societas noſtra ſatis ſuperque experta eſt graviſſima incommoda, quæ filii quidam prævaricatores, & communis pacis illius perturbatores, ac rerum novarum Architecti ſuis conatibus illi attulerunt; & multæ Provinciæ majorem in modum id efflagitârunt, ut hujuſmodi homines debitis pœnis caſtigarentur; Congregatio pro eo ac debuit, ſpiritualium filiorum ſuorum jacturam dolenter ingemiſcens, ac nihilominus perpendens, quantum detrimenti; unio, obedientia, religioſaque diſciplina Societatis ab iis hominibus paſſa ſit, quantumque apud externos bonæ illius famæ, quâ bonus odor ubique gentium in Chriſto eſſe ſolet, detractum fuerit; ſtatuit omnino, ſalutari alicujus ſeveri decreti medicamento, huic tam gravi morbo depellendo, proſpiciendum eſſe. Siquidem frequentes illi falſas calumnias, & varias criminationes [de quibus ſpeciale poſtea judicium Præpoſito generali habendum erit] ſuæ Religioni immeritò impoſuerunt: atque zeli, communiſque boni pallio ſe contegentes, id ſibi arrogare auſi ſunt, ut judicio totius Societatis, imò & ipſiuſmet Fundatoris P. N. Sanctæ memoriæ ſe præferrent: nec dubitarunt libellis ſcriptis, atque ad Summos Pontifices tranſmiſſis ſubſcribere*

scribere his verbis: ITA PETIT TOTA SOCIETAS: *cùm tamen ii pauci essent, & degeneres filii nostræ Religionis, eaque postularent, quæ essentialia Instituti nostri labefactarent; rationemque gubernationis, in Constitutionibus expressam immutarent; ac novam prorsùs formam & rationem inducentes universam Societatis structuram dissolverent, atque à fundamentis everterent. Quo circa Congregatio declarat, ejusmodi homines, tantorum malorum auctores, aliorumque seductores, ac eorumdem verè complices, censuras & pœnas omnes in Apostolicis Bullis contentas incurrisse. Nec non decernit, eos omnes, utpote gravissimæ divisionis Societatis auctores, à tota Societate velut pestem quàm primum separandos esse; judicio P. Præpositi permittens, utrum eos peculiaribus pœnitentiis ante demissionem castigari conveniat. Quod si per aliqua necessaria impedimenta eos è Societate statim ejici non licuerit, Congregatio statuit, eos prætereà inhabilitatis ad quævis officia & dignitates, seu prælationes, vocisque tam activæ quàm passivæ privationis pœnis obnoxios fore, quandiu eos in Societate necessariò retineri contigerit. Insuper Congregatio statuit, ut qui vehementer suspecti de prædictis machinationibus reperti fuerint, ii, vel jurent se humiliter amplexuros constitutiones & decrèta generalium congregationum, nec non Summorum Pontificum Bullas, quibus Societatis Institutum confirmatur, seu explicatur, præsertim verò fel. Rec. Julii III. Gregorii XIII. & Gregorii XIV. Nec umquàm se acturos quocumque prætextu contra illas, neque, ut quidpiam de nostri Instituti*

tuti

tuti ratione immutetur, curaturos, per quoscumque in Bulla Gregorii XIV. non permissos: vel, si hoc juramentum præstare noluerint, aut post illud præstitum non servaverint, etiamsi Professi, & antiqui fuerint, de Societate omnino ejiciantur. Præcipit etiam Congregatio in virtute Sanctæ Obedientiæ, supradictos omnes auctores, & complices, tamquàm Societati perniciosos, & Apostolicæ Sedi inobedientes, à quocumque ex nostris, sive certâ scientiâ, sive fide dignâ auditione deprehensi fuerint, & quoscumque alios, si qui imposterum pariter deprehendentur similia machinari, ad Præpositum Generalem fideliter esse deferendos, ut ille pro suo officio, & hujus Congregationis voluntate eos iisdem pœnis afficiat, & à Societate dimittat; certus, nisi id viriliter exequatur, se nec bono Societatis, pro qua sanguinem fundere paratus esse debet, nec propriæ conscientiæ satisfacturum. Quod ut sine impedimento fiat, & optatâ pace tandem aliquando Societas nostra frui possit, Congregatio decernit, à S.D.N. Clemente, totius Religionis nomine petendum esse, ut Prædecessorum suorum exemplo confirmare circa nostrum Institutum, quæ ab illis confirmata, & declarata sunt; & suâ autoritate & potestate illi assistere dignetur, ut quæ in hujusmodi perversos homines hoc Decreto sancita sunt, sine impedimento executioni mandentur.

„Nos igitur certò scientes, totum Sanctæ „hujus, & numquàm satis laudatæ Religio„nis stabilimentum, & profectum in viridi „Instituti ipsius, & Decretorum super hoc „in Generalibus Congregationibus ejusdem „So-

" Societatis editorum observantia consistere;
"illamque ab hujusmodi, & aliis impugna-
"tionibus, molestiis, & calumniis, ac illorum
"inventis vindicare, & in sui Instituti puritate,
"integritate, quiete, ac pace conservare,
"quantum cum Deo possumus, cupientes,
"Motu proprio, & ex certa scientia, ac
"mera deliberatione nostris, dèque Aposto-
"licæ Potestatis plenitudine, laudabile dictæ
"Societatis Institutum, Constitutiones, ac
"perpetuitatem Præpositi Generalis Societa-
"tis hujusmodi, jam diu stabilitam, & in
"eadem Societate usu receptam, & solitam,
"ac ipsum Præpositum *ad vitam* eligendi
"usum & consuetudinem, illiusque in Urbe
"ordinariam residentiam, & ipsius Societa-
"tis unitatem, & omnium nationum sub
"uno Capite collectionem, in dictis consti-
"tutionibus sancitam; nec non supradicta,
"& quæcumque alia Decreta, Statuta, &
"Ordinationes, quæ Institutum, & Socie-
"tatem hujusmodi, illiusque Gubernandi ra-
"tionem quomodolibet concernunt, in ge-
"neralibus Congregationibus edita, nec non
"privilegia, facultates, exemptiones, immu-
"nitates, gratias, & indulta, à prædictis &
"aliis Prædecessoribus nostris, eidem Socie-
"tati, & illius pro tempore existenti Præpo-
"sito Generali, & Religiosis, principaliter,
"vel per communicationem concessa, qua-
"liacumque illa sint, ac desuper confectas
"literas, quarum tenores præsentibus haberi
"volumus pro expressis, & indè secuta quæ-
"cumque (salvis literis piæ memoriæ Leo-
nis

"nis Papæ XI. etiam Prædecessoris nostri, "super Decimis emanatis) Apostolicâ auctoritate prædicta eorumdem tenore præsentium perpetuò Approbamus, & Confirmamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis firmitatis, ac Nostræ, & Sedis Apostolicæ "auctoritatis robur adjicimus: eaque omnia "& singula innovamus, & de novo concedimus: ac omnes, & quoscumque, tam "juris, quàm facti defectus, si qui fortè quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus: hortantes & paternè monentes Præpositum Generalem illius, cæterosque Superiores, nunc, & pro tempore existentes, "ut observationi supradictorum decretorum "seriò invigilent, nè humanis respectibus, "aut quorumcumque potentium intercessionibus, aut minis, Religionis suæ bonum, quod "ex eorum observatione maximè pendet, "ullâ ratione postponant: eosdemque monentes, ut eos, qui novitati studentes, aliquid contra ipsius Societatis Institutum, "Constitutiones, Decreta, Canones, "Regulas, Ordinationes, & communem "vivendi rationem, & normam ipsius, & "præsertim dicti Præpositi Generalis perpetuitatem, usumque eligendi illum *ad vitam*, ac ipsius Societatis unitatem, sub "uno Capite collectionem, & liberam, & "sinè ulla triennii, aut certi temporis præfixione, Superiorum localium gubernationem, per se, vel alios quoscumquè, quavis "auctoritate, & dignitate, etiam Regiâ, fulgentes, quomodolibet machinari ausi fuerint

"rint tamquàm perturbatores sui Ordinis &
"rerum novarum molitores, præter pœnas
"in supradictis Decretis contentas, ipsius
"Præpositi pro tempore existentis arbitrio,
"coërceant, corrigant, & puniant.

Hæc Pontifex Maximus Paulus V. & publicâ Constitutione, atque ut dixi anno 1606. difficile non erit post illa statuere, delirum esse adversariorum commentùm de colloquio *P. Floravantii* cum Urbano VIII. de Notationibus adscriptis P. *Joanni Mariana.*

Fuit *P. Hieronymus Floravantius*, Patriâ Romanus, multiplici eruditione singularis, Orientalium linguarum imprimis peritiâ: Theologicis lucrubrationibus clarus; quo ad vixit, Urbano VIII. à Confessionibus: Romæ obiit nonâ Octobris 1630. hujus, neque adversarii nostri sine encomio meminerunt, sed eum *Priscæ, ac veterioris notæ Jesuitam* salutant: laudant enim priscam Societatem, & primum Institutum: qualiter primævam Ecclesiam extollunt Hæretici, quo faciliùs se fidem obtinere posse existimant, cùm eam defecisse calumniantur.

Floravantius, Inquiunt, *Pontificis Confessarius Marianæ librum legerat, & nimis vera eum cantare cum gemitu fassus fuerat, sic ut etiam Pontificem magnopere obtestatus est, ut ad Societatem instaurandam seu reformandam animum appelleret*, &c. *Velut mihi primarius quidam Pontificis familiaris ex ipsius ore acceptum retulit.* Hæc fictus *F. Juniperus de Anconâ.* Anno 1634. in *Consultatione* pag. 42.

Idem scripserat *Melander* in *Anatomia* uno ante

ante anno 1633; hic primus ex *Mariana* excerpta quædam adduxit, aliis pòst obtrectatoribus totidem gemmas existimata; ita vix accusationum plaustrum occurrit, quod iis non exornaverint.

Bernaldinus Giraldus Patavinus, in sua Apologia pag. 105. anno 1635. scripsit, *Floravantium*, conspecto Marianæ libro in has voces erupisse *Heu! heu! actum est de nobis Jesuitis, quando nimis vera sunt, quæ hic liber cantat.*

Difficile dictu est, quoties hæc de *Floravantio* fabula obtrudatur: sed tribus, inquies, testimoniis comprobata sententia est: imò tribus Nominibus; sed uno homine *Gaspare Scioppio* mendaciorum sentina: *Melander* in Anatomia *Scioppius* est, *Scioppius est Juniperus de Ancona. Bernaldinus Giraldus* idem est *Scioppius*. Ipse narrat, ipse narrationis suæ est testis, ipse testimonium suum confirmat: ostendi hoc proprio loco, & contumeliæ reum esse demonstravi.

Quæ hìc commemorat, sinè teste, sinè tabulis effudit, & quæ tam facilè quisque negat, ac ille affirmat: lubet tamen rem magis è propinquo inspicere.

Quo tempore hoc *Floravantii* colloquium primùm objicitur? Anno scilicet 1633. post obitum *Floravantii* tertio, aptè & prudenter, ne quid contra mussitare possit mortuus *Floravantius*. Quo tempore hæc exclamasse narratur apud *Urbanum VIII.*? *conspecto*, inquiunt *Marianæ libro*: sed *Urbanus VIII.* electus est Pontifex 6. Aug. 1623. certè ante hoc tempus apud

apud *Urbanum* de eo libro meminisse non potuit: igitur neque ante hoc tempus de libro illo intellexerat, qui eo conspecto, tamquàm jovis ignibus ictus, tam muliebriter eiulavit: ubi ergo tredecim annis Thesaurus ille latuerat, quem à Reverendissimo *Sosa* in Hispania inventum anno 1609., Romæ communicatum fuisse commemoràverunt? Si enim Romæ fuit tanto temporis intervallo, latêre non debuerat Summos PP. *Paulum V.* aut *Gregorium* decimum quintum; horum intererat, de illis intelligere, & intellectis occurrere: neque hæc fugere potuissent *Floravantium*, Romæ in Professorum domo Præpositi vices gerentem.

At, si anteaquam *Urbanus VIII.* Sedem Apostolicam occupavit, nihil de ea lucubratione Romæ est inauditum; quamprimùm *Mercurius Jesuiticus* anno 1625. Tractatum hunc adscriptum *Joanni Mariana* publicum fecit, patuit continuò Tractatum illum non æquè Societati, ac Sedi Apostolicæ injurium esse: affirmabat siquidem summos Pontifices, & Tridentinam Synodum gravissimorum errorum reos esse, atque ea approbasse, quæ Sanctis Canonibus adversantur. Omnes compertum habuerunt scatêre eum tractatum insulsis ineptiis, & quæ se mutuò eliderent: omnibus innotuit de calumniis: tum Romæ, tum in Hispania tamquàm pestilens & perniciosus liber est condemnatus: nihil in eo allatum est, quod non Constitutione Apostolicâ *Paulus* V. gravissimè repræhenderit.

Cum

Cùm ergo *Floravantium summæ virtutis* virum [qualem meritò compellant, quia eum hoc titulo dignatus est Pontifex] cùm hunc, inquam, exclamantem inducunt, *nimis vera esse, quæ hic liber cantat*, eum pessimi scripti, peiorem constituunt approbatorem, & *Floravantium* tot injuriarum reum, eodem supplicio dignum pronuntiant. Sed non cadunt in summæ virtutis virum, tam stolidæ convitia linguæ. Sedis Apostolicæ judicio *Floravantius* acquievit, nihil, quod illo judicio damnatum fuit, in adscripto *Marianæ* Tractatu potuit approbare : unum hìc *Scioppio* colloquii hujus inventori, suis coloribus ante indicato, ut sæpe aliàs, ita & semper aptè reponetur, *à mendace quid verum dicetur*.

✱ Tacitus hæc omnia *Candidus* præterivit. Toti *Capiti* V. quod opponeret, non adduxit: scilicet est hominum genus forensibus mulierculis nihil garrulitate concedens, huic si semel quod res est explices, continuò desinit in piscem, neque ultra quod regerat, habet. ✱



CAPUT

§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§

CAPUT SEXTUM.

Summâ injuriâ Religioni Societatis Jesu objiciuntur, indignâ fictione appellata, Monita secreta Societatis.

1. *Quia mendaciis scatet conficta pridem narratio, de horum Monitorum inventione.*
2. *Quia ex judicum Sententiâ falsò, ac contumeliosè Societati sunt attributa.*
3. *Quia ex vero autore cognosci potest, quanti valeant.*
4. *Quia impia continent, aliaque, quæ Religio Societatis Jesu semper est ex-ecrata.*

LArvatus *Liberius Candidus*, qui his *Monitis* iterum, ac tertiò, modò integris, modò intercisim recitatis, *Tubam* suam inflavit, de eorum inventione sic narrat: (*a*) "Quo tempore *Christianus* Dux Brunswicensis, qui Halberstadensem se Episcopum "ferebat, *Paderbornam* occupavit, Paderbornense Jesuitarum Collegium diripuit, "Bibliothecamque ipsorum, cum scriniis literariis PP. Capucinis dono dedit, à quibus in "scriniis P. Rectoris, inventæ fuerunt secretæ istæ monitiones seu instructiones. Hæc ille

[a] Pag, 172, 1. Edit.

ille. Narrationis suæ testem, vel autorem, neminem allegans.

Nolim tamen quemquam huic homini irasci si fallat: nihil affert de suo, ne verba quidem; totus ex furto sublatis laciniis coaluit, eadem hæc narratio exstat in proscripto, & damnato libro, cui titulus *Anatomia Societatis*, cujus autor se *Philoxenum Melandrum* appellavit. Ibi integra legi potest pag. 49. Prodiit verò hic liber anno 1634. sed & aliquot ante annis idem per *Hannoniam* sparsus fuerat, cùm primùm ferè ea Monita latinitate donata, in eam Regionem penetrarunt: alio idiomate, atque multiplici explicata, pridem habita fuerant, sed quo casu lucem aspicerent, non præferebant.

Igitur tria narrari intelligimus: Io. ab Halberstadiano milite occupatâ Paderbornâ, ea Monita inventa fuisse. 2. Inventa esse à RR. PP. S. Franc. Ordin. Capucin. 3. Ab iisdem aliis esse communicata. Singula nullo teste, nullo momento, quod fidem faciat, nec habent quod afferant. Nimium se jugulant, qui tam imperitè fabulantur.

Quæro, quo anno Princeps ille Paderbornam intercepit? Notissimum est ex Historia, eam occupationem incidisse in annum 1622.

Imperitum enimverò mendacem! inventa sunt primùm Monita illa privata, seu secretæ instructiones Societatis anno 1622; Et eadem ab anno 1612. magno numero per universam Germaniam, Poloniam, Italiam, & Galliam dispersa fuerunt: eadem anno 1615. & 1616. à multiplici judice Sententiam tulerunt

runt: anno 1617. *Mutius Vitelefchus* Societatis Præpofitus Generalis *Jacobo Gretfero* curam demandavit ea fcripto refellendi, præftitit illud *Gretferus* 1618. de inventionis fabula nihil fubjunxit, quia de futuro fomnio divinare non didicerat. Habes lepidum commentum, & quo difcere poffis, eam Satyram feptem ante annis pœnas dediffe, atque umquam fuerat reperta; publico judicio fuiffe famofam Anno 1615, neque tamen de ipfa innotuiffe ante annum 1622.

Non equidem ignoro, iifdem mercibus variam frontem appictam fuiffe: eadem opella, alibi *Monita*, alibi *Monitiones*, alibi *Inftructiones*, femper tamen *Secreta* appellatur: rem ex titulo non æftimamus: nec æftimant ipfi Adverfarii, qui *Monita* & *Inftructiones*, eumdem libellum effe fatentur, neque, fi vellent, poffent diffiteri: fatis fuerit ambo conferre, ut invicem refpondere intelligantur. Adeo nihil præfidii effe poteft à nodo in fcirpo, quafi ibi *Monita*, hic *Inftructiones* fint nominatæ.

Quis etiam exiftimet, Religiofos viros, & literariam fuppellectilem noftram accepiffe, & fimul obfervantiæ erga Sedem Apoftolicam, Chriftianæ Charitatis, atque Humanitatis tantopere oblitos fuiffe; ut legi, vendi, ac diftrahi prohibita, nullo verbo cum Superioribus communicato, fecretiori loco fervata, in vulgus fuâ donatione projici permififfent.

Quamquàm finge etiam eo loci inventa, ab inventoribus publicata fuiffe; Quid amabo, conficies? Quid fi quis in *Alcoranum* ibi inciderit,

ciderit, aut *Magiam Agrippæ*? num fortè domi noſtræ, ex facultate Apoſtolica, tutiori loco collocari, aut aſſervari non poſſunt libri prohibiti; num etiam eâdem facultate in cubiculo, in ſcriniis eos habere non poſſunt Superiores, aliique? an non ſæpe damnatos libellos ſponte referunt Pœnitentes, aut reddere jubentur, Sacramentali abſolutione, niſi pareant indigni? ſtolido digna eſt illa collectio: *Domi noſtræ liber ille repertus eſt*, *igitur Societatis hominem habet autorem.* Domi noſtræ ſervamus domeſtica & externa, alia, quæ nos inſtruant, alia, quæ refellamus, ſi res poſtulet.

Senſit hoc ille, qui hujus *Tubæ* Editionem curavit; *Monitum* proindè integræ opellæ de ſuo præmiſit, quo autorem majori temeritate liberare ſtuderet: *de Monitis ſecretis Jeſuitarum*, inquit, *loquitur autor* pag. 172. *illa in fine voluminis promittit*, *& annexa ſunt. Non quidem certò aſſerit*, *opus Jeſuitarum eſſe*, *propendet tamen in illam opinionem*, *& rationes ſuas profert.* Sed ipſe *liberius*, niſi aſſerat opus eſſe Jeſuitarum, à ſcopo ſuo aberrat longiſſimè: *quod ipſosmet Jeſuitas*, inquit ipſe, *autores habeant*, *multa ſuadent.*

1. Suadet hoc, ait, *Fama publica*: quæ, ubi, apud quos? nondum anno uno typis prodierant, quando publicis inſtrumentis certum fuit, ea commenta ad Societatem non pertinere: hæretici pòſt, ea nobis attribuunt, Eccleſiæ Catholicæ inimici, ſed ſoli. Bonorum omnium famâ notiſſimum eſt, per injuriam nos eorum autores eſſe nominatos.

2.

2. *Character Sermonis, Jesuiticus totus*: hoc ignorantiæ, nescio, an malitiæ sit tribuendum; quo enim, obsecro, sermone illa primùm prodierunt? latino, aut vernaculo, Polono, an Germanico? edisserat nobis *liberius* petulantis dicterii sui momentum, & in idiotismis illis sermonis characterem: si de latina versione sermo est, de re literariâ non adeò infeliciter meriti esse videmur, ut tam sæpè barbara locutio characterem nostrum constituere possit.

3. *Experientia factorum, Monitis illis conformium.* Hoc quidem impudente obtrectatore dignissimum dictum est. Quæ Deo gratia sit, impia illa *Monita*, nostra non esse, moribus nostris demonstramus: atque hoc quidem ipsi *Monitorum* fabricatores tam certum habuerunt, ut postea eos puduerit, se quædam Monita illis initiò adjunxisse: adeo sui lectione evincebant, nemine nostrorum autore, tantum scelus proponi posse, aut commendari.

4. *Ea, quæ scripsit Palafox.* Quid est, quod vir ille illustrissimus scripserit? *occultas* scilicet *& proprias nos habere constitutiones, privilegia reclusa, institutiones velatas, & omnia, quæ ad nostram pertinent directionem, tamquàm mysterio aliquo obvoluta abscondere*: demus, hæc scripta fuisse, quæ erit illa consecutio? *Igitur teste Illmo. Angelopolitano, Monita, ex Sententia Sedis Apostolicæ falsò Societati Jesu adscripta, tamen hominem Societatis habent autorem.* Gravi contumeliâ virum illum afficiunt, qui hac in re ejus testimonium appellant.

Sed

Sed ſcribere illa non potuit *Palafoxius*, niſi aut ineptè, aut ignoranter: ſi enim privilegia *recluſa* eſſe commemorat, & de ſecreto queritur, ineptus eſt: quid enim minus ſecretum, quàm quod *recluſum*? ſi *occluſa* dicere voluerit, hoc ignorantiæ teſtimonium eſt. Exſtabant Romæ impreſſa ab anno 1606. integrum quoque Inſtitutum, & quæ Inſtituti partem non componunt, Epiſtolæ Præpoſitorum Generalium, *Induſtriæ* P. Claudii Aquavivæ, aliaque, iiſdem typis diu prodierant, cùm *Palafoxio* adſcripta Epiſtola, ad aliorum manus pervenerat: ipſi adverſarii noſtri turmatim ex iis libris excerpſerant, quæ ad propoſitum ſuum accommodarent.

Ultimò denique *liberium* movent, quæ de inventione *Monitorum* illorum in Collegiis Jeſuitarum ipſe prius retulerat. Hanc fabulam, plagio ex aliis inſtauratam, paulò antè convici apertiſſimi mendacii: criminatores noſtros pudêre deberet, ad pertuſam hanc tabulam iterum recurrere.

Aliud nihil adduxit, quo in errorem illum, quem à ſæculo propemodùm noviſſe potuerat, ſe inductum fuiſſe fateatur: adeo ferè nihilo eſt opus, ut ei quidquam perſuadeas, apud quem non prudens ratio inquirit, ſed dictat voluntas, quid fuerit ſentiendum. Hoc illis imprimis uſuvenit, quibus vix umquam perſuadeas, ut legibus pareant, aut Conſtitutionibus Apoſtolicis.

Accedo ad ſecundum: dixi ex Judicum ſententiâ, hanc Satyram falsò Societati adſcribi. hoc oſtendo.

1. Illmus. Cracoviensis *Petrus Tylicki*, die 11. Julii 1615. ita pronunciat: *Insigni Ordinis sacri labe sparsus est libellus famosus contra augustum Societatis Jesu Ordinem*, MONITORUM *nomine insignitus.... quo Ordo innocens impiè traducitur.* Post hæc statuit de inquisitione in autorem: addit, *commonitorium*, & quæ præterea jus postulat.

2. Decimâ quartâ Novembris eodem anno 1615. *Franc. Diotalevius*, Dei & Apost. S. gratiâ Episc. &c. & ad Serenissimum *Sigismundum tertium* Poloniæ Regem &c. Nuncius. *cùm*, inquit, *insigni labe totius Ecclesiastici Ordinis, impio & Sacrilego conatu sit sparsus libellus famosus contra Societatem Jesu* (MONITA PRIVATA EJUSDEM SOCIETATIS) *falsò inscriptus.... opem nostram adjungendam duximus.* Statuit exinde, quæ muneris sui ratio præscribebat.

3. Accessit post hæc Congregationis Apostolicæ in hæc verba pronuntiata Sententia.

"Die 10. Dec. anno 1616. in Sacra Indicis "Illustrissimorum S.R.E. Cardinalium Gene-"rali Congregatione habita in Palatio Illmi. "& Revmi. D. Cardinalis Bellarmini, factâ "relatione cujusdam libri, cui titulus *Mo-"nita privata Societatis Jesu Notobirgæ anno* "1612. sine nomine auctoris: Illmi. DD. Car-"dinales decreverunt præfatum librum, ut-"potè *falsò Societati Jesu adscriptum*, calum-"niosum, & diffamationibus plenum, om-"nino esse prohibendum, prout de facto il-"lum prohibuerunt, & mandarunt, ne cui-"quam imposterum licitum esset, eum legere,

"vendere, vel apud se detinere: cujus rei "hanc fidem feci, & propriâ manu subscrip-"si, hac die 28. Decembris 1616. *Ego Fr. "Franc. Magdalenus Capiferreus Ord. Præd. "dictæ Sacræ Congreg. Secret. manu propriâ "Romæ ex Typographia Cameræ Apost.* 1617. "*superiorum permissu.*

Evici, quod propofueram: habes tres judices, Congregationem Apostolicam, Nuncium Pontificium, Urbis primariæ in Regno Poloniæ Episcopum; omnes propriis verbis testatum faciunt, *falsò*, Religioni Societatis commentum illud adscribi. Tanta judicia ignorare non potuit *Liberius Candidus*. Altero statim pòst anno, ac omnia prodierant, eadem publica fecit, & Apologiæ suæ inseruit anno 1618. *Jacobus Gretserus*: ex eodem *Gretsero* excerpta, alteris typis prodierunt *Montibus Hannoniæ* 1628. Eadem opposuit adversùs *Philoxenum Melandrum*, *Laurentius Forêrus* in *Anatomia Anatomiæ*. Anno 1645 eadem iterum indicavit idem *Forêrus* in *Grammatico Proteo*, Anno 1636. Ita quidem criminator ille scribere nôn potuit, *non pauca sibi suadere hoc Jesuitarum opus fuisse*, nisi simul palmare Orbi contumaciæ suæ præberet exemplum.

Verùm quoniam ad hanc fabellam accessimus, juvat reprehensorum nostrorum flagitiosam vesaniam, quâ *Monitis* illis veluti opere nostro nos incusant, è re ipsa in apertum adducere. Fac igitur, neminem de his Monitis quidquàm pronuntiasse: mitte præterea neque Congregationem ullam, neque Præ-

positum

positum Generalem, neque Superiorem alium, aut subditum, umquam fuisse indicatum, quo autore essent elaborata; nec ullam ætatem, ad quam possent revocari. *Monita* non alio ex capite, quàm ex se ipsis perpende.

Aio, hoc *Monitorum* monstrum in Societate esse non posse: quia *Monita scelesta* sunt, & *secreta* esse debent, & tamen *communicari*. Hæc, credo, nec impius *Machiavellus* speret simul componi posse; tam se invicem impediunt, ac impugnant. Secretum populi, miraculi loco semper est habitum, silentium Siculum omnis posteritas est admirata; diuturnum tamen esse non debebat, fuit quoque qui non servaret, & qui loquendo, hospiti suo consuluit.

Privata hæc Monita (sic statim initio jubetur) *penes se servent Superiores*: id est homines amplius mille, omnis ætatis, nationis, affectûs, geniique; quibus Præpositus Generalis alios & alios sufficit, ut vix decennium elabatur, quin jam plurimi in ordinem redacti sint, qui aliquando præfuerint: in una hac domo ex octodecim Sacerdotibus, octo numeravi, qui Magistratum gesserunt. Tum additur, *paucisque ex professis ea tantum communicent*. Fac tantum in qualibet domo communicari duobus, secretorum participes dederis ultra ferè ter mille: mandant præterea, *circa aliqua instrui non Professos*: ex his quoque binos solummodò selige; & numerus in non exiguum agmen propemodùm excreverit, quod, qui integrum, & diu, imò semper silentii tenax esse posse existimaverit,

is

is profectò homines non noverit, aut linguam humanam.

Adde nonnullos quandoque à nobis separari, & præter expectationem, Professos quoque, & qui præfuerint: quis hos satis coerceat? quid deerit, quo dicti sui faciant fidem? hi sæpe nobis optarent esse molesti, si possent: criminationes ab his passi sumus non paucas: qui de *Monitis* illis verbum faceret, nullus fuit.

Quin, quod ad alias Religiosas familias transierint aliqui: fictitium est enim, quod ibidem subjungitur: *Quia multi ex professis horum secretorum sunt conscii, ideo vel ab initio cavit Societas, ne ullus conscius horum posset ad alias Religiones se conferre, exceptâ Carthusianorum, ob perpetuam vitæ abstractionem, & indelebile silentium, quod etiam Sacra Sedes confirmavit.*

Certum est ex Historia Societatis, alios, aliis Religiosorum Ordinibus fuisse adscriptos: fuit, qui meâ ætate ad *Sylvestrinos* transierit: fuerunt, qui in Eremum Camaldulensem sese abdiderint. Quid de hoc transitu statuant leges nostræ, quam facultatem quandoque faciat in hac re Sedes Apostolica, extra hunc locum est. Nec sacrum Carthusiæ silentium quemquam poterit impedire, ne, quæ voluerit, cum alio communia faciat aliquandò, aut aliquâ ratione; nec ibi semper *Societas* deest, ubi non omnis Societatis modus permittitur.

Adde denique, Summorum Pontificum Mandato aliquos dignitatem Cardinalitiam suscipere debuisse, aliquos Patriarchalem,

plures

plures Episcopalem, quid horum quemquam satis potuerit impedire, ne, quam habuissent de his Monitis notitiam, pluribus facerent communem.

Tam est sano homine indignum existimare, *Secreta* ea esse posse, quæ tam multi, quotidie, ubique,& impunè possent revelare.

Sed permittamus hoc etiam, omnes ubique, & semper gravissimam sibi hac in re silentii legem statuisse, & interposito, si ita vis, sacramento: quo magis certè omnes silere debuisse conviceris, eo magis demonstro eos omninò silere non potuisse; nisi credas, omnes, ubique, & semper esse scelestos, salutis suæ oblitos, uni flagitioso Societatis commodo omnia posthabentes: apertè siquidem hæc *Monita* præseferunt, esse se contraria *Monitis* Generalibus Societatis, & quæ universa Societas agnoscit; contraria Ordinationibus, contraria Regulis, seu impressis, seu scriptis: atque hoc jure præseferunt, perversa sunt enim, & diabolica inculcant: pia sunt, & sancta, quæ Regulis nostris præscribuntur.

Igitur, qui hìc tacent, qui abominanda isthæc consilia sinu suo fovent, atque opere exequuntur, immanium scelerum rei sunt. Si omnes tacent, omnes omnibus pœnis dignissimi sunt: quis adeò sui oblitus, adeò inhumanus, cui tam crudelis cogitatio incidere possit? ubi ingens hominum numerus est, nec omnes sancti, nec omnes perversi: in amplissimo campo, nec zizania desunt, nec triticum.

Si

Si omnes non tacent, actum eſt de ſecreto: unus ſatis eſt, qui Palladium hoc retegat: unus, ſi Summum Pontificem certiorem reddat, aut Congregationem, imò hominem quemcumque, extemplò omne illud conſilium omnibus debet patere: ipſi, qui eâ ratione ſe regi patiuntur., ſupprimi, expelli, igne deleri merentur. Quid æque ſtolidum eſſe poteſt, ac ſcelere niti velle, quod quivis poſſet indicare? quod ſemel indicatum quovis ſupplicio digniſſimum eſſet.

Tertium fuerat, ex autore *Monitorum* de eorum pretio æſtimare. 1. Omnibus in confeſſo eſt, Autorem Natione Polonum fuiſſe, aut certè in eo Regno tamdiu ſedem habuiſſe, ut longo uſu comperta habuerit, quæ ſint illius gentis maximè propria: tantopere enim in iis Monitis ſingularia occurrunt, & ferè alibi ignota, ut niſi à Polono dictari non poſſint. 2. Certum eſt, ea primum *Cracoviæ* viſa eſſe, aliquo tempore calamo exarata, exinde typis edita: minuendæ verò ſuſpicioni, in vulgus ſparſum fuiſſe, quaſi in eam urbem *Viennâ* Auſtriæ adveniſſent, *Viennam Patavio* ex Italia, atque ex Hiſpanico ſermone fideliter in latinam linguam converſa eſſe; hæc fabula non diu fefellit: ex adjunctis quippe ſtatim evanuit, & Polonum opus eſt agnitum. 3. Ipſa opella demonſtrat *Monitorum* autorem de dimiſſis è Societate agere tam multis, tam diſtinctè, tam graphicè, tam acerbè, ut nemini dubium eſſe poſſit, quin ipſe quoque Societate juſſus fuerit exeſſe, & vulneri ſuo à furore

reme-

remedium poſcat. 4. Denique conſtat, ante annum 1612. nullibi gentium, nemini quidquam, de his Monitis innotuiſſe.

Fuit verò per id tempus in Provincia Poloniæ *Hieronymus Zaorowski* in Societate Sacerdos, ac circa annum 1611. pro meritis exautoratus: aliquot pòſt menſibus fama percrebuit, ipſo autore, Religionem Societatis brevi apprimè cognitum iri, nec diu pòſt, Monita illa diſperſa ſunt manuſcripta.

P. Joannes Argentus In Poloniam venit Viſitator anno 1613. apud hunc egit dimiſſus *Hieronymus Zaorowski*, urſitque, ut quæ fortè Societati donaverat, ſibi reſtituerentur. Viſitator rem arbitrís committi voluit, atque optionem fecit; ut quos voluiſſet, binos eligeret, ſe quoque duos nominaturum: non placuit dimiſſo oblata conditio, linguamque in nos exercuit liberrimam, & Monita quaquàverſùm pleno ſinu diffuſa ſunt. Accuſatio igitur eſt inſtituta, autorque, & liber famoſus apud Epiſcopum ſuum delati ſunt: actio inſtituta, & examen: poſt omnia, autor & liber, judice Epiſcopo Cracovienſi ſententiam ſuam tulerunt anno 1615. liber præterea, ut dixi, in Urbe proſcriptus eſt anno 1616. quo anno *Ioannes Argentus*, pro munere ſuo apud Potentiſſimum Poloniæ Regem Sigiſmundum III. rem totam pro Societatis Innocentia expoſuit.

Habes autorem, Societatis deſertorem, & acerbo animo querulum ac minacem, & liberè audentem: de ſimilium ſtrepitu ſcribens S. Cyprianus Epiſt. 25. *hoc*, inquit, *de* *deſer-*

desertorum fictis rumoribus nascitur: neque enim possunt laudare nos, qui recedunt: Nos Tertulianum tamen hìc tenemus non illubenter: *avolent quantùm volent paleæ levis fidei quocumque afflatu tentationum: eo purior massa reponetur in horrea Domini.* Confregerunt jugum Domini, ruperunt vincula sua, dixerunt, non serviam; & ut præclarè aliâ opportunitate S. Augustinus, *non habendo quod in causa suæ divisionis defendant, plura falsissimè jactant, & homines, quibuscum vixerunt, adducunt in odium; de quibus fingere quidquid in mentem venerit, possunt*: *ex quo enim*, inquit (*a*), *Deo servire cœpi, quo modo difficile sum expertus meliores, quàm qui in Monasteriis profecerunt, ita non sum expertus pejores, quàm qui in Monasteriis ceciderunt, ita ut hinc arbitrer scriptum in Apocalypsi, justus justior fiat, & sordibus sordescat adhuc.*

Quid memorem post hæc, stulta & impia, quæ his Monitis continentur: molestissimum est illa revolvere, horror repetere: quis enim, nisi deliro amentior, aut Dei oblitus, se moneri patiatur: 1. *Non minorem curam sanitatis, & recreationis Pœnitentium, quàm salutis habendam esse. Societatem, tamquàm Ordinem superlativum præ cæteris deprædicandum*: alios Religiosissimos viros, *ut plerumque indoctos, bardos, segnes, salutis suæ incurios, ventricolas* &c. esse æstimandos. 2. Ostendi debere, *Ecclesiam Dei nunc esse mutatam: Rectoribus conandum esse, ut omnium in ea urbe habitantium familiam, & rem familiarem cognitam habeant*,

[a] Epist. 137.

habeant, reditus, onera &c. id præstandum per Confessionem &c. dimittendos esse, quovis quæsito colore, qui eleemosynam fieri suaserint alteri templo, aut aliis Religiosis.

3. *Magnatum*, & *Principum dissentiones, cautè, & secretò esse nutriendas: occupandos esse Pastoratus, & Canonicatus: è re Ecclesiæ omninò fore, si omnes Episcopatus à Societate tenerentur, imò Sedes Apostolica possideretur, præsertim si Pontifex bonorum omnium Princeps sæcularis fieret. Pro tempore inverti debere statum politicum, & incitandos Principes nostris familiariter utentes, ad bella mutua, & importuna.*

Nihil in toto, & infami opere flagitiosissimi Monitoris est proprium, quod ad horum aliquod non facile revoces: mitto Sacrilega quæ commemorat, de inquisitione Complicis, de Sigillo Sacramenti Pœnitentiæ, de usu scientiæ ex confessione, aut illius secreto: prætereo gravissimas injurias, quibus Galliarum Regna prosequitur, & Serenissimam Rempublicam Venetam, & Eminentissimum Cardinalem *Toletum*.

Damnatorum *Monitorum* hæc impia summa est.

1. Socios, animam, Cœlum, Deum, omnia esse posthabenda Societatis emolumento rei temporalis.

2. Debere nos omnes, ex fraude, dolo, technis, simulatione, mendaciis, detractionibus, calumniis esse confutos: non aliud præ oculis habentes, nisi ut jure vel injuriâ, per avia, & devia, per fas nefasque, omnibus tandem potiamur. Sacri-

Sacrilega hæc commenta quæ vix infernus eructet, non abominamur modò, sed execramur: horum si quis nos accuset, quasi ea nostra esse velit; Ego pro me *Afrum* respondentem tenebo: *Non est in hoc accusatione versutia, ac ne impudentia quidem; quid igitur? Furor infelix acerbi animi, & misera insania.*

* Hæc *Candidus* intellexit, atque ut initio monebam, *Monita* ex altera sua Editione expunxit, fassus est sibi probatum esse, malè confutam fuisse de eorum inventione fabellam, sponte credit ea neminem Societatis habere autorem. Subjungit tamen in hæc verba "Licet nihil in eis contineatur, aut "ferè nihil quin Jesuitæ ad praxim reduxe- "rint, ut tam in hoc, quàm in variis aliis li- "bris sæpius probatum est. Maledicum est hoc, & calumniosum dicterium: nihil hoc, nihil aliis libris de eo probatum est. Num fortè sacrilega illa præcepta, solummodò rejicimus pro ut vocibus constant, aut characteribus, & eadem deridiculè, imo impiè rejicientes, usu, ac consuetudine probamus? Cui non gnaviter sycophantæ ejusmodi delirium incidit? *



CA-

§.*§.*§.*§.§*.§.*§.*§.*.§.*§.*§.*§.*§.*§.*§

CAPUT SEPTIMUM.

Gravi dicterio Societati denuò objiciuntur, appellata Prophetia S^tæ. Hildegardis, *& in illam Prophetiam Commentarii, adscripti Illmo.* Joanni Baptistæ de la Nuza.

1. *Quia de Prophetia illa non constat, & qualis circumfertur, admodùm dubia est.*
2. *Ad Societatem omninò non pertinet.*
3. *Commentarii, qui citantur in illam Prophetiam palmare mendacium exhibent: per injuriam adscribuntur Illmo.* De la Nuza.

ENimverò expedit magis ursæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitia sua. Prophetia *Stæ Hildegardis* titulo divulgata, adversus plures Religiosorum Sacros Ordines, turpi semper facinore fuit adducta: *Guilielmus de Sto Amore* damnatus Autor, quem Doctor Angelicus refutavit, olim in ea Prophetia se Sti. Dominici Familiam detegere somniabat: *Joannes del Espino* Hispanus, ex Societate expulsus hanc objectionem ab aliis Religiosis familiis transtulit in Societatem: illi se socium junxit *Franciscus Roales*, & idem telum in Societatem vibravit: horum omnium vesaniam nová

vâ scenâ *Theatrum Jesuiticum* instauravit. Collèctas nefarii operis favillas in publicum protrusit, & de Prophetia S^tæ^, Hildegardis commentum repetiit publico judicio mendax liber *la Morale Pratique des Jesuites* : ex hac penu, *Tuba magna* clangorem suum elicuit.

Sic veterem in limo ranæ cecinere querelam.

Sed age, rem ipsam consulamus, & de Prophetia S^tæ^, *Hildegardis* intelligamus magis ex propinquo.

Vixit hæc Sancta sæculo duodecimo: anno 1148. ad eam literas dedit *Eugenius* Pontifex, & stimulum addidit, ut scripto posteritati relinqueret, quæ singularia in se Dei dona experiebatur : *Gonzalus Durandus* S^tæ^. Hildegardis Prophetias omnes collegit, retulitque in eo libro, quem *Revelationes S^tæ^. Brigidæ* appellavit, impresso Coloniæ Agrippinæ, ex Officina *Bernardi Gualteri* anno 1628. Hæc, quæ nunc objicitur, inter illas omnes non exstat, sed neque de ea meminerunt, qui minutiora quæque in illius vita notarunt. Non Abbas *Theodorus*, vel ut aliis placuit, *Theodoricus*, qui vitam S^tæ^. *Hildegardis* tribus libris conscripsit, quam *Surius* retulit tomo V. die 27. Septembris: Non *Thrithemius*, qui de illa meminit lib. 3. de Vitis Illustribus cap. 34.

Adde, S^tæ^. *Hildegardis* nomine insignitas alias quoque vulgatas fuisse Prophetias, sed semper Apocriphas habitas esse, quia inter olim à probatis scriptoribus collectas, locum minimè habuerant : exemplum est apud *Ludovicum de Alcaçar*, qui Not. 24. in Prœmium

Apoca-

Apocalypsis N. 9. refutat Prophetiam huic Stæ adscriptam, relatamque à *Joanne Taulero* cùm ipse quoque Apocalypsim commentaretur. Hâc ratione, aliarum autoritatem elevavit *Pereyra* lib. 14. de *ætate Noë* disp. 5. aliam item *Alcaçar* Stæ. *Brigidæ* adscriptam, & plures Cardinalis Baronius in Apparatu ad Annales N. 12 Notavit idem Eminentissimus tom. 1. ad annum Christi 97. N. 3. "Hæreticos falsas revelationes excogitasse, quas "sibi divinitùs allatas dicebant, easque interdum Apostolorum vel aliorum insignium "Virorum titulo nobilitasse.

Solus *Abrahamus Bzovius* tom. 15. Annalium ad annum 1415. N. 39. refert in Conventu *Dertusensi* RR. PP. Prædicatorum Codicem ostendi, cùm hæc scriberet, pervetustum, cui titulus esset, *Manipulus Florum Thomæ de Hibernia*, atque in eo Codice inveniri exemplum Prophetiæ Stæ. Hildegardis, de Religiosa familia futuris sæculis exoritura.

" *Circumferebantur*, inquit *Bzovius*, id temporis (sæculo 15.) variæ diversorum Revelationes, Prophetiæ, Visiones, & reliqua "diviníoris Spiritûs argumenta : exstat inter "alia quædam Prophetia S. Hildegardis, cujus etiam nunc videtur exemplum, *adscriptum* in pervetusto Codice Bibliothecæ Dominicanæ *Dertusen*, cui libro titulus est "*Manipulus florum Thomæ de Hibernia*.

Genuina esse, quæ *circumferebantur*, *Bzovius* non affirmavit : neque meminit unde, à quo, aut quo momento habitum esset ad-

scriptum

ſcriptum exemplum : pervetuſtis ejuſmodi particularium Codicibus, pervetuſtas fabellas exhiberi quàm plurimas, nemo mediocriter eruditus eſt, qui ignorat.

Repete nunc, ſi placet, ad quæ tempora remittamur : aſcendimus ad ſæculum quintum decimum, id eſt ad eam ætatem, quâ graviſſima tempeſtas deſæviit in quatuor Ordines Mendicantes : plures accuſationes eæque graviſſimæ adversùs eos ſunt inſtauratæ in Concilio Conſtantienſi, plures oblati libelli ſupplices, ut authoritate Concilii examinarentur Regularium Doctrina, modus facultatis adminiſtrandi Sacramenta, Prædicandi, admittendi ad ſepulturam fideles & flagitandi Eleëmoſynas : quæ ſingula materiam jactatæ Prophetiæ abſolvunt; quod omnes cognoſcere poſſunt ex eo libro, quem *Joannes Gerſon* inſcripſit, *Propoſitio in Concilio Conſtantienſi ex parte Regis Franciæ* : *in tertia*, inquit, *erat brevis ſcedula petitiva examinationis faciendæ de deliberatione quatuor Ordinum Mendicantium ſuper novem Aſſertionibus* : quas aſſertiones retulit idem *Gerſon* in Opuſculo *de Nuptiis Eccleſiæ* ; omnes eadem enuntiant, quæ contra has Religiones prætenſa commemorat Prophetia.

Tempeſtatem illam mirùm quantùm augebant Prælati Eccleſiaſtici, nec pauci, nec infimæ notæ ; graviſſima ſunt, quæ viri illi omnibus Ordinibus objiciebant; de his vide Opuſculum, *Diſceptatio Mendicitatis*, quod *Gerſoni* quoque adſcriptum eſt.

Accedebant propoſitiones *Wicleffi*, quarum

rum 21. & 24. contra Religiosas familias in eodem Concilio erroris damnatæ fuerunt. Pacem vix promittebant inter ipsos Ordines, graves dissentiones, ac per quàm molestæ: de his meminit Concilium Constantiense Sess. 19. S. Antoninus, & pluribus *Severinus Vinius* tom. 3. pag. 786. Editionis Coloniensis, atque iterum in Notis post Concilium Viennense.

Dum miserè in hunc modum familiæ illæ jactarentur, & foris pugnæ essent gravissimæ, intus timores; circumferebatur præclara hæc *Stæ. Hildegardis* Prophetia, eadem proferens quæ plures per id tempus Religiosis objiciebant, fortè ut majoris ponderis viderentur, cùm appensum Sanctæ Abbatissæ nomen præferrent. Atque propterea constans est habitum, extravagantem hanc Prophetiam, aut *Wicleffi* fuisse inventum, aut certè malevoli infame dicterium.

Vides, quid de re ipsa meritò possis arbitrari. Neque tamen hoc nostrâ causâ dicendum est: gratias Superis maximas, nihil scriptio illa exhibuit, cujus Societatem nostram ream esse aptis momentis quisquam docuerit: quædam etiam, omnium usu à nobis maximè sunt aliena Accipe specimen aliquod ex ipso exemplo illius Prophetiæ, quod circumfertur.

Sancta Hildegardis Abbatissa, sic narrat Codex Thomæ de Hibernia, *Prophetavit dicens.*

„ Insurgent gentes, quæ comedent pecca-
„ ta populi, tenentes Ordinem Mendicum:
„ sinè devotione, & sinè exemplo Martyrii;
„ abstrahentes Sacramenta alteris Pastoribus:

„ ra-

„rapientes Eleemosynas pauperum : tollent „res injustas & malè acquisitas : ibunt circa „domos famelici, sicut canes rabidi: vendi-„tores Indulgentiarum. Et quæ tædet relegere. In tam cæcum non incidi; qui hæc Societati bene applicari posse existimaret.

Venio ad Commentarios.

Sic igitur narrant.

„Illmus. *Hieronymus Baptista de la Nuza* „Ordinis Prædicatorum Episcopus Balbas-„triensis, & Albaricensis omnia illa prædicta „in Jesuitas quadrare ostendit per singulos „articulos in Commentario super Prophetiam „*S. Hildegardis* : Commentarii istius Auto-„graphum anno 1654. quo Theatrum Jesui-„ticum conscriptum est, exstabat in Prædica-„torum Conventu Cæsaraugustano (*a*). Hæc illi, ut solent mendaciter.

Ostendi prioribus Vindicationibus *Cæsaraugustâ* responsum fuisse, neque Prophetiam ibi inveniri *Stæ Hildegardis*, neque in illam Commentarios Illmi. *de la Nuza* : in Conventu *S. Vincentii Ferrerii* sedulò comparatum esse Catalogum omnium, quæ ibi haberent autographa, nullos tamen inter hæc inveniri in Prophetiam illam Commentarios. Sapuit ad hæc autor *Tubæ Magnæ*, & Magistris suis prudentior, fatetur in eo Conventu inventos non fuisse anno 1684. quo tempore de iis fuit inquisitum : affirmat tamen exstitisse 1654., atque, ut difficili nodo se eripiat, scindatque, quem solvere non posset, *posteâ*, inquit, commentarius ille *fuit subductus* (*b*). Dig-

[a] Tuba magna pag. 6. 8 9. [b] Pag. 9.

Digna enimverò evasio! *postea fuit subductus*: quidni quoque edisserit, quo tempore, quo autore, quâ opportunitate tantus Thesaurus fuerit sublatus? ubi nunc demùm custodiatur? aliquid fictum oportuerat, quò minorem lectoris indignationem incurreret: crediderim equidem subductum fuisse, qualiter deliri Judæi fabulantur, quosdam ex Tribu *Juda* post nubes subductos latêre, ibidemque sub Angeli custodia delitescere securos, & *Judæ* Sceptrum incolumes asservare.

Quidquid id est, quicumque Illmo. *de la Nuza* hos Commentarios attribuit, Illmum. Virum impudentis calumniæ reum constituit.

Affirmant hi Commentarii Doctrinam esse Jesuitarum, *Sacramentum Confirmationis*, & *Ordinis*, *quæ per Episcopos conferuntur*, *necessaria non esse*. Tum, ut mendacium hoc stabiliant, eâdem fide facta allegant duo: alterum quod in Philippinis Insulis esset exhibitum sub Ill.mo. *Guerrero*: alterum in Anglia sub Illmo. Calcedonensi. Vide amabo, ut bellè hæc invicem cohæreant.

Illmus. *de la Nuza* diem obiit 15. Dec. 1624. ætatis 70. hoc refert, qui illius vitam Hispanicè exaravit. Illmus. *Guerrero* primùm in Philippinas penetravit biennio pòst, anno 1626. Anglicana litigatio sub Calcedonensi initium habuit anno uno post mortem Illmi. *de la Nuza* 1625. utrumque ex earum Regionum tabulis est notissimum; hìc OEdipo opus est; docendum est, quâ ratione quis possit alteri affingere doctrinam, quam nunc tueatur, idque ex factis,

K quæ

quæ non niſi poſt affingentis mortem exiſtere potuerunt: nimis veſana eſt illa calumnia.

Sed Illmus *De la Nuza* ſpurios hos Commentarios non conſcripſit: in re admodum aperta non multis eſt opus; accipe teſtimonium Patris *Hieronymi Fuſſer* ex Ordine Sti. Dominici, qui Illmi. Viri res geſtas, & vitam literis exaravit: de his Commentariis libro 3. cap. 13. pag. 171. ſic ſcribit.

Ce que je viens de rapporter, ſemble m'offrir une occaſion que je ne veux pas perdre, de detromper ceux, qui par une injuſtice manifeſte contre cet homme Apoſtolique ont pretendu le faire autheur d'un commentaire également groſſier, & malicieux, qui court en cachette entre les mains de certaines gens ſur une Prophetie de Sainte Hildegarde Abbeſſe d'un Couvent de Religieuſes dans la haute Allemagne, qu'on a ſans doute fabriqué de nos jours contre la Sainte Religion de la Compagnie; puiſque la fauſſeté de cet ecrit ſe decouvre d'elle meſme, auſſi bien d'une entrepriſe ſi temeraire s'efforce d'appliquer cette Prophetie à un Ordre ſi illuſtre.

En effet l'on ne voit point, qu'elle ſe trouve dans le 15. tome de la Bibliotheque des Peres de l'edition de Cologne, où ſont les Revelations de la Sainte; ny elles ne reſſemblent point pour le ſtyle à celle qu'on a voulu faire paſſer ſous le nom de S. Hildegarde, & d'un interprete ſi conſiderable, ny enfin cette nouvelle Revelation inſerrée par Bzovius pag. 469. de l'edition de Cologne, ne ſçauroit en aucune maniere eſtre appliquée raiſonnablement à la Compagnie de Jeſus. Combien moins le peut celle cy, dont l'auteur

teur ajouſtant ce qui luy eſt venu en l'imagination, & donnant pour le texte meſme ſa maligne Paraphraſe, s'eſt efforcé de l'autoriſer d'un nom d'un Ecrivain auſſi ſçavant, & auſſi venerable que l'eſt D. Jeroſme de la Nuza.

Pour refuter donc cette calomnie, & afin que l'on ſcache l'eſtime que le Serviteur de Dieu avoit de la grande Sainteté de la Compagnie, laiſſant à part pluſieurs autres preuves, que j'en pourrois donner, comme Temoin domeſtique de ce Prelat, je diray ce qui ſuffit pour confondre celuy qui à divulgué ce pretendu commentaire, & pour deſabuſer ceux qui ne l'ont pas mepriſé comme faux.

Sed ipſum Ill^um. *la Nuza* propriis verbis loquentem excipiamus; erit hinc omnibus manifeſtum, quis ei de Religione Societatis fuerit ſenſus; "In lucem, inquit, Deus pro-"duxit inclytum P. Ignatium de Loyola, "qui eodem tempore confortatus, primò Cœ-"leſti D. Petri viſitatione, & demùm aliâ "Genitricis Dei Mariæ, depoſito cingulo "terrenæ militiæ, ſe militem conſcripſit in "Chriſti exercitu, Chriſto in illo ferventia "excitante deſideria famulatûs ſui, ex qui-"bus originem traxit Inſtitutio Societatis Je-"ſu, adeo celebris in Eccleſia, ut nemini "meritò dicatur cedere ſecundâ: quæ ſingu-"lares, & omnes ſuas ad hoc dirigit vires, "& ſtudia, ut frequentem perſuadeat uſum "SS. Sacramentorum, & acriter Autoritatem "Sedis Apoſtolicæ, & Romani Pontificis "ſalvam defendat, & illibatam.

Hæc Senior *De la Nuza* & laſſus, cum

ſit

firmiùs figeret pedem. Tom. 4. Homil. 40. N. 13. pag. 226. Editionis Antv. 1649.

✱ Nihil quoque in his omnibus *Liberius* notavit; pro adducto à se malè Illmo *De la Nuza*, pro fictitiis Commentariis, nullo verbo pugnavit. Verùm habeo ego prætereà quod *Liberium*, Sociosque ipsius commonefaciam, qui impudentem objectionem ab hac *Prophetia*, ut volunt, ejusque *Commentariis* petitam in publicis detractionibus suis omni idiomate divulgant.

1o. Si quid sciant, Respondeant ad ea quæ adduxi, & affirmavi: turpissima res est constans calumniator, qui numquàm novit tacere, nisi ad propria mendacia, cum clarissima tandem ob oculos ei proponuntur.

2o. Quis Catholicus certò affirmavit eam Prophetiam Stæ. Abbatissæ tribui debere? Affirmavit id quidem *Joannes Wolfius*, sed hæreticus; *In Memorabilibus* Cent. 12. anno 1180. pag. 400. quamquam neque ipsi *Magdeburgenses*, ausi fuerunt, ipsam inter Virginis illius opera annumerare, cùm tamen ea ex *Trithemio* repeterent *Centuriâ* 12. cap. 10. à pag. 1700.

3o. Quis Catholicus eam *Prophetiam* alicubi admissam aut probatam fuisse scripsit? nonnullus, his literis I. L. W. nomen suum occultans, scripsit, illam approbatam fuisse in Concilio Trevirensi, tum item ab *Eugenio III.* sed hæc scripsit item *Hæreticus*, qualem totâ opellâ suâ se probat: ex quo Catholico monumento illud acceperit, tacet.

4o. Quis Catholicus ad divulgatam illam

lam *Prophetiam* Notas suas adjecit, aut *Commentariis* eam alteri benè applicavit, ante hæreticum illum, quem literis suis indicavi? habeo hujus hominis infamem libellum, cui titulum hunc fecit, *Vaticinium Hildegardis Jesuitis accommodatum.* Inscriptum est alteri Hæretico *Henrico Cligneto*, vulgatum fuit ab annis amplius 70. collectore tertio Hæretico *Gratiano Leosthene Saliceto.* Paginas complectitur ultra centum.

50. Quis homo sanæ fidei, imo qui nòn oppidò insaniat, patienter hoc Vaticinium, ut est nobis accomodatum, pervolvat? Tam est delirum, tam est impium. Accipe Applicationis unum exemplum.

In appellata *Prophetia* dicuntur futuri *Pseudo-Apostoli*, hoc nobis est applicandum; evincendum est, Jesuitas esse *Pseudo-Apostolos.* Intellige quâ ratione illud commonstret; subjungo propria verba, qualia publica sunt in famoso, damnatoque libello *Elixir Jesuiticum* paginâ 364. *Cùm enim Christus tantùm duodecim elegerit*, inquit, *duodecim tantùm fuerint, quos in Universum Orbem ire, & Evangelium omnibus gentibus annuntiare jussit, unde igitur hi*, Jesuitæ? *à Patre mendaciorum, falsitatis, & seductionis.* Numquid bellè? Pseudo-Apostoli sunt Jesuitæ, quia Christus Apostolos habuit non amplius duodecim: Quidni Pseudo-Apostoli sumus, quia in Oriente nati non sumus, aut quia nondum è vivis excessimus? Est ne qui credere possit, cæcam maledicendi pruriginem eò hominem posse abducere, ut tam insulsa scribat, tam deridicula?

Duabus

Duabus pôst paginis eamdem applicationem his verbis suis instaurat. "*Apostoli* homi-
» nes ad Christum unicum Servatorem mundi
» adduxerunt. *Jesuitæ* à Christo ad alios Me-
» diatores, Salvatores, Intercessores, Adju-
» tores adducunt. *Apostoli* Cœnam Domini,
» uti ipse instituit, celebrarunt; *Jesuitæ*, illi
» Missam suam substituerunt. *Apostoli* idola-
» triam omnem damnarunt : *Jesuitæ* eam
» docent, & in ea homines informant. *Apo-*
» *stoli*, diem Dominicum Domino, & in
» ejus honorem celebrarunt : *Iesuitæ*, Sanc-
» torum, Sanctarum, etiam Patris, & Pa-
» troni sui Ignatii Canonizati, Festa cele-
» brant.

Habes Lector Autores, habes momenta applicatæ nobis *Prophetiæ*, habes originem, & vim *Commentariorum*: de his omnes intelligant, qui hæc nobis objiciunt, & si Deum timent, resipiscant. ✱



CAPUT,

§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§

CAPUT OCTAVUM.

Perperàm contra Societatem adducitur Epiſtola adſcripta F. Ludovico Sotêlo *Ord. Min. S. Franc. de Obſervantiâ.*

1. *Quia non probata eſt, eſſe genuina.*
2. *Multiplici ex Capite dubia eſt.*
3. *Pluribus vitiis laborat, & nullius eſt ponderis.*

L*Udovicum Sotêlo* mundo dedit Hiſpania: quibus natalibus, quo tempore, aut ubi ortum, nec magnoperè intereſt ſcire, nec inveniô: qui de illo meminerunt, de his ſilent. Adſcriptus Sti. Franciſci Religioſiſſimo Ordini, quem *de Obſervantia* appellarunt, ex Provincia Bætica Sacerdos in Indias Occidentales profectus eſt: ex Indiis circà annum 1600. in Japoniam penetravit. Ibi annos duodecim gentis converſioni operam impendit: anno 1613. ex Japonia in Europam iterum navigavit; comitatus eſt eo itinere *Philippum Fraxecuram* Regis *Oxu* conſanguineum, & hujus ad Paulum V. in Urbem legatum. Biennio pòſt, anno 1615. unà cum legato Romam advênit; ibi bonorum omnium gratulatione Pontifici Maximo in publico conſeſſu *Philippus* obedientiæ, ac fidelitatis præſtitit Sacramentum: hanc Legationem integro librò expli-

explicavit *Scipio Amati* legatorum interpres: legationis monumentum supereſt in monte Quirinali, in ampliſſima aula præ foribus Sacelli Pontificii.

Gratiis, & honoribus auctos *Paulus V.* Legatos remiſit: conſenſit *Sotêlum* Epiſcopis annumerari, atque eâ dignitate ornatum in Japoniam redire, ſi tamen conſilium illud probaret Rex Catholicus. Quinque & amplius annis *Sotêlus* in Europa manſit ſeu Romæ, ſeu Madriti: hìc egit, ut ei benevolentiâ Pontificiâ frui liceret, ſed Rex perſonam *Sotêli* non probavit. *Sotêlus* more majorum, & in dies uſitato, cauſam in Jeſuitas conjecit; alii aliam commemorant. *Compertus ille fuerat*, inquit *Forêrus de Sotêlo* ſcribens in Mantiſſa Anatomiæ ſect. 3. pag. 101. Edit. Colon. *Alicujus inſignis falſimoniæ, quam ſanctiſſimus illius* Ordo *non probàvit in ſua legatione; quemadmodum & Roma, & Hiſpania novit, & illi commemorant, qui in iis locis fuerunt, undè non levem ſui honoris jacturam fecit.* Ipſi Ordinis ſui Religioſi, multis urſerunt, ne in Japoniam iterum diſcedere permitteretur; diſceſſit tamen, ſed privatus: appulitque tandem anno 1622., aut 1623. In itinere vectoribus innotuit Sacerdos, & talis renuntiatus eſt; quamprimùm in portum advênit, extemplò cuſtodiæ traditus eſt duobus ſociis comitatus; his paulò poſt junctus eſt quartus ex Ordine Sti. Dominici, quintus quoque ex Societate Jeſu, qui ſimul omnes 25. Aug. 1624. lento igne extincti, ſanctiſſimæ ſuæ in Fide conſtantiæ ingens poſteris monumentum reliquerunt. Accipe

Accipe nunc accusationis Summam; Martyr, inquiunt, gloriosissimus *Ludovicus Sotêlo*, è carcere, quo *Omuræ* detinebatur, gravem, amplam, ac doctam Epistolam dedit 20. Januarii 1624. ad Urbanum VIII. P. M. illâ explicat Religionis statum per ea Regna, Provinciasque: nefas est suspicari Martyrio proximum, in rebus se ipsis gravissimis mentitum fuisse, nefas eum de calumnia velle postulare: quod si sincera retulit, & certa, nemo est, qui non videat, gravis & multiplicis peccati Religiosos Societatis in iis Provinciis reos fuisse. Huc redit omnis reprehensio.

De Martyrio nihil disputo, gratulor palmam; quæro de Epistola, qualem publicam faciunt, an verè Matyrem illius autorem esse pronuntiaverint.

Nego quemquam evicisse, vulgatæ toties Epistolæ autorem fuisse, *Ludovicum Sotêlum*. Ac Primò in confesso est, neminem nominari, qui aptè deponat, hujus Epistolæ, & illius autoris autographum, aut hujus autographi dignis testibus probatum transsumptum, à se alicubi visum fuisse.

Audiamus quæ afferant, nihil prætereo.

1. Servatur, inquiunt, Originale in Archivis Romanis Congregationis de Propaganda: quis est, qui hoc nuntiat? ipse accusator *Liberius Candidus*, criminator larvatus: larvis fidem non habeo: liberi dicti sui nullum affert momentum, & aliàs de calumnia convictus est: idem commemorat liber, cui titulus *La morale pratique des Jesuites*. Sed alter testis infamis est, &

& talis publicio judicio: alius nemo indicatur, qui de suo affirmet autographum eo loci asservari: quod sanè si ibi depositum est, jam ultra octogesimum annum ibi servatur: peti poterat, & obtineri, ab iis maximè, quorum intererat falsæ toties allegationis appellatos, tam turpi notâ se liberare, nullus est in hunc diem, qui hoc fecerit.

✱ Gravissimum hoc Argumentum, *Liberius* nec digito ausus est attingere. ✱

2. Alterum testimonium, quo *Sotêlo* adscriptam Epistolam vindicent, à *Didaco Collado* petitum est: fuit is Sanctissimo Ordini adscriptus Sti. Dominici: in Japoniam venit mense Julio 1619. Triennio ibidem nondum expleto, ex Superiorum Mandato in Philippinas Insulas redivit anno 1621. in his substitit, ferè biennio; anno 1625. Romæ adfuit, de Martyribus, quos plures Japonia dederat, apud Pontificem expositurus; hunc narrant *Sotêli* Epistolam ex *Philippinis* in Urbem secum attulisse. Quâ opportunitate, è carcere *Omurensi*, ex Japonia, in iis Insulis, & in ipsius manus devenerit, non narrant: addunt, *Didacum Colladum*, eamdem Epistolam, & eidem Pontifici, cui illam *Sotêlus* inscripserat, aliquo pòst tempore, integram & autographam tradidisse. Exempla denique hujus Epistolæ divulgant, quibus hæc verba subscripta leguntur: *Concordat in omnibus cum suo originali, quod apud me habeo, præter quædam, quæ numero 15. justa de causa vel deleta, vel mutata sunt quo ad verba, non tamen quo ad sensum, quin aliquod vel minimum verbum*

bum sit superadditum. Quod ita esse affirmo in verbo Sacerdotis. Sic subscriptum, F. DIDACUS COLLADO *Ord. Prædicatorum.*

Insolens hoc testimonium, an omninò dederit *Collado*, nemo probavit, nemo docuit ubi, aut quo tempore scripserit; nemo explicavit, quâ ratione apud se originale servaverit Summo Pontifici inscriptum, & quod cum exemplis componere posset. Neque quæ fuerint illa *mutata*, aut *deleta*, quâ autoritate, quæ causæ illius mutationis, quæ nunc demùm exempla autographo respondeant; plura sunt etenim, nec unius generis: alia latina sunt, & antiquiora, adjuncta Consultationi *Iuniperi de Ancona*, hæc singulis paginis plurimas Notas annectunt, quæ integros margines occupant: alia Gallica, hæc Notis carent, sed Numeris, aut Paragraphis amplos titulos, vel, si mavis Summaria pro arbitrio præmittunt: utraque idem ad calcem annectunt concordantiæ testimonium; Gallica tamen nullum Numerum indicant, in quo aliqua facta sit immutatio. Alia iterum latina sunt ferè hesterna, hæc, nullas Notas habent adjunctas, nulla numerorum *Breviaria*: nuda sunt, nullo munita testimonio. Tam obscurum est, quæ tandem hujus autoritate, si quæ esset, sincera haberi possent.

Sed de his curet, qui *Colladum* hìc æstimet.

✱ Nemo surrexit, qui ex his omnibus aliquid mihi eriperet. ✱

Didacus Collado aliàs fefellit, nec semel, suos quoque in Ordine Superiores, & graviter in rebus gravissimis: hæc ego non repete-

peterem, nisi ejusdem Ordinis scriptor, & in Historia ejusdem Provinciæ, quæ in Insulis *Philippinis* à *Rosario* nomen habet, hæc antè publicis typis vulgasset (*a*) : hanc Historiam manuscriptam, & indigenis, dum res tulit, communicatam legere potuit ipse *Collado*, jussu Regio, quo Rex Pientissimus communi paci consuleret, & turbatoribus caput rescinderet, in Europam revocatus 21. Febr. 1637. & iterum eodem mense, anno proximo 1638.

Hâc Historiâ teste (*b*), ex Ordine, RR. PP. Prædicatorum Procurator apud Aulam Madritensem nihil suspicatus est de fraude F. Collado, *quam tamen posteà detexit* : Fr. Collado *quod neque ratione potuit, circumventione studuit obtinere* ; *literas item patentes à Generali suo obtinuit notoriè subreptitias*, & *sub prætextu manifestè falso*. Fr. Collado *viis iniquis informationes instituit dolosas*. Fr. Collado *contrà expressam sui Generalis inhibitionem rem Ordinis sui gessit*. Plura id generis ibi occurrunt, hæc ad propositum sunt satis.

Sed aliàs, & sæpius præterea *Collado* imposuit, & graviores contrà Religionem Societatis calumnias vulgavit, igitur in hâc re testis esse non potest : testimonio sunt *Acta* Concilii Regii, quæ Madriti asservata, Gallico idiomate, quali ad me pervenerunt, sic habent.

Le Capitaine General de la Chine, Manuel de Camara de Noragna, *donne avis à sa Majesté, que le Pere Diego Collado de l'Ordre*

(*a*) Anno 1640. (*b*) Lib. 2. cap. 56. pag. 371.

l'Ordre de saint Dominique avoit imprimé un livre sans permission de l'Ordinaire, ny du Conseil, & sans nom d'Imprimeur, dans lequel il disoit contre les Religieux de la Compagnie de Jesus des choses indignes de son habit, & contraires à la raison, eu egard à l'edification, qu'ils avoient donnée en ce Païs-la par leur science & par leur grande vertu, avec les travaux, qu'ils souffroient dans l'instruction des nouveaux Chrestiens de ces Royaumes, prechant la Foy au depens de leur sang; ainsi qu'on le pouvoit voir par les insignes Martyrs, qu'ils avoient eus encore depuis peu d'années au Japon: que par le devoir de sa charge de Capitaine General il se croyoit obligé à donner beaucoup de loüanges à ceux de la Compagnie, pour ce qu'il en avoit connu par experience: & qu'il n'êtoit point avantageux pour le service de Sa Majesté qu'il y eust des semblables divisions entre les Religieux, sur tout dans un temps, ou les Heretiques s'etudioient de si pres nos actions pour voir, s'ils trouveroient de quoy autoriser leurs erreurs, & leurs mechancetez.

En consequence des remontrances, & de celle que fit en même temps le Procureur General de la Compagnie disant, que le Pere Diego Collado estoit retourné aux Philippines, & de la à Macao, contre les defences de Sa Majesté, qu'il avoit troublé la paix des Ordres Religieux & de la Chrestienté du Japon, & de la Chine, & qu'il avoit imprimé le livre, qu'on vient de dire, qui etoit un libelle diffamatoire contre la Compagnie, avec le quel il avoit scandalisé tout le peuple, & les nouveaux Chrestiens de ces

contrées la : il plût au Roy nôtre Seigneur, qui est maintenant au Ciel, de resoudre par l'avis de son Conseil de Portugal le 27. *jour de Fevrier* 1638. *qu'on reiterat les ordres donnez auparavant par Sa Majesté au sujet du Pere Diego Collado &c.*

Et afin que tout cecy puisse être connu où il sera besoin. Nous avons delivré le present Acte à la Requeste du Procureur General de la Compagnie de Jesus, & par le commandement de Sa Majesté à Madrit le 2. *jour d'Aoust* 1686.

CR. J. BOTELLO.

Tam multis denique de R. P. *Didaco Collado* innotuerat, ut eo vivo, publico libro *Laurentius Forrerus* scribere non dubitaverit: *Fr. Collado officio Inquisitionis Fidei in Hispania hodieque* (1635) *ita notus est, ut illius Testificatio non pluris, quam cassa nux facienda sit.*

* His omnibus de *Collado* relatis, se contra *Liberius* opponit; invênit in officina sua quæ excerperet, in *Morali Practica* Tom. 3. Anteaquam verò decertet pro asserenda fide R. P. *Didaci Collado*, duo affirmat. 1. „Sacer Ordo, inquit, S. Dominici... Epistolam, de qua in præsenti quæstio, indubitanter agnoscit verè esse S. Martyris Sotêli.* Commonstret ergo ubi, & quando, agnoscat, aut agnoverit esse genuinam : ni faciat, lectoribus imponit, & Sanctissimo Ordini R. R. PP. Prædicatorum injurius est.

2.° Quasi prioris dicti sui rationem redditurus, „Quandoquidem ait Originale ipsius „à

* XVII,

„à S. illo Martyre, manu propriâ ſubſcrip-
„tum, in manus S. D. Urbani VIII. tradi-
„derit, vel tradi fecerit zeloſiſſimus ejuſ-
„dem Ordinis in Partibus illis Miſſionarius,
„& Miſſionariorum Superior, *Didacus Col-*
„*lado.* *

Unde, amabo, iſta vacillatio, Epiſtolam *tradidit*, *vel tradi fecit?* hoc diffidentis eſt, idque conſtanter; alterâ enim pòſt paginâ. * iterum repetit „Epiſtolam *per ſe*, vel *per* „*alium* Colladus Sanctiſſimo tradidit. Recedit *Candidus*: Epiſtola ab heroe ſuo, ab Arnaldo vulgata, præfert hæc verba, *Lettre du R. P. Louis Sotelo... & qui fut portée au meme Pape par le R. P. Diego Collado.* Unde nunc illa disjunctio *tradidit*, vel *tradi fecit*, per ſe *vel* per alium? An Religioſus, ex ultima Japonia poſt tot diſcrimina rerum, in Urbem feliciter advectus, pretioſiſſimum pignus, Epiſtolam B. Martyris Summo Pontifici inſcriptam, præter omnem uſum ipſe non traderet; qui de autore, de tempore, de circumſtantiis ſcriptionis ſolus poterat communicare? qui non meliori titulo apud Pontificem admitti poterat, quàm quod tantus Tabellarius accederet, ſed veluti rem obviam, aut nullius, momenti, Summo Pontifici, veluti de minoribus loquimur aut æqualibus, *per alium tradi faceret?* non cohærent.

Venio ad R. P. *Colladum*: hoc diſceptamus, ſitne hic aptus teſtis, atque an admittendum ſit ipſius teſtimonium, quo deponeret dictam ſæpe Epiſtolam eſſe genuinam. *Li-*

berius

* Ibid. * Pag. XIX.

berius affirmat, ego nego, & teſtimonium illud recuſo. Scribit continuò *Liberius* more ſuo liberrimè, Jeſuitas alios impudenter traducere, dum ipſimet ſunt mendaces impoſtores, falſatores, & his affinia, muliebria quæque.

Hæc ad Forum ego remitto, vel ad Angiportus ſi mavelit, ibi ad ravim clamitet, dum raucus fiet.

Cauſæ, Teſtimonium hoc recuſandi, duæ ſunt à me aſsignatæ. 1a. Quia *Colladus* fefellit non ſemel. Hoc evictum eſt ex ipſamet Ordinis ſui Hiſtoria, & ipſo vivo conſcripta, ad hoc probandum, momentum certius, atque ſolemnius inveniri non poteſt ullum: quid contra hæc affert *Liberius*? *O Ludricum*, inquit, *argumentum*, *riſum teneatis amici!* hæc verba ſunt; ipſa nihili facio: deſperata res eſt, ubi clamoribus agitur. Reſponſum poſtulo, & argumento dignum. Hic hæret aqua, nihil jam habet *Liberius*, quod de ſuo rejiciat. Ad autorem ſuum recurrit ad Tom. 3. *Moralis Practicæ*, ex hac, pag. 504. & 505. duodecim lineas emendicat, quas multis parentheſibus ſuis obſcuriores, è Gallico in Latinum ſuum tranſtulit. Audiamus tamen quid ferant: *Hiſtoricus* inquit, *in iſtius Provinciæ Hiſtoria*, *declaraverit id quod putabat*: * enimverò, neque enim exiſtimo, eum alterius causâ mentiri voluiſſe. Imò, pergit, Hiſtoricus ille *Putabat*, in Lite in iis Regionibus ſubortâ, cúm ipſe ſtaret ab una parte, ſuas rationes eſſe veras, & *Puta-*

* Pag. XVI.

putabat rationes *P. Collado*, qui stabat ab altera esse falsas, quas tamen *P. Collado* bonâ fide credebat esse veras, hinc immeritò ab Historico fuit traductus. Hæc Summa est. Fateor, hæc scribi posse vix crederem, nisi oculis viderem meis: Quis enim Autor hæc hominem docuit? Ubi Religiosi Ordinis Historici, in perpetuis suis monumentis, se sociorum suorum *Partem* constituunt, aut *Adversariorum*? Ubi se tales constituere permittuntur? Ubi Historia Ordinis, scribentis opiniones dici possunt? Quæ fides Historiis poterit adhiberi, si autorum suorum opinamenta dici posśint? Quid est, quod eâdem viâ eludere non fuerit commodiśsimum.

Si *R. P. Colladus* A°. 1597. Romæ informaverit in causâ Martyrum Japonensium ex Ordine S. Francisci. Si *Leo Allatius* à scriptis operibus *Colladum* encomiis ornaverit, si Doctor *Cevicos* declaraverit, 10. Octobr. 1628. eum sibi semper visum hominem sincerum & probum, quorum nihil examino; hæc Historiæ *Provinciæ S. Rosarii* minimè contradicunt. Huc omnis res redit; aut fallit Historia, aut falsus *Collado* est. Eligat *Liberius* quam gratiam mavelit præstare sanctiśsimo Ordini PP. Prædicatorum. Ego Historiam teneo, quam testem adduxi, & qualem ipse *Arnaldus* agnovit, hæc quamdiù stabit, causa hæc prima omnibus semper erit probatiśsima, recusandi, quod pergo in hac re recusare testimonium *R. P. Collado.*

Accedit ad eam causam hæc altera; quod is, qui in Religione sua fefellerat, Societatis

Accusatorem se constituerit, & calumnias de ea vulgaverit. Utrumque testimonio suo firmavit Minister Regius, in instrumento relato, misso ad Regem Catholicum, & nunc publico, ex Regio Mandato: nullum iterum momentum ad hanc rem adduci potuit solemnius. Illo testatur Regius Minister, prodiisse librum nullâ impressionis lege servatâ, autore *Didaco Collado*, quo de Societate referebat Habitu suo & Religiosâ veste indigna, rationi contraria; eum item impresso famoso illo libello, & prætergressum Regia Mandata, iteratis literis Regiis, in Europam jussum esse remeare.

Quid ad hæc denuò *Liberius*? Redit eadem cantilena: *ubi bonus sensus tuus*? me alloqui dignatur, ubi *Sobrietas & gravitas judicii? An non potius evidenter se prodit levitas convitii tui? Quid si testificatio illa de numero sit earum, quas Jesuitæ subinde extorquent à sibi devotis*? Numquid belle? Quales Accusatores, audire nos tandem oportebit; verùm hiatus illi, quid habent solidi oris cui innitantur? *Arnaldus* hoc loco nihil suggessit, ad prioris effugii imitationem, aliquid fuit à *Liberio* efformandum. *Quis sapiens dixerit*, ait ipse, *quod vel opinio, quâ Capitaneus ille, ea credidit esse falsa, quæ Colladus de factis Jesuiticis melius informatus non dubitavit esse vera, vel declaratio quam fecit conformiter ad præconceptam suam opinionem sit evidens indicium* contra Colladum? Et iterum, *ex ea declaratione solùm conficitur, quod Capitaneus ille bonam de sociis sibi notis opinionem habuerit*

erit, non quod Colladus ea mendaciter scripserit, quæ Capitaneus falsa existimavit, maximè cum non probetur, nec probari queat, ipsi notos fuisse socios omnes, actaque omnia ipsorum sinè qua notitia testis idoneus esse non potest falsitatis eorum, quæ Colladus in libro illo scripsit, multo minus malæ fidei quæ scripsit. *

Putasne tu hic homo ineptus esset, qui pro *Clodio* diceret? Nollem tamen ut pro me surgere deberet, nihil enim habet, qui non alia potest adferre, & se damnat, cum studet defendere. de libello contra Religiosos Societatis divulgato, testimonium dedit Minister Regius, intellexit Concilium Regium, statuit Rex ipse, & hominem turbulentum ab Indiis jussit recedere, navigio in Europam transferendum; nihil hic opinionibus actum, nullus locus hic est, judicio *Liberii*, quod ex ea declaratione confici debeat. Si quid possit, hoc agat; proferat legitimum instrumentum, quo decernatur Ministrum illum Regium apud Regem imposuisse de *P. Collado*; quo constet Concilium Regium, & Regiam suam Majestatem, aut iniquè & injuriâ animadvertisse in P. Colladum, aut malè in errorem inductos fuisse. ni faciat, stabit hæc altera causa, omnibus semper certissima, recusandi, quod pergo recusare testimonium R. P. Didaci Collado.

Discat levis argutator, valere tandem & obtinere Regiâ autoritate, Religionis Ordinis publica instrumenta. Discat certa esse, quæ iis innituntur, neque horum fidem elevari

* Pag. XVII. & XVIII.

vari posse malè cohærentibus blateronum obgannationibus.

Redeo ad edita priùs: *

Ultimum testimonium à *Waddingo* accersitur: hic, inquiunt, Ordinis Min. Scriptores recensuit: librum suum Romanis typis, & approbationibus communem fecit 1650. his Scriptoribus annumerat *Ludovicum Sotêlum*, nec alio nomine, quàm quod Epistolam illam exaraverit, igitur nemini dubium esse potest, quin meritò *Sotêli* esse perhibeatur. Hæc illi, sed falsò, præter æquum, & abs re.

1. Falsum est quod commemorant in hæc verba (a), *Le Pere Luc Wadding a mis Louis Sotêlo au rang des Escrivains Ecclesiastiques de son Ordre* POUR CE SEUL OUVRAGE; *ce qui est un argument convaincant de la verité de cette piece. Waddingum* non legit, qui hæc scripsit: liber obvius est, pagina inspici potest 242. ibi plures lucubrationes *Sotêli* enumerat: igitur nullum est momentum, quod pro Epistola *Sotêlo* adscribenda, summum esse reputarunt.

* *Liberius* hæc tacitus prætergressus est: Arnaldum tamen correxit utcumque, scripsitque, non propter hanc *solam* Epistolam, sed propter eam *præsertim Sotêlum* Scriptoribus sui Ordinis annumeratum fuisse. *

2. Præter æquum Waddingum huc advocant: illi de Epistola agunt, quam *Sotêlus Urbano VIII.* inscripserit: de hâc Waddingus nec verbum fecit. Ait ad *Paulum V.* à *Sotêlo* Epistolam datam fuisse, de hâc nihil com-

(a) Mor. pract. tom. 2. pag. 116.

commemorant Adversarii: ità ambo diversa respiciunt. Iniquum porrò est, illius rei quemquam testem appellare, cujus neque mentionem instituit ipse, neque de qua agunt, qui testimonium allêgant.

3. Abs re est denique, quod ex *Waddingo* repetitur: quia neque de illius Epistolæ autographo, neque de instituta illius collatione commemorat verbum; minùs scripsit, hoc Romæ asservari: investigare tamen de deposito illo potuerat, debuerat quoque, post factas pridem oppositiones, quibus plures inficias ierant illius autorem fuisse *Ludovicum Sotêlum*: de nulla Epistola meminit apertè, nisi, & quæ data sit ad *Paulum V.* & quæ Madriti prodierit, ex his criminatores nostri nihil habent præsidii: quoties ad *Waddingum* confugiunt, toties persuadent se nihil habere in hac re, quo asserti sui faciant fidem.

Accedit, vivo *Waddingo*, *P. Danielem Bartoli* è Societate Jesu Romæ anno 1653. typis Ignatii de Lazzaris, approbante Magistro S. Palatii Historiam suam edidisse: in hac negat *Bartoli*, à *Sotêlo* ejusmodi Epistolam datam fuisse, qualem accusatores nostri vulgabant: ait per imposturam illi adscribi: negat *Waddingum* illam Epistolam umquam legisse, si de illa intelligi debeat, quam nobis objiciunt: negat allatum esse momentum, quod veram *Sotêli* Epistolam esse demonstret: ad hæc tacuit vivus *Waddingus*, libro suo jam pridem evulgato: *Haroldus* in continuatione Annalium, mortem *Waddingi* refert in 18. Nov. 1657. Magister Sacri Palatii

latii ex Ordine S^{ti.} Dominici de originali Romæ servato, de Collatione *Didaci Collado* reposuit nihil, nec alius fuit, qui quidquam reponeret: adeò omnibus fuit in confesso numquàm probatum fuisse hanc *Soteli* Epistolam esse genuinam. Et quod amplius est, *Philippus Alegambe* in Bibliotheca Scriptorum Societatis Romæ editâ approbante M.S. Palatii pag. 541. scriptionem illam *Soteli* famosis adversùs Societatem libellis annumeravit.

✱ His omnibus nihil umquam fuit responsum. Componat ergo *Liberius* si potest cum hac Bibliotheca, Testimonium *R. P. Navarete*, quod attulit pag. XIV. quasi Sinensis Jesuitæ scriptionem illam genuinam esse agnovissent: qui ex *Arnaldo* Tom. 3. pag. 412, & 413. hoc *Navarete* adscriptum testimonium desumpsit, existimet sibi ab Arnaldo repositum esse pag. 511. *Ce que vous opposez de Navarete ne peut etre d'aucune force contre des preuves si convaincantes*. Neque ignoret alia *Navaretum* scripsisse nondum Episcopum, alia cùm ad eam dignitatem assumptus fuisset. ✱

Dixi secundò ex multiplici capite dubiam esse; hoc evincunt, tum quæ sunt adjuncta Epistolæ, eamque comitantia, tum, quæ sunt extrà illam: ordior ab his 1. *R. P. Petrus Bautesta* ex Ord. S^{ti.} Francisci Madriti erat anno 1628. ex Japonia, ubi quinquennio moratus fuerat, redux ab anno 1607. *Sotelo* familiariter usus, & diu; hujus characterem noverat apprimè; quam primùm Epistola *Sotêli* Madriti vulgari cæperat, de ea contulit cum *Joanne Cevîcos* S^{ti.} officii Commissario

miſſario, & ab Archiepiſcopo Metropolitanæ in Inſulis Philippinis negotiorum causâ in Europam ablegato: apud hunc expoſuit, exhibitam ſibi fuiſſe Romæ Epiſtolam juſſu Pontificis, ut de ſubſcriptione intelligeret, ac teſtaretur: affirmavit vidiſſe ſe illi Epiſtolæ ſubſcriptum nomen *Soteli*, numquam tamen ſe in ea ſubſcriptione notare potuiſſe characterem *Sotêli*: hæc conſtant ex teſtimonio *Joannis Cevîcos.*

2. Ipſe *Cevîcos* proprium ſcriptum adjunxit, quod 5. Martii 1628. Regi Catholico inſcripſit: narrat hoc Scripto, incidiſſe ſe in Epiſtolam, quæ *Sotêli* eſſe ferebatur; ſed eâ perlectâ, graviter moleſtèque tuliſſe plura facta in illa affirmari à veritate longè aliena: alia malitiam præ ſe ferre, alia latentius venenum, ſingula alienæ famæ detrimento, gravi in re, & ſummi momenti: perſuaſum ex eo ſibi habuiſſe, aut fictam eſſe Epiſtolam, aut certè talem non eſſe, qualem *Sotêlus* dictaverit: tum pergit explicare, quâ ratione ei de geſtis in Miſſionibus innotuerit: objectos caſus, quibus in odium Societas adduci poterat, falſi arguit, & convincit: hæc omnia apud Regem expoſita, conſilio *Antonii Morêno* Coſmographi Regii publici juris eſſe voluit, & *Morêno* inſcribi.

Hæc ſemper firma ſunt habita: neutrum hoc teſtimonium aliquando eſt revocatum: evolvi inſtrumenta, quæ adverſarii multò pòſt tempore appellarunt, nihil neceſſe nunc habeo inquirere qualia ſint, & quo loco habenda, imò accipio quæ dant; Hæc ipſa ſtabiliunt, quæ affirmo. 1.

1. *Petrum Bauteſtam* notiſſimum ſibi characterem non agnoviſſe in exhibita *Sotêli* ſubſcriptione. 2. *Joannem Cevicos* in ſuo ad Regem ſcripto, neque pòſt immutato, & ex ſententia ſua impreſſo, demonſtraſſe objecta in illa Epiſtola adversùs Religioſos Societatis falſa eſſe, & fabulis annumeranda.

* Verùm de R. P. *Petro Bauteſta*, ſibi nova quædam invênit *Liberius*, & apud Autorem ſuum *Moralem Practicam* tom. 3. pag. 506. 507. & 508. Ibi teſtimonium eſt illius *Patris*, ex Hiſpanico, minus rectè redditum Gallicè, hoc *Liberius* Latinum dedit * verſione ſuâ, addit datum eſſe 10. Junii 1628. Hiſpanicum notat illius menſis diem 30. Hoc teſtimonio ait *Liberius* rem confici, & abſolvi, cauſam finitam eſſe. Quod totidem verbis dicitur Illo Tom. 3. pag. 570. Liceat ergo quærere inſtrumentum hoc adeò ſingulare, ubi ſit? *Exſtat Romæ*, inquit, ſed ubi? Urbs enim eſt ampla; aut apud quem, ut de eo poſſit inquiri? De his tacet, credo, quia non accepit, quod reponeret; apud *Arnaldum* enim unum hoc legitur, *il y à Rome un eſcrit de ce meſme P. Pierre Baptiſte*, unum hoc *Candidus* repetiit. Ita quidem hæc cauſa abſolvitur teſtimonio, quod ubi ſit, nemo intelligit, nemo ſignificat: comœdum hæc ſapiunt, aut nugi-vendulum.

Quid eſt modò, quod illo teſtimonio affirmatur? An teſtatur alicubi *R. P. Baptiſta*, vidiſſe ſe Romæ Epiſtolam quam ſcriptam fuiſſe

* Pag. XIX.

fuisse agnoverit à R.P. *Ludovico Sotelo*, eamque per omnia respondere Epistolæ qualiter nunc sub ipsius *Soteli* nomine divulgatur & pridem prodiit Madriti? minimè gentium; R. P. *Baptista* testimonium hoc dedit numquam, quod unum in hæc causa momentum poterat attulisse. Quid ergo? duo affirmat:

1°. Nullam Epistolam *Soteli* sibi Romæ exhibitam fuisse, ostensum sibi fuisse solummodò scriptum nomen *Ludovici Soteli*, rogatumque esse se, num in ea subscriptione agnosceret characterem *Soteli*, atque id se negasse.

2° Posteaquàm legisset Madriti editam Epistolam *Soteli* nomen præferentem, invenisse se ibi multa conformia iis, quæ *Sotelus* quandoque cum eo communicaverat, ea imprimis, quæ de Societate meminerat. Hæc iterum Summa est, quam affirmare jubetur testimonium nullibi indicatum. Neutrum aliquam rem conficit; is solus causam absolvet, qui Originale, aut certum Apographum exhibuerit, vel ubi sit benè indicaverit, aut denique qui & autographum legerit, & sparsam pridem Epistolam ei conformem esse, legitimo Instrumento affirmaverit: neutrum præstitit *Arnaldus*, neutrum *R. P. Baptista*: quod hìc scribit *Liberius* Seraphicum Ordinem S. Francisci testem esse, & indubitanter agnoscere, Epistolam illam verè esse S. Martyris *Soteli*, reliquum est ut evincat, aut iterum Lectoribus pergit imponere, & Seraphico Ordini rem falsam attribuit. *

Accedit hoc tertium: fatentibus adversariis, *Didacus Collado*, quam secum ex Insulis Philip-

Philippinis Epiſtolam attulerat Pontifici Romæ tradidit, ſed non antè annum 1627. cùm tamen biennio citiùs in Urbem advenerat; ſcribit enim ſe adfuiſſe anno 1625. Poſtulo mihi explicari quo conſilio, cujus ſuaſu, facultate, tanto tempore Epiſtolam hanc deſtinare neglexit ſi certam habuit, & minimè corruptam? quis ejuſmodi inſtrumentum ex Indiis attulit, & in Europa biennio ſervavit, cùm eo loco verſaretur, ubi reddi debebat, & quod ſummo Pontifici Martyrio coronatus inſcripſerat? totum *Colladum* hæc olent, & olent graviſſimè.

Superſunt quæ Epiſtolam comitantur, atque unà demonſtrant eam multiplicibus vitiis laborare: exordium à titulo ducamus. ſic habet.

Lettre du R. P. Louis Sotélo de l'Orde de S. Francois, nommé Eveque du Japon par le Pape Paul V. qu'il addreſſa au Pape Urbain VIII. de ſa priſon d'Omura, d'où il fut conduit au Martyre. Et qui fut portée au même Pape par le R.P. Diego Collado de l'Ordre des Freres Preſcheurs, qui en ſigna de ſa propre main une copie imprimée, ſur la quelle celle cy a eté tranſcrite.

Non noto, eum imperitè errare, qui ſcribit *Sotélum* à Paulo V. *Nominatum* fuiſſe Epiſcopum; proponi potuit ac offerri; iis Regionibus Epiſcopos *Nominare* penes Regem Catholicum eſt. Tria obſervo.

1. Omnia exempla præferunt, inſcriptam fuiſſe Epiſtolam Urbano VIII.

2. Omnia eumdem indicant diem, & annum

num quo data fuerit è carcere Omurensi, Omnia notant, fuisse diem illum 20. Jan, 1624.

3. Hæc exempla, testante *Collado*, concordant cum originali, *in omnibus*, *quin aliquod vel minimum verbum sit superadditum*. Et ipse eidem Pontifici Epistolam dedit, cui erat inscripta.

Nunc rogo quo tempore Ill^mus. *Maphæus Barberinus*, qui se URBANUM VIII. vocari voluit, in Summum Pontificem electus est? scilicet 6. Augusti 1623. hoc Orbi Christiano notissimum est: igitur mensibus quinque, diebus decem, & quatuor, de ea Electione in Japonia, & *Sotélo* in Carcere renuntiatum fuit. Japonia à nobis intervallum ignorat, qui hoc fieri posse existimat. Eo temporis spatio, hoc iter nemo absolvit, nemo conficiet, tametsi vix etiamnum tentato itinere accinctus cursor, ipsâ Electionis horâ Vento semper secundo, citissimo phaselo, Tyrrhenum naviget æquor, *Messanam* prætervolet *Melitamque*, & in Asiatico Portu, Mari Rubro proximo appellens, atque eo mari iterum vectus, insalutatâ *Goâ* reliquum enaviget mare, & in primo Japoniæ Sinu descenderit. Falsa sunt ergo exempla omnia, quæ notant è carcere Omurensi ad Urbanum VIII. datam esse Epistolam 20. Jan. 1624. falsum est testimonium *Collado*, qui hæc authographo respondere, & illius Martyris Epistolam esse affirmavit.

Hunc nodum solvit nemo; scindere voluit magnus *Arnaldus* quem infamis operis *Mo-*

ralis

ralis practicæ autorem conſtanter nominarunt ; *cette objection*, inquit, *ne touche point l'original ou il y a ſimplement ſans aucun autre titre*, BEATISSIME PATER. Dignam Arnaldo evaſionem! non tamen evadit (*a*)

Ad *Originale* appellat, quale exhibitum eſt nullibi, poſt toties, atque tot annis iteratam poſtulationem. Sed aliquid fuit prenſandum in præcipiti caſu: inconſideratum eſt tamen quod apprehendit. Si nulli Pontifici inſcripta fuit *Soteli* Epiſtola, ediſſerat.

1. Quì fieri potuit, ut eam *Didacus Collado* EIDEM Pontifici traderet, ad quem illam *Sotelus* deſtinaverat? hoc enim affirmatur tom. 2. *Moralis practicæ* pag. 143.

2. Quâ ratione ſcribit *Waddingus* eam datam fuiſſe ad *Paulum V.* ſi nulli fuit inſcripta? Si de alia intelligi debet *Waddingus*, ineptus eſt *Arnaldus*, qui illum teſtem advocat ſcriptionis, de qua ipſe non meminit: ſi ambo agunt de eâdem, aut falſus eſt *Waddingus* aut fallit *Arnaldus*; ſemper imponit *Collado*, qui cùm ante annum 1624. ex Japonia in Urbem non venerit, Pontificem nominare non poteſt, cui & à *Sotelo* inſcripta fuerit & à ſe tradita. Quod ſi denique integrum hunc titulum pro arbitrio à ſe fictum eſſe voluerint (neque enim alia tabula eſt, ad quam confugiant) intelliget Orbis, quo nomine viri illi ſint compellandi, qui adulterinas has merces, quaſi ex Aſia, aut America petitas, pleno ſinu per Europam diffundunt: jure ſtatutum accepimus, *ſemel improbitatis com-*

(a) Mor, Prac, tom. 3, cap, 25, pag, 501. & 502, An, 1680,

compertum, & alias improbum in eodem genere præsumi.

Juverit ipsam præterea Epistolam inspicere, & ex multis paucas ejusdem Epistolæ Antilogias subnectere: illam ergò sibi ipsi oppono, opposita conciliet, qui potest.

1 Non mirum est si Iaponiæ segetes tardæ sunt, & infœcundæ usque modò per tot annos colligantur: pag. 20.	1. Terra Japoniæ semen sibi commissum conservat, & usq; in centuplum multiplicat. pag. 17. Ex infidelibus plerique convertuntur. Messis multa pag. 10.
2. Eamdem omnes omnino legem & invariabilem doctrinam prædicari & observari dum cernunt infideles per hæc sanctissimam viam esse cognoscunt, & ut talem multò plures eam admittunt, & in communi venerantur omnes. pag. 22.	2. Infideles graviter scandalizati illudunt nobis, & legem nostram irrident dicentes, quod aut veritatem non docemus, aut certè pro vero non habemus quod cum prædicemus non observamus: nullumque dicunt intercedere discrimen inter suos Sacerdotes, & nos, quibus sic assimulamur in multis contradictionibus. pag 14.
3. Vident Japones, varios Religiosos differentis habitûs & al-	3. Ab anno 1614. Religiosi omnes relegati, plerique occul-

terius instituti : alii sunt hispidis vestibus utentes, & nudis pedibus incedentes..... Augustiniani enim & nos, excalceati sumus, Dominicani verò de reformatis Philippinarum. pag. 22.

tati remanent. Ipsi Batavi duos Religiosos sub habitu sæculari comprehenderunt. Imperator cum Religiosos habitu sæculari occultatos in Japoniam venire cognovisset, vehementer iratus omnes mercatores Christianos relegari præcepit. Ego cum socio meo habitu sæculari sub titulo famulorum navim conscendimus. pag. 8, 9. 10.

His paria non pauca subministrant exempla latina : hìc usus sum vetustiori, & impresso anno 1634. ex illo, paginas numeris suis indicavi : Gallica exempla, eadem repetunt, nisi quod novâ Metamorphosi, *Chinam*, insulam esse affirment. *Macao*, inquiunt, *est une Ville de l'Ile de la Chine* (*a*) Adeo peregrinos homines non interpello, suis se sodalibus jungant, quorum altero autore S. Franciscus Xaverius Nominatur *François Navier General des Iesuites Martyrisé au Canada.* Altero Item, *leur bienheureux Stanislas Martyr Polonois.* Stomachum movent tam imperitæ ineptiæ.

Superest, de pondere Epistolæ intelligere. Duplex hoc potest attendi : unum quod veluti

[a] Mot, Prac, 1. pag. 151.

veluti ex se asserat, ab enarratis, ab autore, à reliquis adjunctis: alterum, quod apud alios obtinuerit, Pontificem imprimis, ac Regem Catholicum.

Ad enarrata quod attinet, atque exposita, nullo teste sunt comprobata, nullis tabulis, nullo momento: *publica* dicuntur & *manifesta*, sed dicuntur tantùm.

Ioannes Cevicos rerum Japonicarum peritus eadem exposita edito scripto, apud Regem Catholicum falsa esse commonstravit. vix alia sunt ab iis, quæ ante biennium anno 1622. à discedente è Philippinis *Didaco Collado* objicienda spargebantur: adversùs hæc publicam declarationem opposuerunt 7. Martii 1623. *Franciscus Pacheco* Societatis per id tempus, in Japonia Provincialis, & Socii undecim. Illâ evincunt, aliena à vero enarrari, & falsò se accusari: dictorum suorum, qualia jus postulat testimonia offerunt, quibus pro se allata singula stabiliant, & evincant.

Omnia quæ *Soteli* Epistolâ adferuntur hoc unum respiciunt, urgent hoc unum, ut plures Episcopi in Japoniam mittantur, sed qui è Societate non fuerint assumpti: huc omnia collimant. Hoc titulo præcipuè Rei traducimur, quod hæc cura à Summo Pontifice, probante Rege Catholico, nostræ Societatis homini fuerit commissa.

Autor verò, qui perhibetur *Ludovicus Sotélo* amplius quinquennio aut Romæ subsitit, aut hæsit in Europa: tanto temporis intervallo, quando tam commodé poterat apud Pontificem nullius meminit, de quo Socie-

tatem

tatem argueret : quamprimùm Episcopatu excidit rejectus à Rege Catholico, nobis autoribus omnia turbari, & pessumdari omnia per Provincias Japoniæ credi voluit : de nobis querulus discessit, perrexitque fixum habere, nos solos eum Episcopatu prohibuisse. Apud Japones redux, continuò captus est, aliorum alloquio destitutus, omnium quæ tunc agerentur ignarus, casus, factaque accumulat, quibus unum hoc postulat obtinere, ut alii, atque extra Societatem, Episcopi suffici possint. Si reos nos esse existimabat, tanto tempore Ecclesiæ damno tacere minimè potuerat expertus tum loqui debuerat : æquus accusator esse non potuit, sui causa nobis iratus; post annum 1613. semper absens, aut arcto carcere detentus.

Accedunt denique toties instauratæ per Epistolam excusationes numquam petitæ, neque adferendæ, si ita omnia se haberent, qualia exponuntur. Fatentur adversarii *deleri* quædam & *mutari* debuisse : alius scribit *recisa* esse *quædam*, *quæ Religiosam quamdam familiam malè possent habere*.

✱ Nemo commemorat quâ autoritate, quâ facultate aliquis eam publicam fecisset: licetne privato destinatas ad Summum Pontificem literas, suo consilio spargere in vulgus? aut *Sotêlus* quas ad Pontificem dederat, inaudito usu easdam prius imprimi curavit? ✱

Dedi superius, quæ ipsa Epistola narrat malè cohærentia, ex his de proprio illius scriptionis pondere statui potest non difficulter.

Quo

Quo loco Summus Pontifex hoc inſtrumentum habuerit, quanti fecerit hanc accuſationem, & ætas præſens tunc docuit, & poſterior: copioſiùs alii retulerunt, quid de laboribus noſtris in iis Provinciis cenſerint Chriſti Vicarii: eligant modò reprehenſores ad quem Pontificem toties memoratam Epiſtolam deſtinatam eſſe voluerint: ſi *Ad Paulum V.*, aſſeruit id quidem *Waddingus*, ſed infeliciſſimè, ipſa enim Epiſtola primis lineis nuntiat Autorem ſuum aliquando Legatum veniſſe *ad eum, qui tunc Apoſtolicæ Sedis culmen tenebat SS. Papam Paulum V. qui ad Cælos evolavit:* non igitur ad eum data fuit Epiſtola, quem ipſa è vivis exceſſiſſe commemorabat: ſed demus rem illam impoſſibilem: ignoraverat ergo de illa Epiſtola Pontifex, aut eamdem neglexit; neque enim ullâ memoriâ proditum eſt, eum tantis malis, quæ graviſſima commemorabantur, avertendis umquam occurriſſe, Impudentis verò amentiæ ſemper erit arguendus, idque jure meritiſſimo, qui aut ſocordiæ, aut ſegnitiei Paulum V. inſimulaverit, cujus ſemper fuit notiſſimum ſtudium in promovendis, augendiſque Miſsionibus longè diſſitis, Japonenſibus maximè; ſi poſtulata media Epiſtola illa non obtinuit, in promptu cauſa eſt, non meruit obtinere.

Si ad *Urbanum VIII.* delatam eſſe voluerint (de Gregorio XV. inter utrumque medio, nemo meminit, nec aliquis niſi falsò meminiſſe potuerat) redit quod dixi; ſummum Pontificem accuſant, qui illam accu-

ſationem apud eum pondus habuiſſe contendunt, nihil enim impetravit: decem pòſt annis, ac de illa reprehenſione vulgatum fuerat, teſtimonium hoc dedit *Forerus*: "Quoniam „huc uſque neque Jeſuitæ in Japonia, ob „ea crimina in quibus in Epiſtola *Sotêli* ac„cuſantur, reprehenſi, neque P. Generalis „Societatis à Sanctiſſima Sede Apoſtolica hac „de re fuit admonitus, prorſus manibus pal„pamus, perſpicuèque videmus à Summo „Pontifice manifeſtè deprehenſum agnitum„que fuiſſe artificium, quo accuſatio illa „fuerit inſtructa.

Et innotuit enimverò de ejuſmodi artificiis non ſemel. Hæc à ſe cognita fuiſſe Conſtitutionibus ſuis declararunt Pontifices, & Edictis Imperatores, Reges, ac Principes.

Nunc tamen extra hunc locum eſt notiſſima hujus rei teſtimonia pluribus accumulare. Poſtremum eſt, quanti Concilium Regium Madriti, quanti Rex ipſe Catholicus inſtauratas illas accuſationes faciendas eſſe exiſtimaverit: neque enim Romæ tantùm *Sotêli* Epiſtolam eſſe communicatam ſcripſerunt, verùm etiam per Hiſpaniam, Madriti potiſſimùm: ibi igitur auditis, ac perpenſis, quæ tamquam verbis *Sotêli* adferebantur, lectiſque, quæ contrà attulerat *Joannes Cevîcos*, Rex Catholicus *Philippus IV.* hoc dedit Edictum, quo ſenſum ſuum, & Senatûs ſententiam de turbis in Japonia excitatis, de mediis illis occurrendi, & laborantium in iis Provinciis è Societate zelo atque profectu uberrimè pro-

nunti-

nuntiavit: hoc addo, ut omnes intelligant, quale fuerit apud Aulam Madritensem harum actionum pondus: Edictum observari totum vix potuit, neque totum observari nos optassemus. Gallicè redditum in hunc modum accepimus.

DECRET

De Philippe IV. Roy d'Espagne touchant les Missionaires du Japon.

AYant été informez, que depuis qu'il est entré des Religieux de divers Ordres dans le Japon, la predication de l'Evangile n'y a pas eu le même succes qu'on avoit veû par le passé, lors qu'il n'y avoit que ceux de la Compagnie de Jesus; lesquels marchant sur les traces de Saint François Xavier, qui a donné commencement à la conversion de ces peuples, ont rendu un service particulier à nôtre Seigneur, & qu'au contraire la maniere d'agir de certains Religieux a fait naistre des jalousies entre les Ordres: d'où s'est ensuivi non seulement que l'Evangile a perdu de son credit, mais qu'on a prit de la occasion de les chasser de ce Royaume, Ordonnant de Grieves peines contre ceux qui viendroient à y entrer. Les avis, & les relations, que nous avons eu de toutes ces choses, aiant causé en nous ce juste ressentement que peuvent imaginer ceux, qui connoissent nôtre affection pour le plus grand service de Dieu, & pour la propagation de la Sainte Foy Catholique, nous avons Ordonné, qu'il se fit un assemblée de ceux

de

de nos Ministres, qui ont le plus de zéle, d'experience, lumiere, d'autorité, afin qu'on y deliberast sur les moyens les plus convenables pour recouvrir le credit, qu'on a perdu en ce pais la, & qu'on y prist des resolutions utiles pour l'avenir en vue de l'aggrandissement de la Sainte Eglise. Après donc avoir fait faire la dessus diverses consultations dans cette assemblée; Nous avons resolu par l'avis commun & uniforme de tous, que d'ici à quinze ans, plus ou moins, selon que l'estat des affaires le demandera pour l'avantage de la Religion, il ne doit passer aucun Religieux au Japon ny pour y precher, ny pour quelque autre sujet que ce soit, excepté ceux de la Compagnie de Jesu: ordonnant que l'Evesque du Japon y entre s'il est possible, & qu'il y demeure; ou si l'estat des affaires ne le permet pas, qu'il fasse sa residence à l'endroit le plus proche, d'ou il puisse mieux s'aquiter des obligations de sa charge &c.... Nous voulons aussi en consequence du present Decret, qu'on demande à sa Sainteté en nostre Nom, & qu'on fasse expédier les Brefs necessaires pour cet effet, & que l'on donne toutes les depesches qu'il faudra. Fait à Madrit le 6. de Juin 1628.

Tanti valuit apud Regem Catholicum instaurata, ex appellata *Sotêli* Epistola, contra Societatis Missionarios accusatio.

✱ His locis pugnacissimos esse oportuerat illos, qui eam scriptionem tantâ contentione nobis objiciunt, verùm ad hæc omnia apud *Liberium* altum silentium est. Præter *Arnaldica*, suasque parentheses, quid aptè commemoret, non legimus. ✱

CAPUT

§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§

CAPUT NONUM,

Non nisi Autori suo noxia est, quæ contra Societatem adfertur *Consultatio* sub ficto nomine *F. Juniperi de Ancona Ordinis Minorum S. Francisci.*

1. Quia ex pridem damnatis libellis nova collectio est.

2. Gravissimis pœnis in ejus sententias Pontifices animadverterunt.

3. Omnem potestatem contumeliis afficit.

4. Ineptiis scatet, falsisque, & invicem pugnantibus.

NUndinis Francofurtensibus primùm venit famosum hoc scriptum anno 1634. fronti hæc facta fuit inscriptio." *F. Juniperi de* „*Ancona* Consultatio de causis & modis Re„ligiosæ disciplinæ in Societate Jesu instau„randæ ex italico latinè conversa : *Consultationi* præmissa est Epistola *Sotêli*, & aucta Notis; de hac dixi altero Capite : in utramque opellam ad calcem Index annectitur; ejusdem hominis operâ utraque prodiisse intelligitur. Consultatio à jejuna fabula exordium ducit : fingitur *Juniperus* ille ab ex-

tremis

tremis mundi finibus, Japonicis Insulis, in Hispaniam, ac paulò post Romam appulisse: tum verò ex Superiorum mandato negotiorum causâ in Gallias, ac Germaniam ablegatus, sed mendacis personam fabula diu non sustinet.

Religiosissima S. Francisci Familia hominem hoc nomine, atque illis muneribus indicatum Ordini suo adscriptum non agnovit. *Lucas Waddingus*, qui minutissimas suorum lucubrationes recensuit, *Juniperum* non habuit, quem nominaret, nisi alterum *Drapanensem* Siculum, alterum *Parascandalum* Neapolitanum; quem ab *Ancona* appellaret, nullum adduxit: eodem tempore, quo *Consultatio* legi cœpit, Patres Franciscani per id tempus rogati nihil hæsitantes reposuerunt, nullum esse, qui eo nomine Ordini suo fuerit adscriptus: quod tametsi illius ætatis Scriptores non meminissent, ex ipsa *Consultatione* minimè foret obscurum: Ordini enim S. Francisci illa non parcit, & dubium movet non semel, sitnè Catholico, an contra Hæterodoxo autore vulgata.

Prodierat anno 1632: contumeliosa scriptio, latino, & germanico idiomate, titulus erat, *Actio perduellionis in Jesuitas S. P. Imperii hostes*; Autor fictâ, sed appositâ nuncupatione *Philoxenum Melandrum* se nominavit, & Lutheranum se manifestat, aut simulat. Hanc altera subsecuta est anno proximo 1633. cum inscriptione *Anatomia Societatis*: hujus autor Catholicus videri voluit, & operi mendaci mendax nomen appendit *Sanctii Galindi é Societate Jesu.* Qualis scilicet in

ea

ea Societate nullus innotuit, nullus fuit.

Utraque hæc Satyra opus est *Gaſparis Scioppii :* utraque pœnas dedit Decreto Romano proſcripta 23. Aug. 1634.

Ex geminis his, & punitis opellis, tertia proſiliit hæc *Conſultatio*, novo crimine novà, cæterà crambem antiquam recoquens,&veteris repetens mendacia ſcurræ. *P. Laurentius Forerus* Illuſtriſſimo Auguſtano à Confeſſionibus, ſcriptionem hanc titulo triplicem,alteram cum altera contulit, uniuſcujuſque materiem, momenta, ſcopum ob oculos poſuit, in ſingulis conſenſio eſt : paginas paginis opponit, & omnium unum benè longum exhibet parallelum ; ipſe Arnaldus hìc *Scioppium* agnovit. *La Conſultation*, inquit, *ſous le nom emprunté de Junipere d'Ancona, peut bien être de Scioppius.* (*a*)

Redeunt hoc opere, quas aliàs dignâ ſe contentione erroneas inſtauravit ſententias.

1. Sacrilegii reum eſſe Summum Pontificem, ſi alicui è Cardinalibus aut Epiſcopis Monaſterium *in Commendam* concedat.

2. Epiſcopos jure divino teneri per ſe ipſos ad concionem dicere, ita ut nullo umquàm rerum ſtatu aut caſu, aliorum Vicariâ operâ officio ſuo ſatisfacere poſſint.

3. Injuſtum eſſe Cæſareum Edictum, quo bona Eccleſiaſtica Catholicis contra pacta Religionis erepta, reſtitui juſſit.

4. Pernitioſas, ac reformandas eſſe leges Religionis Societatis Jeſu.

Temeraria hæc, & erronea deliramenta, dignis

[a] Mor, Prac, Tom, 5. pag. 502, c. 25,

dignis pœnis, alia perstrinxerunt Summi Pontifices, alia Tridentina Synodus, alia jura pariter Ecclesiastica, & Civilia: ad Societatem quod attinet, Gregorius XIII. 8. Kal. Junii 1584. de illius legibus ità constituit.

„Præcipimus in virtute S. Obedientiæ, ac „sub pœnis excommunicationis latæ senten„tiæ &c. eo ipso absque alia declaratione in„currendis (quarum absolutionem, Nobis „& Successoribus nostris reservamus) ne quis „cujuscumque statûs &c. dictæ Societatis „Institutum, Constitutiones, vel etiam præ„sentes, vel supradictorum omnium articu„lum, vel aliud quid supradicta concernens, „quovis disputandi, vel etiam veritatis in„dagandæ, quæsito colore, directè impug„nare, vel eis contradicere audeat..,. Man„dantes singulis Patriarchis.... Præsentes „ab omnibus inviolatè observari: quin etiam „Præpositum ac personas Societatis hujus„modi defendant, eosque præmissis omni„bus, & singulis pacificè frui faciant, & „gaudere, non permittentes ipsos per quos„cumque quomodolibet molestari, contra„dictores per Censuras Ecclesiasticas, & alia „juris & facti remedia opportuna, appella„tione postpositâ compescendo. Invocato „etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Bra„chii sæcularis.

Idem constituit *Gregorius XIV.* 4. Kal. Junii 1591. & copiosissimè iterum *Paulus V.* pridie. nonas Septembris 1606.

A falsis sententiis fictus *Juniperus* gradum facit

facit ad contumelias, his nemo satis se potuit subducere: Christi Vicarium veluti iniquum bonorum Ecclesiasticorum prædatorem ac direptorem traducit: Cardinales & Episcopos in *Luporum* numero recenset: Clerum per omnem Germaniam horrendorum scelerum insimulat: iterum Pontificem sacrilegii arguit, Cæsarem injustitiæ, Episcopos vecordis negligentiæ, Catholicos Principes fraudis, ac doli, Ecclesiasticos Atheismi. Post quæ difficile non erit conjectare, quibus encomiis Religionem Societatis cohonestet: sed *Scioppius* bene loqui non didicit.

Quid memorem, quæ totâ *Consultatione* sparsa occurrunt vernaculo scurrâ dignissima: Ibi narrat, *non per Christi, sed per Ducis Fridlandiæ & Comitis de Tilly Apostolos Germaniæ Provincias, non tam* APOSTOLICE *quàm* PISTOLICE *esse debellatas.* (*a*) Alibi Religio nostra ei appellatur *Domina Societas*, *Mutius Vitelleschus*, eruditâ urbanitate, *Vitulus* (*b*) dicitur: aliæ Religiosorum familiæ *Sorores Majores* salutantur: Societas verò *Matris meæ*, inquit, *Familiæ Sti. Francisci, minuscula soror.* Modò iter instituit, & *Venetiis Anconam* proficiscitur, tum in Jesuitas Germanos incidit, quorum pronuntiationem in efferendis vocabulis italicis, latinisque, eruditâ scilicet, gravi & prolixâ observatione castigat. Quæ alibi meminit de *Androgynis*, de *Arderico Barboso*; scorta sapiunt & lupanaria.

Pergit Ganeo ineptire, & judice se, *in Gallia*

(a) Pag. 33. (b) Pag. 40.

lia, & Italia jam plus ferè est Jesuitarum, quàm muscarum dum caletur maximè. (*a*) *Haud absurdum dictu videtur P's. Generalis non minores, quàm Summi Pontificis opes esse, utpotè qui non ferantur bini esse scutatorum milliones:* (*b*) Ad nauseam repetitur neminem in Societatem admitti, qui ingenio non polleat: quasi is homo nesciat lege inhibitum fuisse, asinum Deo immolari: scriptum est enim, primogenitum asini ove redimes. Oves optamus, & qui audiant vocem Pastoris. Si quemquam ex Ordine Sti. Francisci compellat, hic, inquit, *Ordinis mei* acutissimus Theologus est: ille *Ordinis mei* Generalis: tertius *Familiæ meæ* Patronus: prudenter, & aptè: cui enim incidat dubitare, num *Juniperus* sit Minorita, cùm hæc pronuntiat? Enimverò singularis est Minorita, cui *Meum*, frigidum verbum, tam est familiare: sanctiorem Paupertatem Religiosi illi profitentur; neque etiam in hâc re quidquam *Meum* appellare leguntur, *Nostros* illi dicunt Theologos, Generalem *Nostrum*. Qui præter *Juniperum* omnia *Mea* dicat, non vidi: sed nugivendulum, & levissimas ineptias missum facio.

Ad accusationes digreditur: hìc fallit, & imponit turpissimè.

Accusationum præcipuus Scopus est, ut stolidam, & *P. Marianæ* adscriptam Reformationem instauret: adducitur Epistola Mutii Vitelleschi, liber Claudii Aquavivæ de *Morbis Societatis*, aliaque jam ante pro meritis atque ut par erat excepta: cætera abs re sunt. Sub-

[a] Pag. 37, [b] Pag. 38.

Subjungitur colloquium *Floravantii* cum Urbano VIII. ita *Melander*, *Galindus*, *Juniperus*, & omnium compilator *Liberius Candidus*, omnes eamdem cuculi cantant cantilenam.

De proprio ſubjungit *Juniperus*, ſed veluti alieno nomine acceptum; Confeſſarios noſtros, Principes ac Magnates blanditiis demulcere, & poppiſmis: nec ob peccata eorum quatumvis atrocia reprehendere, ſed in eodem uſque luto hærentes, nec umquàm morum emendatione præteritorum dolorem teſtantes peccatorum abſolutione impertiri.

Quis hæc etiam divinando callidiſſimus captator aſſequatur? quis homini in aurem ſuſurravit, quoties Princeps de peccatis ſit confeſſus, & quâ ratione? Quomodo à Confeſſario exceptus, aut monitus fuerit? Ludum jocumque non faciunt Catholici Principes, cùm ad ſacram hanc tabulam confugiunt, nec animas venales habent Dei Miniſtri.

Nemini tamen mirum eſſe poteſt ſummi ſceleris Confeſſarios noſtros argui ab eo, qui *omnes Germaniæ ſanctos Principes*, Epiſcopos intelligit, *contaminatos eſſe ſcribit*, Deumque propterea offenſum, Germaniam dediſſe *ad internecionem*, & *in Blaſphemiam.*

Quid memorem, quod effutit de Rege Sueciæ, de Electore Saxoniæ, de cauſis belli Germanici, cujus omnem cauſam in nos conjici debere exiſtimat, perſpexit enim *Juniperus*, ut ait, noſtris conſiliis Imperium,

Pro-

Provincias, Pacem, Bellum, aut ſtare, aut contrà quieſcere.

Amentiæ plena eſt hæc repræhenſio : priuſquàm hæc denuò *Juniperus* occineret, *Joannem Argentum* monuit Sigiſmundus Poloniæ Rex, *rumores iſtos parvi eſſe pendendos* : *ex ſolis ſuſpicionibus, falſiſque conjecturis ortos eſſe.* Adjunxit, *falſum eſſe, Patres Societatis, in his, quæ Politicum regimen ſpectant, ſe immiſcere: falſum item eſſe, eos in his, vel ills promovendis ſe ingerere; imò ſi ſe ingererent parum effecturos eſſe, habere ſe ſuas rationes, & ſuos promovendi modos.* De hoc teſtimonium dedit ipſe *P. Argentus* A°. 1616. & plures idem præſtare poſſunt quotidie.

Majori contentione ſcriptores noſtros coarguit, quaſi immodeſtè, imò acerbiſsimè adversùs Acatholicos ſcripſerint, eos injuriis affecerint, & contumeliis, atque propterea eorum culpâ factum eſſe, ut pauciores ab erroribus receſſerint. Sui oblitus fuit, cùm hæc ſcripſit : qui per id tempus, & anterioribus annis publica ſtudia ſua contulerunt, ut aberrantes in viam reducerent, fuerunt imprimis *Gregorius de Valencia*; *Jacobus Gretzerus*: *Adamus Tannerus*, *Franciſcus Coſterus*, *Nicolaus Serarius*, *Martinus Becanus*, *Maldonatus*, *Cotonus* in Galliis, in Italia *Robertus Bellarminus*, In Hiſpania *Franciſcus Suarez*, omnes ſtudiis ſuis notiſsimi. Hos omnes ipſe *Scioppius* hâc invidiâ liberavit, & notâ immoderationis.

Ac de *Serario* quidem ita ſcripſit. "Sic ergo habes, quo animo Apologeticum illum „meum


„ meum ſcripſerim, quidque de Jeſuitis jam
„ abhinc annis aliquot exiſtimaverim, in quo
„ meo judicio ne nunc quidem mutavi quid-
„ quam, niſi quod *Nicolao Serario* (cujus ego
„ nomen, *Scipionis* gentilis tui judicio primùm
„ cognovi, qui eum in literis ſuis eruditiſſi-
„ mum, & officioſiſſimum, humaniſſimumque
„ Jeſuitam vocat) ob præclaram eruditionem
„ & *moderationem* quam Minerval ejus tibi,
„ ac *Druſio* depenſum præfert; mirificè faveo.
Tum ibidem de aliis: "hoc certè, inquit, to-
„ to illo tempore, quo Catholicis ſum aggre-
„ gatus in Patribus Societatis illius animad-
„ verti, quod quo quiſque eſt doctior, & uſu
„ rerum peritior, eò ſit melior & humanior
„ &c. Amemus nos, & colamus magna illa
„ virorum nomina, *Toletos*, *Bellarminos*,
„ *Maldonatos*, *Pereſios*, *Suareſios*, *Valenſios*,
„ *Clarios*, *Benzios*, *Perpinianos*, *Scottos*, *Gret-*
„ *zeros*, & illud, quod ego ob ingentem rerum
„ omnium ſcientiam, eximium, & admiran-
„ dum habeo. *M. Antonii del Rio*. Alibi *Bel-*
larminum ſummis laudibus extollit, affir-
mat illius complures libros inſignibus rari
ingenii, rarioris innocentiæ, & virtutis do-
cumentis eſſe refertos: hunc, ait, Pontifex non
aliâ de causâ ſub peccati mortalis pœna Purpu-
reum Galerum ſuſcipere juſſit, niſi quod ad res to-
tius pœnè Orbis in Collegio Cardinalium tractan-
das, hominum eruditorum operâ indigeret. Addit,
Bellarminum adulari Papæ neceſſe non habuiſſe,
cum lucri, vel commodi nihil inde poſſet ſperare.
Utpote qui Galerum jam olim, dum ſe in Reli-
gioſam contulit familiam, repudiaverat. Cæte-
rum

rum breviſſimè, *omnis ſuæ beatitudinis*, *quæ in hâc vita obtineri poteſt*, *autorem ſecundùm Deum* profitetur.

Hæc *Scioppius*, ſed cùm literarium bellum cum *Scaligero* haberet, alioſque pro genio ſuo inſectaretur: laudandi tunc erant Jeſuitæ, quos in partes ſuas advocabat, ut communem cum iis in *Scaligerum* impetum facerent. Necdum *Scioppius* Ratisbonæ repulſam tulerat; quàmprimùm ei apud Aulam datum non eſt uti rogabat, quoniam Jeſuitarum operâ preces ſuas rejectas eſſe volebat, negatumque quod poſtulabat ſtipendium, omni ſimul virtute ac doctrinâ Jeſuitæ exciderunt Orbis peſtes, ignavi, ineptique ludimagiſtri, quibus alicubi commorantibus, nec Religio ſalva eſſe poſſit, nec Reſpublica.

Calamum fortunæ ſuæ attemperavit, quid mirum, etiam Religionem attemperaverat: pro varia fortuna varius, imò ſemper idem, & ubique *Scioppius*, inconſtans, levis, mordax, & mendax. Adeò quæ Scioppii ſunt, omnes unius æſtimamus aſſis.

✱ Neque pro *Conſultatione* fictitii *Juniperi de Ancona* verbo uno pugnavit *Liberius*. in promptu cauſa eſt, apud *Arnaldum* non invenit quod de ipſa propinaret. Extra *Moralem Practicam* ei curta ſupellex eſt, ubi hæc tacet, ſilet ipſe. ✱



CA-

§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§

CAPUT DECIMUM.

Summo Pontifici, & Augustissimo Cæsari injuriosa est Accusatio, quæ contra Societatem instituitur in negotio Pragensi de Academia Carolo-Ferdinandæa.

P*Ragam* hìc evocamur in Bohemiam, ibi vetus negotium fuit, & quod Religioni Societatis feliciter cessit, de Academia Carolo-Ferdinandæa: ardor quælibet carpendi huc adversarios adduxit: obscurius de re tota judicium est, nisi rei series ex integro perspecta habeatur: accipe, quam Pragenses Patres, & totius negotii testes, suis verbis publicam fecerunt.

"Cùm Augustissimus Imperator post glo-"riosam illam divinitùs partam in *albo monte* "victoriam, & perdomitam, pacatamque "Bohemiam animum adjecisset ad persa-"nanda ejus vulnera, pristinamque faciem "illi reddendam, inter alia sapientissimè ju-"dicavit, Lernæum illum Academiæ Ca-"rolinæ fontem, ex quo tantum veneni per "200. annos in omnes Regni partes fluxerat, "maturè esse claudendum; atque post multa "cum Excelmo. Principe *Carolo de Lich-"tenstein*, quem huic Regno summa cum po-"testate præfecerat, agitata & tractata, de-"mum

"mum clementiſſimè decrevit, ut Acade-
"mia Patrum Societatis Jeſu, quam Ferdi-
"nandus I. Auguſtæ Recordationis ante 68.
"annos hic Pragæ erexerat, ex perduellis
"Academiæ ruinis amplificaretur, additis
"ad eam duabus Facultatibus juridicâ, &
"Medicâ, in quarum Profeſſores impende-
"rentur reditus jam exſtructæ Academiæ:
"uti patet ex binis literis ejuſdem Ferdi-
"nandi II. Cæſaris ad Principem *de Lichten-*
"*ſtein* 15. Julii, & 9. Septembris anni 1622.
"datis. Quare commemoratus Princeps, ut
"Cæſaris voluntati parêret, continuò *P. Gre-*
"*gorium Rumer*, tunc Provinciæ noſtræ Præ-
"poſitum ad ſe accerſendum curavit, eique
"mentem & ſententiam Cæſareæ Majeſtatis
"aperuit: ita re in conſultationem vocatâ,
"poſt multa in utramque partem propoſita;
"tandem ex P.Rectoris, & aliorum omnium,
"qui aderant ſenſu, atque judicio exiſtima-
"vit eam Carolinæ Academiæ qualem qua-
"lem cum noſtra conjunctionem, duarumque
"acceſsionem Facultatum & bonorum Aca-
"demicorum adminiſtrationem ob varias,
"quas jam tunc animo ſagaci prævidebat,
"difficultates, minus è re noſtra futuram:
"reverſus ergo ad Principem gratiis impri-
"mis reverenter actis ob tam honorificum
"Cæſareæ Majeſtatis, & ejus Celſitudinis de
"noſtra Societate judicium, affectu quanto
"poteſt maximo rogat, ut Auguſtiſsimum
"Imperatorem ab eo conſilio dimoveat, noſ-
"que ab impendente odio, & certiſsima in-
"vidia liberet: ſatis nos negotii in noſtris
uabus

„duabus facultatibus tuendis & excolendis „habituros. Atque in ea ſententia conſtans „perſtitit omninò per multas hebdomadas, „quidquid ad eum permovendum tum ab Illmo. „S. Rom. Imperii Comite Domino *Paulo* „*Michua de Vacinova*, per quem potiſſimùm „univerſa res acta eſt, in contrarium affer- „retur; ſed demum, cùm idem Dominus „Comes affirmatè pronuntiaſſet, qui noſtri „eam Academiæ curam ſuſciperent, alterum „è duobus, iiſque haud levibus incommodis „ſecuturum; ut aut duæ eſſent in una urbe „Academiæ cum manifeſto gravium diſ- „cordiarum periculo; aut bona Academica „aliò converterentur: cùmque, quod attine- „ret ad Sedem Apoſtolicam, tranquillo nos „animo eſſe juſsiſſet, eo quod Cæſar facilè „ab ea obtenturus eſſet, & conſenſum in „illa, ſi quæ talia eſſent, quæ Pontificiam „Authoritatem neceſſariò requirerent, & „aliorum planè omnium approbationem, uti „moris eſt in Academiarum, aut novâ erec- „tione, aut magnâ alicujus momenti muta- „tione; ceſsit P. Provincialis tanti viri au- „thoritati, & Principis atque Cæſaris impe- „rio obſecutus eſt; cujus rei teſtis omni ex- „ceptione major eſſe poterit ſuprà Laudatus „Illmus. Dominus Comes. Atque ita Acade- „miæ Carolinæ bona noſtræ gubernationi „tradita ſunt 10. Novemb. ejuſdem anni „1622. ſciente & gaudente Illmo. tunc Ar- „chiepiſcopo Pragenſi ſanctæ memoriæ *Joan-* „*ne Lobelio.*

„Poſt traditionem illam juſsi ſumus de

"universa Academiæ forma, quæ nobis vi-
"derentur optima, dèque illis, quæ ad
"acuendam Academicæ juventutis industriam
"facere putaremus, seriò cogitare; & om-
"nia complecti scripto; quod deinde à regni
"Proceribus & Cæsareis consiliariis exami-
"nandum magno Cæsari offerretur. Feci-
"mus, & diploma concepimus in quod ea,
"quæ occurrerant, conjecimus omnia, non
"eâ spe, ut prout à nobis descriptum erat,
"continuò Augustæ manûs subscriptione, &
"appressione Sigilli firmaretur, sed ut, quem-
"admodum dictum est, ea quæ in illo com-
"prehensa essent, discuterentur, & rejectis
"quæ parum opportuna viderentur, ea eli-
"gerentur, quæ viderentur futura è com-
"modo Regni; atque ad extremum pro om-
"nium illorum Confirmatione Cæsarea Ma-
"jestas cum Christi Vicario ageret. Non po-
"tuisse autem cum illo agi citiùs, quàm de
"omnibus, quæ essent petenda, foret con-
"stitutum, nemo non videt.

"Postquàm diploma illud, vel potius di-
"plomatis rudis quædam delineatio, & prima
"adumbratio ex Cæsaris voluntate atque
"decreto vehit in manus Illmorum. Proce-
"rum, & Illmus novus Archiepiscopus, qui
"tum necdum erat evectus ad sacram Pur-
"puram, circa quædam in eo diplomatis
"conceptu comprehensa, ut circa Typogra-
"phos, Bibliopolas, Scholarum trivialium
"Magistros, &c. difficultatem nobis mo-
"vit is, qui tunc Collegii Rectorem agebat
"scripto ad Illmam. ejus Celsitudinem dato,
"diserte

"dissertè professus est 1°. Societati numquàm "in mentem venisse, ut ea intelligantur eo "sensu, quo vel minimum derogent juri Or-"dinarii; sed eam tantùm potestatem expe-"tiisse, quam ex omnium Doctorum sen-"tentia Principes terræ sibi vindicare possunt, "& solent. 2. Si tamen videatur periculum, "ne aliquando jus Ordinarii involet, posse "Illmum. Archiepiscopum suo, successorum-"que suorum juri cavere, curando, ut in "Imperatoris diplomate expressa ponatur "clausula, *salvo jure ordinarii*, aut alia, "prout libuerit. 3. Si Illma. ejus Celsitudo "judicet, neque sic expedire, ut Privilegia "illa Academiæ nostræ tribuantur, quibus "tamen omnes per Germaniam Academiæ "fruuntur, se pro illis neque manum am-"pliùs moturum, quin imò ex conceptu di-"plomatis expuncturum omnia."

Hæc res est: neque in ea amplius superesse videbatur, quod quisquam à Pragensibus fieri desideraret: quid enim alteri præstes magis, si lite subortâ, omnia illius arbitrio permittas? Si quis id alius, credo, à nobis fecerit, nihil in eo facto occurreret reprehendendum; esset fortasse, qui nimiam moderationem culpandam esse duceret: nos alio loco consistimus, quæ res aliis laudi, eadem nobis vitio vertitur, atque ubi inviti, & ex Superiorum mandato, non tam aliquid agimus nos, sed quæ fieri possent proponimus, ab aliis, & ex aliorum sententia decernenda, tum quoque nocentissimi actores evadimus: neque tametsi omnibus concedamus,

ne-

nemini nos committentes, nobis licet esse quietis.

Prodiit anno 1635. scriptum hoc titulo insignitum. *Judicium*, *seu Censura Bullæ à PP. Societatis Cæsari oblatæ*: in Arcanis *Scioppii* à pag. 171. idem *Tuba Magna* mercibus suis adjunxit à pag. 511., alienis vocibus loquax, constans echo mendaciorum.

Addunt hoc *judicium* esse *Archiepiscopi*, & *Eminentissimi Cardinalis*: erat is tunc *Eminentissimus ab Harach*: id arbitror sinè tanti viri injuria scribi non posse, est enim hoc judicium.

1. In Augustissimum Cæsarem, & Cæsareos Ministros contumeliosum.

2. Aliis injuriosum.

3. Et multa perperàm commemorans.

Ac primò quidem decernit illud judicium Diploma Erectionis Academiæ Carolo-Ferdinandeæ adversari jurisdictioni Ecclesiasticæ: tum verò Bullâ *in Cœna Domini*, gravissimè cautum esse ne hoc fieret, adjectamque pœnam excommunicationis ei, qui ejusmodi aliquid fecerit, ordinaverit, publicaverit, &c.

Verùm quid hæc ad Patres Pragenses? Jussi scripto proferre quid è re communi atque Academiæ esse opinarentur, ut debebant, paruerunt, ab omni Potestate examinanda proposuerunt, à Cæsare, & à Pontifice: quid illi non dicam fecerunt, aut ordinarunt, sed quid horum facere potuerunt adversùs jurisdictionem Ecclesiasticam? Servire poterant Religiosi

giosi, & obedire, hoc totum erat, ubi illa excommunicatio? Unus in hoc negotio actor esse poterat Augustissimus Cæsar, penes hunc unum erat sæcularis potestas: si hic excommunicatio fuit, Cæsarem feriit, hic erectionem illam mandato suo fieri jussit, ac voluit: sed res tota ad Pontificem missa fuit, auditum est judicium Congregationis *de Propaganda*, quis indicavit, quis censuit ob hanc causam Cæsarem esse excommunicatum? *Bulla Cœnæ* neminem censurâ perstringit, qui nihil effectum esse voluerit, nisi quod approbaverit Apostolica Sedes.

Et quisquam existimet, Eminentissimum Archiepiscopum tantâ contumeliâ Cæsaream Majestatem afficere voluisse? Equidem non inducar ut credam.

Quidquid toto libello querulum occurrit de Patribus Pragensibus præter æquum adducitur. Eminentissimi Archiepiscopi voluntati omnia Patres permiserunt, addi, demi, immutari curaret in Diplomate, quod examinabatur, quidquid pro sententiâ suâ judicaret: si neque hoc satis placeret, addixerunt spontè, se neque pro usitatis per Germaniam Privilegiis *manum amplius moturos, ex conceptu Diplomatis expuncturos omnia.* Fuitne quod ampliùs possent præstare?

Quamquàm si rem ipsam inspicias, intelliges profectò pleraque omnia abs re esse commemorata.

1. Queritur *Censura* in oblato Diplomate lædi jus Archiepiscopi: sed quale? Penes Archiepiscopum jus est *Ordinarii*, & *Loci.* Archie-

chiepiſcopo Pragenſi Clemens IV. in Carolina Univerſitate conceſſit prætereà *jus Cancellarii.*

Jus ordinarii eo diplomate læſum non eſt: ut enim cætera prætermittam, Bonifacius IX. Academiæ Pragenſis Rectori plenam juriſdictionem abſolutè conceſsit, *in omnia & ſingula membra Academiæ, tam in Civilibus quàm in Criminalibus:* ſtatuitque Rectorem Clericum eſſe debere, ut in Clericos judicium poſſet exercere: Academiam Archiepiſcopali juriſdictione exemit. Hujus exemptionis pacifica man t poſſeſſio.

Quod ad *jus Cancellarii* attinet, autor eſt *Æneas Sylvius* in Hiſtoria Bohemiæ cap. 42. *Conradum* Archiepiſcopum Pragenſem ac Cancellarium in hæreſim prolapſum fuiſſe, & eo autore reliquos Academicos hæreticorum partibus ſe adjunxiſſe. Poſt hæc ſedes vacavit annos 130. Innocentius VII. toto illo tempore munus *Cancellarii* penes *Rectorem* eſſe voluit, & fuit. Reſtitutâ Catholicis Sede Archiepiſcopali, primus eam occupavit *Antonius* Epiſcopus *Viennenſis*. Rector partes *Cancellarii* tenuit, *Ill^{mus} Antonius* non reclamavit, non reclamarunt ejus Succeſſores, nemo jura ſua ſibi eripi queſtus eſt.

Anno 1620. Cæſar Regnum Bohemiæ recuperavit: Qualiter floret Academia Pragenſis hodiernam formam, præſentia jura conſervat. Quod igitur hoc loco jus læſum eſſe commemorant?

2. Queritur *Cenſura* violata eſſe jura Archiepiſcopi, quia in Diplomate petebatur, ut

ut Academiæ, reliquæ ſcholæ, & ludi-Magiſtri ſubjicerentur : ſed hoc pridem Academiæ conceſſerant ipſi Archiepiſcopi : *Erneſtus*, qui primus ibi hanc dignitatem ſuſtinuit, primæ fundationi hæc verba inſeruit ; *ſimiliter Rectores ſcholarum*, & *eorum ſcholares ſubditi ſint Rectori Univerſitatis*, & *jurent*, *ac promittant eidem*. Hoc conſtans uſus firmavit, hunc uſum perpetuis teſtimoniis ſtabiliunt Acta Univerſitatis. Præter conceſſa Academiæ ab *Erneſto* Archiepiſcopo, nihil poſtulatum eſt de ludi-Magiſtris, de Gymnaſiis, aut de Typographis ; nihil quod in aliis Academiis non diu fuiſſet uſitatum.

Sed, inquiunt, *Cenſuram librorum*, & jura *Inquiſitionis* ſibi arrogare voluerunt Jeſuitæ, Archiepiſcopo procul excluſo. Omnia involvit maledicentia, ut in odium advocet, quos ſtatuit exagitare : jus ſuum habent in libros Epiſcopi, hoc nemo in hoc negotio voluit imminutum, ſalvum omnes eſſe voluerunt : præter Epiſcopos, nullus Cæſar, Rex, Princeps, aut Magiſtratus Catholicus eſt, qui ſingulari curâ non invigilet, ne qui noxii libri in ditionem ſuam inferantur, aut ibi proſtent venales, aut diſtrahantur : in hoc incumbunt Regii Miniſtri, & ſalvo jure *Ordinariorum* : quod alibi Principes his ſuis Miniſtris largiuntur, hoc etiam poſtulatum eſt, ut more majorum Academiæ poſſet relinqui.

Nihil denique in hac cauſa propoſitum eſt, quod quiſquam prius vellet obtineri, antequam apud Sedem Apoſtolicam eſſet approbatum

batum, hujus Sedis judicio ſtare debuerunt Patres, ſteteruntque: quidquid Auguſtiſsimi Cæſaris munificentiâ acceperunt, hoc idem ſervant approbatione Pontificiâ confirmatum.

✱ De his ubi Lectorem *Liberius* voluit commonefacere, "Si Huylenbroucquio cre-"dimus, inquit, Summò Pontifici Auguſtiſ-"ſimo Cæſari, injurioſus eſt libellus Archi-"epiſcopi Pragenſis: perperàm hoc dictum eſt, non hoc mihi credi poſtulo, ſed libellum illum per injuriam adſcriptum eſſe viro Eminentiſsimo, hoc mihi jure credi volo; nempe, inquit *Liberius*, "deteguntur tech-"næ, quibus uſi ſunt Jeſuitæ, ut à Pontifice "extorquerent Bullam, quâ in ipſorum favo-"rem ſpoliatur dictus Cardinalis juriſdictio-"ne ſuâ in Academiam Regni Bohemici. Sua "velle tueri adversùs Jeſuitas eſt in Pontifi-"cem, in Reges, in Superiores omnes velle re-"bellare;" Hæc verba ſunt qualia numquam ſyllabâ dignabor: quale documentum ſit magno nomine inſcriptus libellus evincunt, quæ apud te Lector toto hoc Capite enumeravi, quorum nullum momentum aliquis elevavit. Sciant qui hæc curant; eam obtrectationem ab annis amplius 80. diſſeminatam fuiſſe infami libello quod *Flagellum Jeſuiticum* eſt appellatum edito *Niſſæ* 1634. apud *Joannem Scubarth*; hujus Calumnias refutavit *Petrus Waddingus* natione Hiſpanus, Pragæ per 13. annos Cancellarius: operi titulus eſt *Brevis Refutatio calumniarum quas Collegio S.J.Pragenſi impegit Scriptor Famoſi libelli* &c. ✱

CA-

§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§

CAPUT UNDECIMUM,

Desperatum Consilium est Religioni Societatis objicere his titulis inscriptos Libellos,

Fortunii Galindi Cantabri de causis publici erga Jesuitas odii Disputatio: Theophili Eugenii *Protocatastasis.* Daniclis Hospitalii Consultatio de causis & modis conservandæ & amplificandæ Societatis Jesu. *Quia triplex hoc opus*,

1: *Stultum est.*

2. *Mendax.*

3. *Summo Pontifici, & Sta. Sedi Injuriosum.*

HAnc primam scriptionem è tenebris evocavit *TubaMagna*, à pag. 422. usque ad pag. 436. alteram à pag. 479. usque ad pag. 510.

Utraque vetus sentîna est, utramque servo impressam ab anno 1635. neque tunc alterutra nova fuit, sed nova collectio ex quatuor damnatis, famosisque libellis, ex his quintum coaluit opus damnatum.

Quatuor libelli, quorum laciniis constat, hi sunt,

1. Discursus *P. Mariana* de Erroribus &c.

2. Anatomia Societatis.
3. Actio perduellionis.
4. Jeſuita exenteratus.

Tres ultimi Romæ damnati ſunt 23. Aug. 1634. Damnationis Decretum affixum, ac publicatum fuit eodem anno 7. Sept. & Quartus his verbis; Tractatus Inſcriptus.

Diſcorſo del P. Gio: Mariana Gieſuita Spagnolo, intorno à i grandi errori, che ſono nella forma del governo de i Gieſuiti. Omninò prohibetur.	Diſcurſus *P. Jo. Mariana* Jeſuitæ Hiſpani, de magnis erroribus, qui ſunt in fotma Gubernationis Jeſuitarum. *Omninò prohibetur.*

Sic eadem redeunt plerumque, & cùm multos libros te habere exiſtimes, ad pauci folia res omnis delabitur: nova nomina, novi tituli, ordo novus, nova Phraſis quandoque; Res eadem, eadem contumelia. Accedo ad Primum.

Dixi *Fortunii Galindi* diſputationem *Stultam* eſſe: nolim id alius demonſtret, ac ipſe *Galindus*: nullus enim id faciet brevioribus, aut momentis, quæ magis convincant. Age igitur *Galindè* os tuum reſolve, ut ſapientiæ tuæ teſtimonium auferas. Sic fatur.

„Opinio eſt plerorumque omnium, non „eſſe ullum totius Orbis, ſive Regem, ſive „Principem, qui perindè ac P. Generalis „omnium, quæ in univerſo Orbe, etiam „apud antipodes aguntur, notitiam habeat: „Rectores, ac Provinciales per orbem to„tum diſperſi vi ſacramenti, quo ei autorati

ſunt,

„ ſunt, octavo quoque die ad eum ſcribunt.
Bellè! Præpoſito Generali, Credo, ſunt aures centum, ſunt oraque centum, quibus quot hebdomadis amplius mille Epiſtolas legat, audiatve: ſunt horrea centum, quibus deſtinatas reponat, & centum auri talenta, quæ in tabellarios expendat: quid ego delirum hunc hominem ad Conſtitutiones noſtras remittam, ut à quibus, quo tempore, quâ formâ ſcribendum ſit, ipſe intelligat?
" Romæ, *ſic pergit*, nihil ſeu ſacrum, ſeu " publicum ſeu privatum, niſi ſe interpreti" bus aut internuntiis tranſigi volunt: itaque " qui Canonicatum, Abbatiam, aut Præpo" ſituram ambit, relictis rebus ad Jeſuitas " advolat: Præclarè! at *Galinde*, quæ aula capiat hos omnes Candidatos? An illi nube quâdam contecti ſunt cùm ita volant? Omnium enim oculos fugiunt; neque alicubi hæc turba conſpicitur, ex qua ſpecula, aut quo Tubo tu eam detexiſti? „Monopo" lium, *ait*, quoddam gratiæ, apud Deum, " & principes inſtituere conantur, ut omnes " ad ſe convolare, & non modò apud Prin" cipes, ſed etiam apud Deum, ipſis interpre" tibus uti poſtulent.
" Neminem jam pro Oratore, Poëta, Phi" loſopho, ac Theologo haberi volunt, niſi " vel Jeſuita ſit, vel certè Societatis diſcipu" lus fuerit: omnijugæ ſapientiæ officinam, " imo Monopolium inſtituunt, neminique " vel minimæ opinionem, niſi eam Jeſuitis " acceptam referat, relinquunt.
" Certatim à maximo, & minimo quoque
" viſi-

"visitantur totosque sæpe occupant dies in "admittendis salutatoribus, quorum alii aliis "succedunt, ita ut sæpe singulis vacare ne-"queant, sed ferè comperendinent, aut quam-"vis aliam diem eis constituant.

"Pueris in scholis quæstiones faciunt: qui, "ipsis sint parentes? Quæ illorum ætas, qui "census? Habeantne prædia, & fundos, & "ubi, quas cognationes, consanguinitates, "affinitates, & utrum ex iis adhuc hæredita-"tum aliquarum accessionem sperarent: tum "utrum ipsis sint sorores, eæque innuptæ, "& nubiles, an jam nuptæ, & quibus? Hæc "perscribuntur in magno volumine, cujus-"modi sunt mensariorum tabulæ. Enimverò garruli hujus vices doleo, quid enim stulto miserius?

* Mei causâ hoc loco sollicitus est *Liberius*, "vereor, inquit pag. VI. ne stultitiæ "ipse arguatur (me spectat oratio illa) ab "iis qui legent, quæ ex ea *Galindi* discep-"tatione deprompsit: adeo concinunt cum "iis quæ in omnium sunt animis. Ego *Candide* hinc nihil mihi vereor: excerpta opto ut omnes legant: similia, quibus in animis sunt, iis decepti sunt animi, & inducti in turpem errorem: quæso scapham hic scapham vocemus, *Galindus* stultus est; ea loquitur, quæ neque sunt, neque fuerunt umquam. *

Subjungo alia Mandacia, imo ea ipse *Galindus* subjungit, & suis verbis, quibus nec apicem velim adjunctum, ita se ipsis sunt manifesta, ex multis pauca hæc accipe.

"1. Jesuitæ eos, qui apud Franciscanos, "Do-

" Dominicanos, Auguſtinianos, aliosque
" peccata confitentur, pro viris minùs bonis
" habent.

" 2. Si quis crebrò Jeſuitis confiteatur (poſt-
" quàm ſcilicet atrociora peccata prius mo-
" nacho alicui confeſſus eſt) .... eorum co-
" mœdias plauſu proſequatur, in omnibus de-
" nique rebus ſuum eis ſtudium probaverit,
" hunc continuò pium ac Deo devotum eſſe
" oportet.

" 3. Principum favore ad Patrocinandum
" ſceleratiſſimo cuique ſæpe non aliam ob
" cauſam abutuntur, niſi ut ſuam potentiam
" oſtentent.

" 4. Jeſuitæ in eorum cenſum veniunt,
" qui aurum, & argentum undique, quâ Ju-
" re, quàque injuriâ eruere, & cumulare
" ſciunt.

Parum hæc ſunt flagitioſiſſimo homini, niſi etiam ſcurrili temeritate, & impudenti ſtylo ſummos Pontifices ac Smæ. memoriæ Paulum V. injuriis oneraret: non excerpam has denuò; ne falſi arguar, habe hanc unam *Galindi* periodum, ex ungue leonem.

„ Adeo præſtat acquirendarum pecuniarum,
„ quàm animarum ſtudioſum, & peritum eſſe:
„ apud illos certè, (de ſummis Pontificibus
„ ſermonem inſtituit) qui cùm animarum
„ Chriſti ſanguine redemptarum curam in ſe
„ recipiunt, vel quid anima ſit neſciunt, vel
„ non pluris animam hominis, quàm piſcis
„ faciunt; quod credo, ſuum officium *Piſca-*
„ *tum* quemdam eſſe aliquando per ſtrepitum
„ inaudierint: quibus propterea gratior fuerit,
„ qui

„qui animam Auri cum *Paracelso*; quàm „animam Saxoniæ Electoris invenisse se „nuntiet." Facesse os infrunitum, & lingua scelesta.

Paria subministrat *Daniel Hospitalius*; hic primò partes suscipit sapientis narratoris: ipso teste, P. *Conradus Vetter*, quo nemo omnium, inquit, in Germania magis hæreticos agitavit, *Matthæo Gruttero* Argentinensi dissuasit, nc Societati nomen daret, rationem adjunxit: *Si enim experimentum capias, pol! tu extremæ nequitiæ cacodæmonas in Societate, magno numero invenies*: crescit oratio; à *Conrado* ad Pontificem gradus est: hic *apertè dixit*; *Generalis Jesuitarum Imperium esse despoticum, sive herile, hoc est tyrannicum, & bono cuivis meritò invisum*: sapienter tacet, rationem gubernandi quæ in Societate Generali præscripta est, approbatam esse à Sede Apostolica, ne cui suspicionem moveat à summis Pontificibus tyrannidem esse approbatam:

„P. Generali latissimè imperandi cupiditas „est, ut scilicet omnes Societatis homines „de se pendentes, nutumque suum obser- „vantes videat, extra Societatem verò opti- „mum, & maximum quemque sibi obnoxium „ac propè devotum habeat: *in multitudine* „scilicet *populi subjecti est dignitas Regis*: *&* „*in paucitate plebis ignominia principis*. Ut „prov. 14. Affirmat Salomon.

Opportunè atque eruditè! neque scio an quis existimaverit hunc locum magis propriè potuisse adaptari: ✱ Idem in rem suam repetit

petit *Liberius* pag. VI. creditque se dicta mea in me rectè rejicere : addit se nescire an locus alius magis adduci potuisset ad fidem Conciliandam *Consultationi* : quamcumque igitur hâc viâ sibi conciliavit fidem, per me quidem licet, integram habeat, ipsam tanti facio, quanti ineptias, quas pleno sinu totâ opellâ effundit, eam legere volentibus, ut mirum sit hominem assurgere voluisse, qui Hospitalii vindicem se constitueret. Sed nihil tam profligatum est, quod non aliquem assertorem inveniat. ✱ Accipe hujus ingenii hoc alterum testimonium:

„*Jesuitæ*, inquit, *numquàm discunt esse homines*, *ac propterea non aliter quam Bestiæ* „*ab aliis curari necesse habent*. Numquid hìc *Hospitalius* Urbanè nos excipit? Ipse pro Comitate sua *Bestiis* leges scribit, & novum ex *Mariana* compendium. Quantum nos homini deberemus, nisi essemus bestiæ!

Hospitalii præterea mendacium promiseram, hoc accipe palmare.

Testis est, inquit, *Matthæus Grutterus*, P^m^ *Conradum Vetter* ei adolescenti responsum dedisse, quod paulo antè commemoravi. *Pol! tu extremæ nequitiæ cacodæmonas in Societate magno numero invenies*: sed hoc *Pol!* falsum est quam quod maximè: hujus testis est ipse *Matthæus Grutterus* & suum hoc esse voluit illa de re testimonium, quod totum in hæc verba exaravit.

„Ego

"EGo *Mattheus Grutter* optimâ fide testor, "omnia ea, quæ in famoso libello sinè "autore & loco impressionis, cui titulus, *Ar-* "*tana Societatis JESU* folio 207 & 208. ad "eamdem Societatem infamandam adducun- "tur, & meo testimoniò perperàm appro- "bantur, falsa esse, & à malevolo animo "auctoris gratis conficta. Ego enim, etsi "fateor me senem esse, quem fallere possit "memoria, sanctè tamen affirmo, me ejus- "modi colloquii aut narrationis non memi- "nisse (meminisse autem deberem, si tam "sæpe, uti auctor fingit amicis narrarem) "sed neque potuisse mihi in mentem venire, "nisi cùm hoc ipso autore audacter menti- "ri vellem. Nam cùm anno 1594. Ratis- "bonam, ubi Comitia Imperii celebraban- "tur mercium mearum causâ venissem, cum "*P. Conrado Vetter* verè hæreticorum fla- "gello, & quem ego semper amavi, & "veneratus fui, disputare cæpi, & convictus "etiam manus dedi, atque à Luthero, cui "tum adhærebam, ad Romanam Ecclesiam "accessi; nihil verò tunc de statu mutando, "aut Religione ingredienda actum à me fuit, "aut cogitatum: aut quomodò cogitarem, "qui tunc non (uti auctor ait) tam adole- "scens fui, sed trium jam liberorum pater "eram, & modum quærebam, quo etiam il- "los, ne in hæresi educarentur, in tuto col- "locarem? prout feci, & liberos mecum "primò Lugdunum in Galliam, ac deinde "huc Romam adduxi. Ex quibus clarè con-

„ stat,

"ſtat, falſa eſſe, quæ auctor de me attulit ad "calumniandam Societatem, quàm ego ſemper amavi, & colui, & dum vivam, amabo; "neque Ordinem Univerſum umquàm vituperandum exiſtimabo, etſi hic, vel ille ſit, "quod in Cœlo Angelus, vel in apoſtulatu "Judas fuit. Ita iterum, & optimâ fide affirmo, teſtor, & propriâ manu ſubſcribo. "Romæ 15. Aprilis 1636.

Ego MATTHÆUS GRUTTER
affirmo ut ſuprà, manu propriâ.

Huic aliud mendacium junge, & quod probatione non egeat: *nunc*, inquit, *ut Mariana ſcribit cap. 6. ii literas in Societate docent, qui eas neque didicerunt umquàm, neque diſcere volunt.* Hic *Hoſpitalius Galindum* jugulat, qui negat miraculorum gratiam Deum nobis impertiri; illud enim ſi ita ſe habet, ſi apud nos nulli docent, niſi qui non didicerunt; nequè diſcere curant, ut aſſerit, non exiguum erit miraculum, tam multos, nec ſinè laude Profeſſorum Provinciam ſuſtinere. Sed neque hoc ita habet liber ille, qui *Marianæ* eſſe dicitur: quamquàm quid ego *Hoſpitalium* de minutiis conveniam? Qui pleno ſinu ampliſſima mendacia fundit. *Apud Trans-Alpinos*, inquit, *is qui bene ſit in græcis, ac latinis ſcriptoribus verſatus, pro hæretico habetur, quia ſatis exploratum eſt, Jeſuitarum auditores in Hellade, ac Latio hoſpites eſſe:* tum addit.

„Si quis narret quemquàm eſſe, qui præ ſe „ferre non dubitet, non omnes omnium Je-

„ſuitarum actiones ſibi placere.... in illum, „quiſquis erit, debacchabuntur, & aſinum, „ſtipitem, illiteratum, Societatis hoſtem, me„ritoque de hæreſi ſuſpectum dicent.

„Omni vi perſuaſum omnibus eſſe volunt, „Jeſuitas omnes eſſe ſanctos, eſſe inculpa„biles, eſſe literarum, omniſque doctrinæ, „ac ſapientiæ Principes. Qui verò aut Jeſui„tæ non ſint, aut in ſcholis eorum docti non „fuerint, eſſe vilia, ac plebêa capita, frivo„los, minimæque rei homunciones. His vo„cibus aures Jeſuiticorum diſcipulorum quo„tidie perſonant." Otio tuo lector abutar, & tolerantiâ, ſi impudentibus his dicteriis aures tuas fatigavero. Neque neceſſe habeo proſequi quantâ injuriâ afficiat Summos Pontifices, id omnibus certum eſt atque apertum: hoc enim unicè agit, atque eo omnia dirigit, ut ab illis approbatum Societatis Inſtitutum improbet, mutet, alteret, & in chimæricam formam reducat.

Inter Diſputationem *Galindi*, & Conſultationem *Danielis Hoſpitalii*, mediat *Theophili Eugenii Protocataſtaſis*: græco titulo, græcum opus, quia græcâ fide fingit, quæ carpat. Fateor imperare mihi vix potui, ut opellam hanc totam pervolverem, ita ubique inſolens eſt, & cùm laudat, & cùm vituperat: multis pauca complectitur, & juvenili verborum apparatu luxurians, campum ſibi aperit, quem hinnuli in morem terque quaterque percutiens quaquaverſùm circumcurſitet ſuo ſibi placens hinnitu.

Unum hoc hominem dolet, quod de *Pro-*

Professione, quæ in Societate emittitur, jura nostra præscribunt: unum hoc, si ex *Theophili* hujus ingenio componas, continuò illi chelys sonabit, & hanc suam canet cantilenam.

„ Quà sol inauguratus suos resalutat clientes, „ quà se nova adverso globo commonstrant „ sydera, ubi terminus Orbis, illic pandit „ iter Evangelicæ legi Societas: succedite „ novis penatibus non antea visi hospites. „ Ite viri fortes, omne solum vobis patria, „ si non sit inhospitum, & inaccessum Chri- „ sto. Conspicite cœlum evoluto cardine, il- „ luc spes dirigite vestras, vestros illic spe- „ retis honores.

Aut ipsi primævam domuum nostrarum explicabit supellectilem: "Hìc, inquit, fracti mun- „ di currus, hìc victæ fractis axibus pendent ro- „ tæ; hìc appensæ manubiæ, elisa vitiorum Pha- „ lanx, clara de triumpho barbarico chlamys.

Succedet alia Panegyris: "Concionamini, „ gratissimum est, quis vos non amet? Con- „ solamini pœnitentes, quis non laudet? Ado- „ lescentes instituitis? sanctè & egregiè fac- „ tum. Hæreticos confunditis? pergite, vin- „ cetis. Deus pugnabit prælia vestra.

Sancta omnia, summa omnia, & summis laudibus extollet. "Prodibit trabeatus „ inter Patritios honoris paludamento Beatus „ Ignatius Loiola Societatis Jesu Antesigna- „ nus: quis eum deprimet, quem suâ manu „ fovet Deus? Ut Jesum Romæ faventem „ habuit? Ut Societatem ad virtutem promo- „ vit? Ut per suos hæresim toto Orbe debel- „ lavit? ut sanctè, & religiosè obiit? Testa-

„ ta

„ta miraculis viri ſanctitas: *Beatum* Ponti-
„fex appellavit.

„*Xaverius* Navarræus Societatis Jeſu vir „religioſiſſimus ultra *Calpen*, & non jam „amplius ultimam *Thulem*, præter Herculis „Columnas, fidem apud ignotas, & exteras „regiones propagabit.

„Admirabitur ſapientiam ac prudentiam „*Claudii Aquavivæ* Generalis, *Mutii Vitelleſchi* „Aſſiſtentis comitatem, *Fabii de Fabiis* pieta-„tem, *Juſtiniani* Genuenſis Doctrinam & „integritatem: ut ne quam plurimos alios „citem, quorum nomina in diverſis Provin-„ciis illuſtria ſunt, & ob clariſſimas virtutes „celebrata.

Hæc accuſator, & quæ plura excerpere non vacat, ſi cui eſt otium, componat illa cum iis, quæ à prioribus criminatoribus accepimus, videbit quam ſe invicem petant, & alter alterum conficiat.

Quod ad *Theophilum* attinet, delira commemorat, & falſa: argumento ſunt inconſiderati queruli propria verba, quæ ſubnecto.

„Una erat, inquit, prima Societas, unis „votis, Una ſolemnitate, Una profeſſione, „nunc Duplex: illi profitentur ſe *Profeſſos*, „& eminent, iſti diffitentur, & ſubjacent: „illi *Solemnes* ſunt Religioſi, iſti *Simplices*: „duces ſunt illi, & Regunt, *Coadjutores* ſunt „iſti & ſerviunt; illi coluntur ut Domini, „iſti deſpiciuntur ut ſubditi; habentur iſti in „Collegiis ut Senatores, iſti ut Plebêi; il-„lis obligatur, ac debet ſe ipſam Societas, „iſti ſe ipſos Societati obligant, nec tamen

„illis

„illis obligatur Societas; nihil promittit;
„ suaviter illi monentur ut socii, si quid pec-
„cent; severè dimittuntur isti, ut adscripti
„ clientes, si quid oberrent : splendidè illi
„in Congregationibus vivunt, & lautis exci-
„piuntur mensis, parcè isti in Collegiis, &
„communibus pascuntur cibis: commoda
„ferunt illi viatica, dum peregrè mittuntur,
„equis & rhedis feruntur; isti subsidiariâ pe-
„cuniolâ, & ære leves ire jubentur sarci-
„nulis onusti, & pedites itinera carpunt: si-
„quid facilè, ac molle est, hoc illis moli-
„tur, ac molliter; istis, si quid durum, ac
„difficile; cudendum, ac tundendum im-
„ponitur.

„Ut fulciretis ambitionem, *Coadjutorum*
„Sacerdotum gradum, præter *Ignatii* men-
„tem composuistis, quos vestræ Societatis
„levis armaturæ milites, & quasi velites fa-
„cilè Sacramento exsolvendos; de industria
„facitis, ut per illorum tenuitatem, abjec-
„tionem, conditionem denique intestabilem
„Professionem exigatis.

* Hæc sanè se ipsis conficiunt, quod affirmaveram. Interpellat tamen *Liberius*. *Si quis*, inquit ipse, *accuratè legat*, *quæ excerpsit Apologista*, *eum & in hoc Societatem prodidisse fateatur*, *necesse est*. *Adeo illa conveniunt cum iis quæ omnibus patent.* Scilicet hæc ejus stultiloquium produnt: garrit scriptor inconsideratus, neque quid loquatur, intelligit. His aliud mendacium adjungit in hæc verba ibid. p. v. *Quæ reprehendit autor Protocatastasis ab ipsis Præpositis Generalibus reprehensa sunt.* Expecto, ut indicet ubi. * Imò

Imo nemo rerum noſtrarum peritus patiatur hæc à me denuò refelli; tam abſona ſunt, tam extra oleas, & aperta mendacia. Satis fuerit *Inſtitutum* noſtrum inſpicere, ut reprehenſoris ſummam inſcitiam redarguas: ex mente S. Fundatoris ſunt, quæcumque inſtituto noſtro ſunt ſtabilita. Teſtes non modò Domeſticos, ſed eos omnes appello, qui aliquando nobiſcum vitam duxerunt, ſciunt illi pari loco apud nos eſſe ſubditos omnes, Profeſſi illi fuerint, an ſecus, nihil intereſt: Religio miniſtrat ſubſidia omnibus eadem, menſam eamdem: vitam, Dei gratiâ, vivimus communem: *Profeſsionis* ſolatium tam tenuiculum eſt, ac ferè nullum, ut nonniſi philautiæ, neſcio quo, tamquàm microſcopio grandeſcere poſſit. ✱ Ex his aliquid mihi eripere debuerat *Liberius*, ſi quid ei in promptu fuiſſet præter verba. Sed more ſuo obmutuit, ubi res agitur. ✱

Juveniles has nænias *Scioppius* in appendicem ſuam adjecit: compoſitas accepit à *Guilielmo Pachelino* Burgundo. ✱ *Theophilus Rainaudus* nullas partes in iis habuit; ſunt, inquit *Monitor* pag. V. *Aliqui*, qui *ex ſtilo & aliis conjectant eſſe Theophili Rainaudi*. Nominentur, qui hæc conjectent, aut tales eſſe non credo: quod de ſtilo meminit, nemo dicet, niſi qui, quid ſtilus ſit, planè ignoret; adeò inter utriuſque ſtilum immenſum diſcrimen eſt. *Raynaudus* vir Religioſus ac doctus in Societate IV. vota profeſſus eſt. Nihil ei erat cum quiſquiliis hiſce commune. ✱ Solus *Pachelinus Protocaſtataſim* ſcripſit, poſteaquam

aquam Societatem deseruerat, quia in ea ad Professionem Quatuor Votorum admitti non potuerat: ipsa damnata est 16. Martii 1618. *Pachelinum* eâ ætate refellit *P. Ludovicus Richeomus*: multa de Societate querentem, Nobiles, ac Præsules Galliæ rejecerunt: præter *Protocatastasim* alium contra nos librum paraverat, hunc Prætor Parisiensis apud typographum in cunis suppressit, sustulitque. *Pachelinus* senior sapuit, ac resipuit, & cum Societate in gratiam rediit, cui moriens testamento suam Bibliothecam reliquit. * Cæterà à *Liberio* nihil accepimus, quo *Galindum*, aut *Hospitalium* à vitiis suis mendaciisque liberaret. *

CAPUT DUODECIMUM

Multiplici injuriâ contra Societatem affertur Epistola adscripta Illmo Joanni Palafox de Mendoza Episcopo Angelopolitano, & quæ data esse prætenditur ad Innocentium X. P. M. Angelopoli 8. Jan. 1649.

J*Oannes Palafox de Mendoza* nobilibus Parentibus Madriti natus est 24. Junii 1600. liberalibus, ac severioribus disciplinis instructum *Philippus IV.* Rex Catholicus Bellico, ac pòst Indico suo Concilio annumeravit. Anno ætatis 28. sanctioris vitæ solida

jecit

jecit fundamenta. Consecratus Sacerdos, Serenissimæ Reginæ Hungariæ *Mariæ Austriæ*, pòst Augustissimæ Imperatrici in Germaniam abeunti à Rege datus est ab eleëmosynis anno 1629. Triennio huic itineri vacavit: Italiam, Tirolim, Austriam, Moraviam, Bohemiam, utrumque Palatinatum, Belgium, ac Gallias peragravit. Redux Madriti 27. Decemb. 1639. inauguratus est Episcopus Angelopolitanus novæ Hispaniæ in America, indigenis *della puebla de los Angeles*. *Gadibus* solvit mense Martio, appulitque feliciter 23. Junii 1640. Præcipuis muniis, etiam Vice-Regis in America functus est. In Episcopatu à Religione, Pietate, & munificentiâ apprimè se commendavit: primis annis majori zelo rexit quàm attentione, quâ senior excelluit. Hoc nemo dissimulavit, qui illius res gestas est prosecutus: graves contentiones eum cum præcipuis viris commiserunt. Alia siquidem fuit suborta cum Archiepiscopo Mexicano, alia cum Vice-Rege Comite *de Salvatierra*, altera cum capitulo Angelopolitano, altera cum electis Conservatoribus ex Ordine Sti. Dominici. Has contentiones inter humanæ conditionis effectus numerabat. Scribebat vir ipse Illms. in Epistola ad Innocentium X. in hæc verba ex Hispanico reddita: *il est impossible d'estre en cette vie miserable sans avoir quelques differends.*

Hoc enimverò experta est Societas, quæ Angelopoli per id tempus geminam passa est litem, alteram *de Decimis*, num scilicet, quæ aliorum munificentiâ aut aliàs nobis temporanea bona accedebant, onere Decimarum sol-

solverentur, an secus. Alteram, quæ locum fecit famosæ Causæ Angelopolitanæ.

De priori hac lite consule si vacat scriptum Hispanicum, cui titulus, *Memorial al Rey N. S. per la Comp. de Jesus en satisfaction de un libro de el Visit. Obispo, D. Juan de Palafox y Mendoza.*

De posteriore exstat enarratio typis Romanis & facultatibus edita hoc titulo, *Processus, & finis Causæ Angelopolitanæ.*

Nihil moror *Arnaldina* effugia, & leves satyras, quibus hanc relationem arrodit *Moralis practicæ* tom. 4. ipsa sibi hæc expositio est satis, nec alienâ indiget apologiâ, integram legat, cui est otium, neque difficile erit eam perpendenti, de objectionum levitate ex æquo sententiam ferre. Quis enim patienter refellat, quæ *Arnaldini* pro ingenio suo comminiscuntur tam deridiculè, tam ineptè, ne desperatam causam, quam semel assumpserunt, apud vulgus deserere videantur.

Accipe è multis unum exemplum.

Relatum fuerat inter alia, jure nulla fuisse, & invalida quædam Statuta, defectu *citationis*: quid enim illo potest esse apertius? quis bene condemnavit non auditum? quid *judicem* arguit magis, quàm *accusato* aurem denegasse, aut eum ex juris præscripto numquàm citasse? Non ignorant hoc nostri obtrectatores apprimè jurisperiti, cùm hanc causam pro domo sua se dicere posse existimant: si tamen nos ipsi pro nobis jure agimus, vide quò se vertant.

Etre

Etre reduits, inquiunt illi, *à alleguer cette chicane du manquement de citation, n'est ce pas recognoistre que les crimes des Jesuites etoient assez grands pour meriter l'excommunication, & tropnotoires pour pouvoir estre niez: & que si quelque chose avoit empesché qu'ils ne l'eussent effectivement encouruë, c'est qu'ils n'avoient pas eté citez* (*a*).

Tædet ineptias has retulisse, & eorum scripta pervolvere, quibus maximè fixum esse cognoscas extundere aliquid, quò animo morem gerant, tametsi Soli tenebras objicerent: adeò ejusmodi vitiligatoribus satis dicetur numquam.

Utraque causa ad judices suos fuit delata Judicum Sententiis stetimus; & stamus: Sacra Congregatio Emin^{m}. Card. in posteriori negotio perpetuum silentium indixit 17. Dec. 1652. quod statuit, observamus. Nec opus fuit *Monitorialibus*, ut integram Decretis Apostolicis obedientiam præstaret Societas: spontè hoc per id tempus indicavit *P. Pirrhus Girardus* Societatis nostræ Procurator generalis. "*Dixit* "(sic exhibent acta coram Notario 19. Aug. " 1653.) Rev^{m}. Generalem, ipsumque compa-"rentem omnes literas Apostolicas, quarum " executio ipsis dirigatur, seu ad ipsos quodam-" modò spectare dignoscatur, ab initio expedi-" tionis earum supra caput reverentissimè pro-" ut tenentur recipere, seque promptos, & para-" tos, & promptissimos & paratissimos pro " illis omnimodè observandis animo, & cor-" de, ac verbis, ac facto semper & omni ,, tem-

[a] Tom. 4, pag. 193.

"tempore exhibuiſſe, & exhibere, proinde-
"que pro illarum obſervatione opus non
"fuiſſe, nec eſſe compulſu literarum Moni-
"torialium.

Si quis igitur de hac Cauſa mentionem injecerit, injiciet ſolus, peccantem non ſequor: utra pars vicerit, non diſputo. Dum res tulit, quod naturâ cuique eſt inſitum, allata ſunt momenta, quæ negotium comitabantur: ubi judicio Pontificio cauſa fuit finita, certa Societati victoria eſt, obtemperare Decretis Apoſtolicis. Quiſquis hìc Religioſum Societatis accuſat inobedientiæ, aut alterius criminis appellat, tabulas proferat, adducat teſtes, aptoſque; audiat accuſatum, reum convictum non modò Societas non defendit, ſed damnat, & quâ poteſt correctione ſtudet emendare: levia dicteria, & fabricata pro genio commenta, fabellis tantiſper involuta, quò fallant incautos, tanti facit, quanti valent, nec reſponſione digna eſſe arbitratur: quid enim reponas ſemper parato fingere, malignè quævis intexere, interpretari ſubdolè, numquam veritati concedere, furere denique & debacchari?
Nolim tamen divertere.

Cùm eo loco Res Angelopoli conſiſterent, Rex Catholicus *Philippus IV.* datis literis menſe Julio 1647. Illm. *Palafox* in Hiſpaniam revocavit. (*a*) *Afin de l'avoir plus près de ſoy*, inquiunt *Arnaldini*: demonſtrent ubi illis de hac Regia intentione innotuerit, aut deſinant ineptire: judicavit tum Illms. his literis non eſſe

[a] Tom. 4. pag. 115.

esse obtemperandum: igitur alteras in eamdem sententiam Rex dedit 6. Febr. 1648. paruit his Illmus. Episcopus, & Angelopoli discessit 6. Maii: ex portu *Vera-cruz* solvit 10. Junii 649. Liberatus Sede Angelopolitanâ, transivit ad Ecclesiam Oxomensem (*Osma* dicunt incolæ) ibidemque beatam animam Deo reddidit 1. Octobris 1659. multarum virtutum præclarum exemplum, atque tam singulare, ut annuente Innocentio XII. P. M. ultimis annis præteriti sæculi Romæ examinari cæperit, num Illmo. *Joanni de Palafox* sacri honores essent decernendi.

Hæc equidem pro eo, ac locus hic postulat, paucissimis in pugnum contraxi: cætera dabunt, qui illius vitam, res præclarè gestas, & heroicas virtutes pluribus exararunt, ac Hispanicè quidem *P. Antonius Gonsalez de Rosende* ex Ordine Clericorum Minorum; anno 1666. Gallicè verò Abbas *Pellicotius*. Exstat præterea Illmi. viri vita, quam rarâ animi demissione ipse conscripsit Hispanico idiomate, hoc indice insignitam, *Vida interior d'un peccador arrepentido*.

Si quis ad Causam Angelopolitanam plura, prò, contrà spectantia desideret, exstant ea de re vulgata instrumenta.

Defensa Canonica dedicada al Rey N. S. por la dignidad Episcopal de la Puebla de los Angeles.

Epistola Ill.mi. Angelopolitani ad Innocentium X. 25. Maii 1647.

Libellus supplex *P. Pedraza* S. J. item aliorum Patrum ejusdem Ordinis varii libelli supplices.

Respon-

Responsiones ad indicatos libellos supplices.

Al Rey nuestro Señor satisfaction al memorial de los Religiosos de la Compagnia del nombre de Jesus de la Nueva-Espagna.

Breve Innocentii X. datum 14. Maii 1648.

Decretum Congregationis transmissum per modum Epistolæ ab Emin^mo. Cardinale *Spada* ad Ill^m. Episcopum Angelopolitanum 16. Kal. Jan. 1653. Scriptio P. Francisci Annati: *Faussetez, & impostures d'un cahier qui a pour titre lettre de l'Illustrissime Jean de Palafox &c.* Parisiis 1659.

Joannis Baptistæ *Lezana* in Consuetudinibus, Consuet. 4.

Thomæ *Hurtadi* Tomus 2. de Ecclesiasticorum congrua sustentatione in appendice 2. pag. 322.

Gabrielis *Henao* scientia media Historicè propugnata: *Parergon III.* pag. 383.

Morale pratique des Jesuites tomus. 2. 3. & 4.

La defence de nouveaux Chretiens pars 1. & 2.

Notationes in Epistolas Stæ. Theresiæ Autore Illmo. *Palafox.* Eædem Notationes Gallicè redditæ autore Abbate *Pellicotio.* Aliaque his monumentis indicata.

Anteaquàm Ill^ms. Palafox Madritum rediisset, in eam Urbem veloci itinere advenerat 14. Junii Doctor Lovaniensis *Joannes Recht* decimo sexto die, à quo'è portu Ostendano discesserat, unà cum *Ignatio Gillemans* Lovaniensi Theologo.

Ambo se ad Regem Catholicum Ablegatos appellabant, ut *Madriti* quà scriptionibus, quà patrocinio efficerent, ne Regia sua Ma-

Majestas Constitutionem Urbani VIII. in Belgio publicari Impetaret. Cùm enim Romæ *Sinnichius*, ac *Papius* apud Innocentium X. P. M. nihil obtinuerant, quod quidem ipsi efflagitaverant; Regiam autoritatem Pontificiæ opponere studebant, ne in ea causa, quam semel susceperant, aliquid intentatum relinquerent; certi omnem tabulam arripere, quâ consilium suum manutenerent.

Rex toto hoc anno eorum neminem ad alloquium admisit: uterque multis Regios Ministros fatigavit, aliosque primæ notæ Religiosos viros: *Antonius Gonzalez de Rosende* Regi à sacris concionibus, ut perhibent, qui octodecim pòst annis typis vitam edidit Illmi. Palafox, *il leur protesta rondement*, inquit Gerberonius, (*a*) *qu'il estoit Jansenilte de tout son cœur, étant convaincu que la Doctrine de Jansenius n'estoit autre que celle de St. Augustin, ou plustôt celle de l'Eglise, & que pour cette raison il estoit prêt de donner son sang, & sa vie pour sa defence*: atque iterum, (*b*) *Le Pere Rosende prenant la parole dit que quand Mr. d'Ipres n'auroit fait que le Parallele entre les Theologiens de la Societé, & les vieux demi-pelagiens, qu'on pouvoit appeller, disoit-il, l'Anatomie de la Societé, il auroit rendu un très grand service à l'Eglise.*

Hæc equidem Gerberonianis mendaciis annumeranda esse existimo; plura enim disseminavit in hoc negotio: paucis antè foliis (*c*) sic habet: *Mr. Gillemans rendit visite au P. Cools, qui ne feignit point de leur dire par forme d'entre-*

[a] Tom. 1, pag. 275. (b) Pag. 285. [c] Pag. 279.

tretien qu'il tenoit pour sûr que la Doctrine des Jesuites étoit trés pernitieuse à l'Eglise, & qu'ils étoient les Precurseurs de l'Antichrist : Infamem hanc Calumniam Illmus. Reginaldus Cools ex Ordine PP. Prædicatorum à Sede Ruremondensi assumptus ad Episcopatum Antverpiensem publico instrumento diluit, & *Gerberonium* mendacem fuisse commonstravit.

Si tamen *Arnaldinis* fides est, *Ignatius Gillemans* cum Illmo. *Palafoxio* ex America *Angelopoli* reduce egit frequentiùs, atque aliquam cum eo contraxit consuetudinem.

Causabantur hi Deputati solos Jesuitas Volumini Janseniano se opponere, Pontificem, Regem, utriusque Ministros nonnisi Jesuitarum consiliis, & suggestione commoveri, aliasque ejusmodi tam veteres, quam stolidas nænias, quas veritas filia temporis luctuosis nimium exemplis dissipavit.

Recriminationis intereà hinc sumpta occasio est: avidè corrasum quidquid ubique in invidiam vocare nos potuit: ac tum quidem per Hispaniam in Stum. Augustinum irreverentes, & veluti Moralis Disciplinæ corruptores traducti fuimus: hac super re commercium literarum habuerunt Illms. *Palafox* & *Ignatius Gillemans*: Epistolarum fragmenta dedit Moralis Practica tom. 4. pag. 233. additque eas haberi authenticas; ubi, aut apud quem, non indicavit.

Illmus. *Palafox*, aiunt, 6. Apr. 1656. ad *Ignatium Gillemans* literas dedit, aliasque illis junctas ad Serem. Joannem Austriacum Bel-

gii

gii Gubernatorem, illi tradendas, posteaquàm ab *Ignatio Gillemans* essent perlectæ: *Je me donne l'honneur d'escrire une lettre à S. A. où je lui parle de l'Université de Louvain. Vous la fermerez aprés l'avoir luë, & vous la presenterez à son Alteze avec mes livres* Du Pasteur, et de l'Histoire Roiale, *lors que vous le trouverez moins occupé.* Uterque hic liber Bruxellis impressus est anno 1655. posteriori juncta est approbatio *M. van Vianen.*

Tum verò in destinatis ad Serenissimum, scribit in hæc verba: *J'ai chargé le licentié Ignace Gillemans qui doit rendré cette Lettre à vôtre Alteze &c.*

Duo affirmat in iis literis.

1. *Les Peres Jesuites ont assez maltraitté l'Université de Louvain par leurs intrigues, & leur credit.*

Et ces Peres pretendent qu'en matiere de Doctrine, l'Eglise ne respire que par eux.

Hæc si ab Illmo. *Palafoxio* ad Serem. scripta sunt, quod equidem non existimo, nihil horum debet refelli, quia neutrum aliquò momento est stabilitum, utrumque à veritate est alienum.

Quæ Dei gratia est, audimus Ecclesiam, quidquid in autoribus nostris damnavit, omnes damnamus: malevolorum injurias sapit ejusmodi prætentionis reos arguere, qualis nescio, an alicui per somnium incidere potuerit.

Addit denique ibidem: *La reputation des autres Ecoles, Universitez, & Religions, est plus ancienne, & mieux établie que la leur,*

à

à l'Egard de la Doctrine & de la spiritualité.
Comparationem non instituo, legibus suis contenta regitur minima Societas Jesu.

Cognovit de his omnibus Serenms. *Joannes Austriacus*, & magis intellexit è propinquo, quo tempore Belgio præfuit, & autoritate suâ ex æquo usus est, Pontifici obediens, Regique.

Docet prætereà nos liber ille, Illmum *Palafoxium* eâdem die literis datis ad *Ignatium Gillemans*, ei gratias egisse de transmisso Decreto Illmi. Archiep. *Jacobi Boonen*: rogasse, ut Propositiones transmitteret, quas Lovanii minùs probarent, aut perstrinxissent.

Tum paucis pòst mensibus, 21. Sept. significasse eidem *Ignatio*, accepisse se nonam Epistolam inter famosas, & toties proscriptas Epistolas ad *Provincialem*. Petiisse quoque, ut reliquas pariter *Ignatius* transmitteret.

Altero pòst anno 22. Martii 1657. ab Illmo. *Palafoxio*, monitum fuisse eumdem *Ignatium*, Hispanos etiam in harum Propositionum Examen incumbere, & cogitare se de danda Epistola Pastorali hac super materia.

Gaudium denique suum indicasse 21. Junii 1658. de iis quæ hâc occasione in Galliis agebantur: idque his verbis: *Je me rejouis de ce qu'on fait en France sur ce sujet:*

Hæc *Arnaldini*, qui Illm. virum huic commercio implicitum vellent.

Vereor enimverò ut Vir Illms. satis omnia perspecta habuerit, quæ per id tempus Gallia subministravit:

Dolebant in iis Provinciis Janseniani libri

P Patroni

Patroni, Belgarum effugia, cùm Romæ, tùm Madriti fuisse præclusa: dolebant irritos conatus *Sinnichii*, cassa consilia *Joannis Recht*: tum quoque eosdem urebat magis, instare in *prima instantia*, quod appellant, Illmos. Galliæ Episcopos apud Innocentium X. ut de V. excerptis Propositionibus Sententiam diceret; & unamquamque meritâ notâ judex Doctrinæ perstringeret; neque sperare poterant fore, ut hunc judicem fallerent: placuit igitur omnem arietem vertere in Jesuitas, eosque, ut possent, aliò avocare. In hunc finem avidè sunt collecta, quæ aliqui autores nostri, aut minori attentione ex antiquioribus repetierant, aut quibusdam necdum litigantibus pronuntiaverant ipsi securiùs. Recriminatio hæc initio instituta est Nomine quorumdam Parochorum de scriptionibus huc spectantibus dixi in prioribus Vindicationibus: quidquid verò Sedes Apostolica de quibuscumque Propositionibus pronuntiavit, id omnes certum habemus, ac fixum.

Sparsa est inter hæc Patrio sermone non ante visa Epistola benè longa, centum quinquaginta & amplius numeris distincta, quam aptam esse sunt arbitrati, quæ Societatem in invidiam raperet; hoc ut obtineri posset faciliùs, Epistolæ magnum nomen præfixum est, *Joannis Pallafox de Mendoza* Episcopi Angelopolitani, additumque, eam datam fuisse ad *Innocentium X.* P. M. Angelopoli 8. Jan. 1649.

Ut primùm ad vulgus deducta est hæc Epistola, existimatum fuit, eam operâ Parochorum

rum

rum quorumdam in Gallia publicam prodiisse: verùm hoc illi negarunt in scripto, cui titulus *Cincquieme Plainte*: *Nous vous disons premierement*, inquiunt, *quelleque soit cette Lettre, nous n'y avons aucun part : ce n'est point nous qui l'avons fait imprimer, ce n'est point nous, qui l'avons publiée.*

Negabant tamen eam haberi posse tamquam suppositìtiam. *Arnaldus*, aut quisquis est alius, qui combusta opera est prosecutus, pro veteri supercilio scripsit audentiùs. [a] *Mes Reverends Peres*, inquit ille, *criez, tempêtez tant qu'il vous plaira, menacez l'un, & grondez l'autre, interessez tous vos amis dans l'affront que vous pourrez croire que votre Compagnie recoit, de ce qu'on ne pourra plus douter qu'une si terrible Lettre n'ait etè ecrite par un saint Eveque : bon grè mal gré que vous en aiez, toute la terre, & toute la posterité en sera persuadée.*

Bona verba : decepta posteritas non facilè credit : *Theatrum Jesuiticum* omni suâ fide *Arnaldus* adscripserat *Illmo. Malacitano*, pòst innotuit de Palmari calumnia. Probatiore autore est opus ut persuadeat tam citò.

Affirmo equidem multiplici injuria adscribi hanc Illmo. Angelopolitano Epistolam, & contra Societatem adferri. Ac primò quidem quia numquàm probata est esse genuina ab iis, qui eam Episcopo illi attribuunt. Hoc primò & ipsius Illmi. gratiâ, ostendendum suscipio.

Antonius Arnaldus, seu autor, seu vindex tribus tomis de hac Epistola egit copiosissimè, corra-

[a] Tom. 4. pag. 294.

corrafit quidquid ex univerfa Europa, atque ex America ad eam ftabiliendam potuit eruderare: quorfum, amabo, hæc omnis follicitudo? nifi quia ad manum non erat, quo faceret fidem.

Numquàm *Arnaldus*, numquàm *Santamoreus* exhibuit illius Epiftolæ autographum, nemo eft indicatus, qui probaverit,ubi affervetur, aut apud quem.

Numquàm *Arnaldus*, numquàm *Santamoreus* recognitum dedit apographum, aut copiam iis munitam, quæ fidem poffent obtinere. Nemo quoque comparuit,qui evicerit fe in ejufmodi aliquam copiam incidiffe, aut ftabiliverit,ubi gentium latêret.

Surgat modò qui poteft, ex Epiftolæ hujus divulgatoribus, qui ad hoc ufque tempus fuerunt, & de alterutro nos doceat, aut de Originali, aut de Copia, fed legitima,neceffariis comitibus ftipata; quod fi nemo poteft, quod tam juftè flagitamus, nos edocere, reparent leves criminatores quaquaverfùm ipfis autoribus adverfùs Illm. virum diffeminatam contumeliam.

✱ Hæc legit *Liberius*; fed quod poftulabam, non præftitit. Ad Bibliothecam fuam recurrit, ad *Arnaldum* ad tomum 3m. *Moralis Practicæ*: quæ ibi funt hifpanica,& gallica, à pag. 525. ipfe pro ufu fuo latinè repetiit in *Præloquio* à Pag. XXV. traductioni plures parenthefes interjecit, quibus rem magis involvit, implicatque. Poterat enimverò labori illi fuperfediffe, examinaveram illa ante, atque id à me factum effe indicaveram; addebam,

debam, illis rem minimè confici: hìc eram arguendus, si fallebam: sed *Liberius* extra autorem suum non sapit, quod ibi non invenit, ipse quidem ignorare se probat, *Arnaldi* constans Echo, ex hoc, eadem repetit, recinitque.

Injuria est secundò hæc Epistolæ pervulgatio, quia meritò, qualis divulgata est, spuria haberi potest, ac à nemine admittenda.

Primò siquidem nemo illius meminit, qui vitam *Palafoxii* scripserit. Non *P. Rosende*, cujus tamen judicium de Societate supra dedimus ex *Gerberonio*, neuter Jansenianis dubius autor haberi potest: non *P. Champion* è Societate JESU, quo autore pars magna illius vitæ exarata esse scribitur, & quæ tantopere placuit, ut eam totidem verbis exhibeat *Moralis practica* tom. 4. Non Abbas *Pellicotius*, non ipse Illms. *Palafox*. Postulabat Christiana Charitas, ne *Arnaldus* assereret, de quo omnes scriptores illi altùm siluerant, ne affirmaret, quod nemo concedere voluit eorum omnium, qui aut *Palafoxium* curarunt, aut negotia ad eum pectantia.

Alia supersunt, nec pauca, nec dubia: vulgata fuit hæc Epistola Parisiis anno 1658. atque, ut præ se ferebat, reddita è latino. quæsivit igitur *Annatus* anno 1569. ubi gentium delitescerent, aut quo archivo custodirentur Latinæ illæ literæ, quas se Gallicas dare quidam profitebantur: *Puis que le langage François de cette Lettre*, aiebat, *est une traduction du Latin, nous leur demandons où est ce Latin, qui l'a veu? qui l'a lue? qui en fait*

fait foy? comment veulent ils qu'on adjoute foy à une traduction Françoise, d'un Latin invisible?

Tam justæ iterum postulationi satisfecit nemo: ursit tamen *Annatus*, atque in eum locum rem illam adduxit, ut aut Epistolam illam, & latinam, & sinceram exhibere deberent, aut fateri esse commentum in *Portûs-Regii* Officina fabricatum. *Je suis en droit*, inquiebat, *de les arrêter sur cet article, & jusques à ce qu'ils fassent voir le Latin authentique de cette Lettre, je soutiens qu'elle est de l'invention des Jansenistes, & qu'elle à passé par la forge de Port-Royal.*

Quid obsecro, erat facilius, quàm continuò in medium proferre, quæ desiderabatur, Latinam Epistolam, & iis juris adminiculis instructam, quæ eam genuinam esse probarent? debebant, quod tam facilè poterant, datam fidem suam liberare, ostendere redditam esse, & sincerè; ni facerent, objectam notam incurrebant, nec parum molestam: post hæc omnia, silentio suo se involverunt, & Epistolæ hujus per Gallias buccinatoribus hæsit aqua, quæ nisi mendacibus, & sycophantis hærere non poterat. Latinum exemplum cujus idioma permutassent, nemo exhibuit, neque per id tempus apparuit uspiam.

Tribus pòst annis Anno scilicet 1662. volumen prodiit, cui titulus est *Journal de Saint-Amour*. Mendax opus, & Romæ proscriptum: mendaciorum ipsum arguit, & convicit Cardinalis *Albizius*. Eo volumine autor prosequitur, quæ in legatione sua, quâ pro erroribus

erroribus voluminis Janseniani functus fuerat, tamquàm Romæ facta, dictaque divulgare instituerat.

✱ Hanc mihi periodum succenset *Liberius* certè liberrimè, & pro legato Jansenianæ Causæ, suis hìc quidem pugnat verbis, quæ fateor, unde acceperit, nescio. Dabo singula, quæ de illo atque pro concilianda ei autoritate affirmat, quibus tum ego respondebo. Perbrevem hanc Digressionem, tu lector æqui bonique consule, in cujus necessitatem me conjecit loquacitas hominis inconsiderata.

Ait igitur *Liberius* "*Santamorêum* apud „Sorbonam, & Galliæ Episcopos, probita-„tis, & agnitæ sinceritatis Doctorem esse.*" Tum item: "Præsumptio, inquit, sinceritatis est pro *Santamorêo*, dum ipsius testimo-„nium velut falsatoris Jesuitæ rejiciunt, fal-„sationem probare debent. * Probent igitur „Jesuitæ, probet *Huylenbroucquius*, memora-„tam *Santamorei* Declarationem, ipsum-„que esse falsatorem & impostorem, probet, „inquam evidentibus indiciis." Tum iterum: „Imponis *Huylenbroucqui* dum Cardinalem „*Albizium* convicisse asseris, nec proferre „audes argumenta ipsius prætensè convincen-„tia, unde receptibile non est testimonium „*Albizii* de mendaciis *Santamoreum* arguentis, „utpote testimonium notorii inimici ipsius „&c. nisi argumentis probet redargutionem „suam. *Santamoreus* namque in *Diurni* sui „Præfatione coram Ecclesia universa prote-„statur in *Diurno* nihil à se scriptum, nisi „quod

* Pag. XXI. * Ibid.

„quod vidit, & audivit; sibique semper propositum fuisse nihil nisi verum dicere, nihil „quod de mendacio redargui posset, non solùm coràm hominibus, sed & maximè coràm Deo. Undè nec ipsum umquam de „mendacio redarguit Clerus Gallicanus, numquam *Sorbona*, numquàm in Gallia aliquis „omni exceptione major. Pro ipso ergo stat „Præsumptio, & ideo Jesuitarum est argumentis evidentibus ipsum demonstrare mendacem." Ac denique. "Si Romæ, ait, proscriptum fuerit *Diurnum* (quod ad notitiam meam hactenus non pervênit) videant „socii an non subreptitiè per solitas sociorum, „& sibi devotorum mendaces informationes „&c. ✱ Hæc *Liberius* anno proximè elapso 1714.

Adversùs hæc omnia, ut nunc etiam confirmem, quod à biennio certissimum habui; brevissimè in hunc modum repono: 1°. pauca quædam in memoriam esse revocanda quæ liber *Santamorêi* affirmat. 2°. Hinc planum fore, ubi, & à quibus mendacii fuerit convictus. 3°. Librum illum singulari Decreto Romæ Damnatum fuisse ab annis amplius quinquaginta. 4°. Eumdem librum, non solummodo esse mendacem, sed pluribus titulis, publicâ sententiâ infamem; nullam pro eo stare præsumptionem; *Liberium* multiplici suâ dicacitate se non unius peccati reum constituisse.

Accedo ad primum; atque ipsas *Diurni* periodos subnecto, ex innumeris paucissimas, quæ hìc ad propositum sint satis. Agens igitur de

de Condemnatione V. Propositionum excerptarum ex *Augustino* Cornelii Jansenii, de qua Orbem Catholicum docuit, Constitutione suâ Innocentii X., illam Condemnationem traducit * ut *informem*, ut *inauditam*, institutam contra omnem æquitatem, Regulasque, & quæ rueret se ipsâ : *en ce cas*, inquit (casum indicat, modumque, quo Condemnatio verè prodiit) *cette condamnation etant informe, inouie, faite contre toute sorte d'équité, & de Regles, se detruiroit d'elle-meme.*

Alio loco de stabilita à Summo Pontifice in hanc rem Congregatione, sensum suum his verbis enuntiat, *Nous considerions aussi la Congregation si peu proportionée à la grandeur de l'affaire qui etoit à decider .... nous avions veu qu'elle agissoit d'une maniere si peu Canonique &c.* * Inde gradum faciens ad Condemnationem ipsam V. Propositionum, & de submissione præstanda Definitioni Xristi Vicarii.

Cette soumission, ait (suam intelligit, suorumque) *etoit reglée par la raison, & nous n'avions jammais eté de ceux qui croient que les Papes ne peuvent estre surpris, & (qu'il leur est permis de negliger toute sorte de formes, & les moiens les plus necessaires pour decouvrir la verité, comme on à fait en cette rencontre en supposant que l'Inspiration divine suppleeroit à tout.* * Alibi memorat Constitutos in hac re à sua sanctitate administros, consilium concepisse hanc Constitutionem à Summo Pontifice extorquendi; *pour l'execution*

* Pag. 85. * Pag. 398. * Pag. 404.

tion du dessein qu'ils avoient d'extorquer du Pape cette condemnation. *

Habes plura quàm requirat hic locus : ex Narratione famosi *Diurni* Constitutio Innocentii X. quâ damnantur V. Propositiones excerptæ ex *Augustino* Cornelii Jansenii, quam universus Orbis Catholicus quâ decet veneratione suscepit, Damnatio *informis* est, *numquam audita*, *Iniqua*, *Irregularis* : adhibita media, neque tanto negotio fuerunt *proportionata*, neque *Canonica*. Summus Pontifex in hac re *omnem formam neglexit*, omnia adminicula inveniendæ veritati apprimè necessaria, omnium unum fuit consilium, hanc Damnationem à Pontifice *Extorquere*.

Numquid ego post hæc necesse habui proferre argumenta, quibus *Diurnum* illud mendacii convinceretur, cùm ejusmodi imposturis scateat magnis, maximis, & reipsâ clarissimis? nemo Catholicus est, qui materiam illam versaverit, & in turpes has contumelias pro summa rei indignitate non animadverterit. Eminentissimus *Albizius* tum Assessor S.[ti] Officii integro negotio illo, dum agebatur, occupatus, in allocutione ad lectorem in hæc verba præmittit. "Accessit postremò „perversa Jansenistarum hæresis, ad quam „profligandam toto animo incubui, & eâ di„ligentiâ, quæ par erat negotio, quod ne„dum Galliam, & Belgium, sed universa„lem Ecclesiam Catholicam, non dicam e„vertere, quia portæ inferi adversus illam „non prævalebunt, sed magna ex parte labefactare

* Pag. 518.

"befactare poterat. Alfi, infudavi, fed non
"irrito conatu. Spiritus S. enim qui SS. PP.
"in materia Fidei femper affiftit, adftitit pe-
"culiariter gloriofæ memoriæ Innocentio X.
"ita ut afflante aurâ Divinâ fuo Diplomate
"illam profligaverit, & everterit. Bone Deus,
"quot artes, quot calumniæ, quot menda-
"cia, quæ falfitates non fuerunt à Janfeniftis
"inventæ, ut Sedem Apoftolicam à Decifi-
"one V. Propofitionum Hæreticarum ex li-
"bro Auguftini Cornelii Janfenii Epifcopi
"Iprenfis excerptarum retraherent? fed Deus
"Opt. Max. eorum machinamenta, fraudes,
"& aftutias delufit.

Quantum illa convincunt norunt Catholici, & fcire poffunt alii, quotquot ea pluribus deducta, firmataque Exemplis legere voluerint, ad caufam illam, in his Vindicationibus non revertor.

Sed *Receptibile* non eft Teftimonium *Albizii*, inquit *Liberius* nofter; cuperem equidem ei *receptibilis* effet ipfa faltem Innocentii X. Definientis Conftitutio: intelliget pòftea cur hoc ejus causâ vehementer debeam defiderare. Unde tamen eft *receptibilis* ejus exceptio adversùs Eminentiffimum teftem? Quibus argumentis legitima effe convincitur? Erat, ait, *Santamoreo* notorius inimicus, Jefuitis Patronus partialiffimus, artibus nobis folitis in partes noftras feductus; hæc feipfis frivola dicimus, & inepta; cæterà verba funt nullius digna attentione; vel fi mavis antiqua eft impoftura, quâ omnia autore Illmo. *Albizio* fieri vociferabantur: de hac, Eminen-

nentissimus *Ghiggi*, exindè *Alexander VII.* Pont. Max. ipsum *Santamoreum* redarguit, cujus redargutionis ipse quoque *Santamoreus* est testis in *Diurno* suo pag. 395. Col. 1a. ibi sic narrat.

"Je repondis.... (à Mr. le Card. *Ghiggi*) que nous ne nous y estions pas arrestés, par-"ce que nous avions esperé que le Pape dans "le progres de l'affaire recognoistroit avec "nous la fausseté, & le defaut de cette pen-"sée, que lui avoit êté donné par Mr. *Albizi*, "ou par quelque autre. A peine eus-je pro-"noncé ce mot de Mr. *Albizi*, que Mr. le "Card. *Ghiggi* m'interrompit, & me dit en "colere, *voila-t'il pas* (en Italien pourtant) "*que c'est toûjours à Mr. Albizi à qui on s'en* "*prend.* C'est ainsi que ceux de Flandre di-"soient de la Bulle d'Urbain VIII, que c'e-"stoit Mr. *Albizi*, qui l'avoit falsifiée; que "lui Cardinal avoit neamoins fait voire à ces "Docteurs, qu'elle ne l'etoit pas; & puis il "adjouta quelques paroles, que je n'entendis "point bien nettement, mais qui me firent "croire, que leur sens etoit, qu'il n'y avoit "pas moien de reduire à la raison ces opini-"atres-la, *istos pervicaces, & pertinaces*, il "usa de ces deux mots, que j'ouis fort di-"stinctement, & que je crois qu'il entendoit "tant de nous, que des Docteurs Flamands.

Proximum est, ut *Candidum* nostrum instruamus: fatetur enim ad notitiam suam hactenus non pervenisse de Proscriptione *Diurni* Santamorei, dabo hominis gratiâ Decretum hoc integrum, & quale fuisse dixi, singulare: ipsum sic habet. De-

DECRETUM Congregationis EE. & RR. DD. S.R.E. Cardinalium à S.D.N. Alexandro Papa VII. Sanctaque Sede Apost. ad Indicem librorum &c. in Universa Republica Christiana specialiter Deputatorum, *Ubique Publicandum.*

Sacræ Indicis Congregationis Decreto damnatus, ac prohibitus fuit infrascriptus liber ubicumque & quocumque idiomate impressus, imprimendusve. Nemo cujuscumque gradûs & Conditionis eum imposterum vel imprimat, vel legat, vel retineat; si quis interim habuerit, Inquisitoribus seu locorum Ordinariis à præsentis Decreti notitia tradat sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis.

LIBER EST.

Journal de Mr. de Saint-Amour Docteur de Sorbonne, de ce qui s'est fait à Rome dans l'affaire de cinq Propositions imprimé par les soins du dit Sieur de Saint-Amour en la presente année M D C L XII.

In quorum fidem manu, & Sigillo Em. & Rmi. DD. Card. *Ginetti* Episc. Sabin. supradictæ S. Congr. Præfecti præsens Decretum signatum, & munitum fuit. *Datum* Romæ in Palatio Apost. Quirinali die 28. Martii 1664.

M. Card. Ginettus Præf.

F. Hyacinthus *Libellus* S. Cong. Secret.

Loco † Sigilli.

Anno à Nativitate D.N. Jesu Christi 1664. Indict. 2a. die 31. Martii Pontificatûs autem

S.

S^mi. in Chriſto Patris & D.N.Alexandri Divinâ Providentiâ Papæ VII. anno ejus nono ſupradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Lateran. & Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis & conſuetis Urbis per me *Laurentium Signium* Sanctiſſ. D.N. PP. Curſ.

Carolus Franceſchinus Curſ.Mag.

Romæ ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ 1664.

Poterat *Liberius*, ſi quæ præter *Arnaldica* ſatis conſuleret ex vicinioribus inſtrumentis intellexiſſe de *Diurni* hujus condemnatione. Anno 1704. 23. Febr. editus fuit Proceſſus contra Domnum Gabrielem *Gerberon*, ille paginâ 39. notat in hæc verba, "*Diario* Domini Santamorei pro defenſione Doctrinæ "Janſenii alias Romam ablegati, Anno 1663. "(Decretum ſupra relatum datum eſt 28. "Martii 1664.) Sedes Apoſtolica Cenſurâ ſuâ "fidem omnem ademit, mulctavitque audaciam." Eodem anno 1704. Romæ editus eſt Index librorum Prohibitorum, hic damnationem *Diarii* Santamorei refert tum pag. 159. tum iterum pag. 252. Quæ de *Subreptione* Tubicen ſomniat, malignam ſtultitiam ſapiunt.

Ultimum fuerat oſtendere eum librum Santamorêi publicè eſſe infamem. Ad manum eſt Regia Sententia, quæ id demonſtret, data 4. Jan. 1664. In Concilio Statûs Chriſtia-

ſtianiſſimo Rege præſente, ſubjungo propria verba quibus eſt exarata,refert in terminis."Le "Roy aiant eté cy devant averti de ce qu'au pre-"judice desConſtitutions desPapesInnocentX. "& AlexandreVII.qui condemnent la Doctri-"ne deJanſeniusEveſque d'Ipre contenue dans "le livre intitulé *Auguſtinus*,quelques perſon-"nes mal affectionées à la Religion & à l'E-"tat, faiſoient paroitre de nouveaux impri-"mez tendant à ſoutenir la dite Doctrine "ſi autentiquement condemnée : l'un des "quels imprimez eſt intitulé, *Journal du* "*Sieur de Saint-Amour Docteur de Sorbonne* "& l'autre *Manuale Catholicorum autore Aleto-*"*philo Charitopolitano.* Que Sa Majeſté pour "prevenir les dangereuſes ſuites que la lectu-"re de ces imprimez pouroit cauſer dans les "eſprits foibles, avoit ordonné que les dits "imprimez ſeroient veûs, & examinez par "pluſieurs de plus notables Prelats & Doc-"teurs de la Faculté de Paris, pour en don-"ner leurs advis, dont ils dreſſeroient un "Procès verbal: Qu'aiant eté rapporté,& icelui "veu & trouvé contenir entre autres choſes, "que l'hereſie de Janſenius eſt ouvertement "ſoutenuë & renouvellèe dans les dits impri-"mez; que les auteurs & les defenſeurs de "cette Secte, quoy que condamnez y ſont "extraordinairement louez, & les Docteurs "Catholiques qui ont eſcrit contre, chargez "d'injures; que les Decrets du S. Siege pro-"noncez en cette matiere, les Papes mêmes "les Cardinaux, les Eveſques, les Docteurs, "& les Religieux y ſont traittez avec un mepris,

„ mepris, & une impudence insupportable ; „ & qu'en un mot l'autorité de l'Eglise y est „ tellement blessée, que les dits livres sont dig- „ nes de la peine que les loix decernent con- „ tre les livres Heretiques.

„ Sa Majesté en son Conseil a Ordonné, „ que les dits deux livres ou Imprimez inti- „ tulez *Le Journal de saint Amour*, & *Manu- „ ale Catholicorum*, seront brulez en la place „ publique par l'Executeur de la haute justi- „ ce, que les presses de leur impression seront „ rompues, tous les exemplaires dechirez, & „ les auteurs & l'imprimeur d'iceux pris au „ corps si apprehendez peuvent estre; si non „ assignez à trois briefs jours, leurs biens sai- „ sis & annotez &c. Fait au Conseil d'Etat „ du Roy Sa Majesté y etant, tenu à Paris le „ 4. Janvier 1664. Signé DE GUENEGAUD.

Ecquæ Amice nunc tibi subit cogitatio? videorne etiamnum imposuisse, nec ausus fuisse proferre argumenta, quibus *Diarium* illud convincerem nullius ponderis esse aut fidei? clamabisne posthac, *probet Huylenbroucquius librum illum falsatorem esse, & impostorem, probet, inquam, evidentibus indiciis*, ego quidem tibi morem gessi, ut existimo, atque amplius præstiti, ac me rogaveras: tu da operam, ut aliquando è luto tuo emergas.

At nescio quis scrupulus tibi prætereà est eximendus: vociferaris enim *Præsumptionem* pro *Diario* stare. Mitte nugas *Candide*; quid jura ferant de *Præsumptione* non ignoramus: scito illi hìc locum non esse. Liber *Santamorêi* accusatus est, Reus convictus, damnatus, punitus

punitus, lictoris manu laceratus, combustus, jure infamis est. Hæc Sodalibus tuis refer, qui tecum de his ignorarunt. Priusquam tamen hic te dimittam, perpende obsecro, quantopere tui fueris oblitus: Post gravissima illa Summi Pontificis, & Regis Christianissimi Judicia, tu anno 1714, tu Autorem *Diarii* apud Sorbonam, & Galliæ Episcopos probitatis & agnitæ sinceritatis Doctorem sustines salutare? igitur, distinctissimos Galliarum Præsules, & Facultatis Parisiensis Doctores paulo ante in Regio judicio indicatos accusas injuriæ, damnas injustitiæ, qui librum agnitæ probitatis viri tantorum criminum reum constituerint; ipsam Regiam Majestatem eâdem damnatione involvis. Tu pergis effutire, neminem in Gallia omni exceptione majorem eum librum umquam de mendacio redarguisse? Num ergo Illmi. Galliarum Episcopi, Doctores Parisienses, Regius Senatus, Rex Christianissimus, non sunt tibi in Gallia omni exceptione majores? Quæ desperatio te in hunc locum conjecit? aut si sciens hæc scripseris, quis pudor faciem tuam ascendit?

Sed redeo unde diverteram, inconsiderato Præloquio avocatus. *

Librum, quo de agimus, *Diarium* scilicet, autor absolverat, ut ipse fatetur, ante finem anni 1654. ad calcem libri plura adjecta sunt instrumenta, inter hæc primum est Epistola adscripta Illmo. *Palafox*, eaque idiomate latino, & quam, ut ait, nactus fuerat ab anno 1651.

Edisserat velim, qui potest.

1. Quo casu tamdiu habitum hoc instrumentum non prodierit, nisi posteaquàm Ill^mi. *Palafox* tribus annis obiisset, mortuus 1. Oct. 1659.

* *Rationem*, inquit *Liberius* pag. XXIII. *ipse* Santamorêus *reddit eâdem in Præfatione*. Præfationem hanc legi totam, de *Epistola Palafoxii*, de qua quærebam, de tempore, cur prodierit tam sero, *Santamorêus* non meminit magis, quam de Mahometis Alcorano. *

2. Parisiis erat hic autor, cùm ibi scriberet *Annatus*, cùm Epistolam illam Jansenianis commentis annumeraret, nisi proferrent latinam: servabat hanc in *Diario* suo *Santamorêus*, ut ipse quidem asserit, diu ante acceptam: cur tam necessario casu, tam opportuno tempore non fuit exhibita? œdipum exspecto, qui isthæc nos doceat. * *Liberius* œdipum se non præstitit, legit hæc mutus. *

Equidem interea pari loco habebo ea omnia, quibus probare studuerunt, & commentitiam illam versionem Gallicam, & prætensæ Epistolæ hoc autore vulgatum latinum exemplum: cui enim risum non moveat hominis narratio, quâ scribit in eam Epistolam se incidisse?

J'en eu COPIE *de cette Lettre*, inquit ipse, *peu de tems que je fus de retour à Rome* (meminit alibi in Urbem se rediisse 15. Junii 1651.) *& Mr. Cosimo me la donna.... dans une des premieres visites que je lui fis, & il en avoit eu la* COPIE *de l'Agent de cet Eveque qui l'avoit apporté à Rome & rendue au Pape* (a).

Sentis

[a] Journal de St. Amour pag. 163.

Sentis, quanti fieri possit hoc instrumentum; est enim Copia Copiæ, quam nemo indicatur contulisse, & quæ numquàm recognita, habita est à tertia manu, quarum quæ prima est, numquam probatur eam accepisse ab Illmo. *Angelopolitano*, cui adscribitur.

Adde his singularia, quæ ipse *Santamortus* de Mecœnate suo commemorat:

Signor Cosimo Ricciardi de Accoltis, ait ille, *Curé de San Salvatòr della Copella*, & *Qualificateur de la Congregation de l'Indice me donna avis que le P. Annat vouloit faire imprimer un livre contre les cinq Propositions*, & *que ce livre étoit commis par le St. Office pour l'examiner & voir s'il y falloit donner approbation : je dirai cy-après ce que nous fîmes pour l'empescher.* (a).

Stabat hic igitur à partibus Patronorum voluminis Janseniani: inquirebat indagator, quæ ad hanc rem facerent, referebat fidus minister, quæ inaudierat: consilia, & studia sua conferebat, quibus impediret, ne nostrorum lucubrationes pro Sede Apostolica adversùs errores elaboratæ, ad publicam utilitatem prodirent: ne hic enimverò dignus est autor, cui de hac accusatoria Epistola narranti fidem præstemus! Et tamen hic unicus est nominatus, qui fateatur se illius Epistolæ aliquam copiam accepisse, in hunc unum nominatum, & æquè Jansenianæ causæ Patronum, ac Religionis nostræ adversarium, omnis de ea acceptione fides resolvitur.

Non

[a] Pag. 167.

Non repeto ſtudioſos illos conatus adverſùs *Annatum* inutiles fuiſſe : nemo ſiquidem ignorat illius librum, quem eo tempore inſcripſit *de incoactâ libertate*, examinatum fuiſſe, & Romæ impreſſum, ibidemque ex more probatum.

Monſieur Coſimo Ricciardi, pergit idem, *avoit un très grand deſir que cette lettre fut imprimée : il m'a temoigné pluſieurs fois qu'il l'avoit donné à ce deſſein aux autres.* (*a*)

Hominem ergo quærebat, à quo hujus Epiſtolæ impreſſionem emendicaret, neque tamen invênit duodecim annorum ſpatio, cui tam bellè caneret, ut eam curam in ſe vellet ſuſcipere :

Mirum profectò ! ut enim alibi fabulantur, cùm de hac Epiſtola loquentem inducunt eum, qui Romæ Illmi. Palafoxii cauſam agebat ; reſcripſit, inquiunt, vir ille in hæc verba ; *je puis ajouter que tous ces Meſſieurs* (ſeptem erant ante nominati Cardinales, & Prælati ſex) *me temoignerent que c'etoit un des plus beaux écrits qu'ils euſſent vû en toute leur vie.* (*b*)

Primus Theſaurum hunc tenebris ſuis eripuit *Santamoréus* : verùm ſingularis illa pulchritudo tantopere hominem percelluit, ut quæ ante ſcripſiſſet, ei omninò exciderint. Aiebat in narratione, ſe Copiam Copiæ dono accepiſſe à *Coſimo Ricciardi* : ſimilem aliis conceſſam fuiſſe, neſcire ſe quis apud alios illius Copiæ uſus fuiſſet : ubi ad calcem deventum eſt, ecce autem ſubitâ metamorphoſi le-

[a] pag. 163. (b) Mor. prat. tom. 3. pag. 541.

leviſſimum apographum evaſit originale, nec antè typis vulgatum. *Je croye*, inquit, *qu'on ſera toûjours bien aiſe d'en voir icy l'original latin, qui n'a point encor été imprimé.* (*a*)

✱ Hæc omnia *Tubicen* noſter tacitus prætérivit, neque aliquid horum verbo tentavit diluere. ✱

Quamquàm quid fruſtra his immoror? quid eſt tandem allata vulgataque tot fucis Epiſtola? cujus eſſe convincitur, quis ei ſubſcripſit, quo Sigillo munita eſt? cui inſcripta eſſe oſtenditur? juvat enim ineptias illas abrumpere, & quod res eſt brevibus dicere:

Sic igitur habeto:

Impreſſa illa ad calcem *Diarii* Epiſtola, & adſcripta Illmo. Palafoxio, tota quanta eſt, anonymum eſt inſtrumentum, nullius perſonæ additam habet ſubſcriptionem, neque Sigillum, nec locum indicat Sigilli, nomini eſt inſcripta: titulum præfert, quem ipſe autor *Diarii* fatetur ab alio adjunctum fuiſſe. Ultimæ lineæ ſubſcriptum legitur, *Epiſcopus Angelopolitanus.* Sed abſque ulla præmiſſa litera, quæ alicujus prænomen, aut nomen poſſet indicare. ✱ *Exiſtimavit*, inquit *Candidus* pag. xxv. eam *ſubſcriptionem ſufficere, cùm nomen proprium antè* (id eſt ante biennium, & alteri Epiſtolæ) *ſubſcripſiſſet.* Unde ei, amabo, innotuit de hac inſolenti exiſtimatione Illmi. Viri tamdiu antè demortui, quo revelante hanc didicit? nimis miſerum eſt hoc *Tubicinis* effugium, neque aliquâ dignum attentione. ✱

Nul-

[a] Receuil de St. Amour pag. 11.

Nullus Episcopus Instrumenta ejusmodi notis aut fecit sua, aut talia alicui probari posse existimavit. Plures Epistolas Illmi. *Palafox* exhibet P. *Gabriel Henao* in Tomo *Scientia media Historicè propugnata* pag. 386. Singulæ more Episcopis omnibus, aliisque usitato, scribentis proprium nomen indicant, & Dignitatem: alteris subscripsit in hunc modum. *D. Joannes Palafox de Mendoza Episcopus Angelopolitanus.* Solâ Dignitatis notâ ad calcem subjectâ, nullibi legitur Epistolam aliquam conscripsisse.

Fateor, autor *Diarii* vocabula hæc sola subjecit, *Episcopus Angelopolitanus*; non addidit his vocabulis eas literas signatas fuisse: ætas parentum pejor avis, de suo hoc addidit, & impressum triginta fere pòst annis exemplum Gallicum, ad finem Epistolæ sic exhibet; SIGNE' *l'Evêque d'Angelopolis.* (*a*) Reliquum est, ut, si mendacis notâ liberare se curent, evincant, quod asserunt, probentque hujus signi autographum, aut legitimum certè apographum sese sequutos fuisse: neutrum in hunc diem quisquam exhibuit. ✱ Neque nunc exhibuit *Candidus.* ✱

Collectorem *Diarii*, aut instrumentorum pluribus non moror: sibi scriptum existimet quod *Arnaldini* aliis & liberè, & falsò reposuerunt, (*b*) ibi legat sibi accommodata hæc verba: *Il y a ensuite une Lettre latine, qui n'est signée de Personne, ce qui donne sujet de croire, que c'est vous qui l'avez mise la pour l'ajouter à votre Systeme.* Diu

[a] Morale prat Tom. 4. pag. 473. Imp. 1690.
(b) Ibid. pag. 188.

Diu ante hoc tempus eumdem ſcriptorem alius de Epiſtola illa commonefecit, ac demonſtravit ex præcognitis immeritò Epiſcopo illi adſcriptam fuiſſe : *l'Auteur du Journal*, inquiebat, *ſans parler du reſte de ſon livre, doit eſtre maintenant perſuadé, qu'au moins c'eſt une fauſſeté que Mr. l'Evêque d'Angelopolis ſoit auteur de la Lettre.* (*a*) Atque hæc vivo ſcripſit Doctori *de St. Amour*, qui de his prius editis ignorare vix potuit, mortuus ad finem Nov. 1687. ſiluit tamen, cùm eum loqui maximè decuiſſet, neque ullum protulit momentum, quo impoſturæ notam a ſe averteret.

✱ His nemo repoſuit verbum : nemo ſtuduit vindicare argumentum ex infami *Diario* depromptum. ✱

Cauſam hanc poſteà ſuſcepit autor *Moralis practicæ* Tom. 3. ibi (*b*) ceu miraculum narrat, quo omnes compertiſſimum habere debeant, toties memoratam Epiſtolam meritò adſcribi Epiſcopo *Angelopolitano*:

Audiamus quid ferat.

Illms., inquit, ille Epiſcopus ſcripta ſua, libroſque unà cum additis literis ſuis Madritum miſit ad Reverm P. *Didacum de Præſentatione* Generalem Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, ut hæc omnia in archivo ſuo cuſtodiret : ipſe Illmus. in adjunctis literis diſtinctè de ſingulis ſcriptis ſuis meminit; atque ad ea ſpectantia commemorat : tum verò inter hæc ſcripta reperitur Epiſtola, quam

(a) Defence de N. Chreſtiens, pag. 380, 2. Edit.
(b) Pag. 525.

quam latinam dedit autor *Diarii*, ſervaturque Madriti in archivis jam indicatis, in pixide ſingulari clave obſerrata: eſt & ibidem Ill$^{mi.}$ alia Epiſtola ad Canonicum *Maganum*, qui Epiſcopi cauſam Romæ egerat, quâ inquirit de Epiſtolæ illius ſucceſſu, & hujus Canonici ad Ill^{m} reſponſoria.

Hæc ſunt quæ narrantur ex appoſito ibi Inſtrumento Hiſpanico.

Toties fallentibus didici nihil citò credere: quæro ergo, quis eſt Hiſpanus ille narrator? quo inſtrumento fidem præſtat ſuæ narrationis? exſpecto hìc enim, quod omnem tollat dubitationem, & quod rem omnibus apertiſſimam commonſtret; atque ecce ubi totius ſcripti titulum conſulo, hæc lego.

Copia de un papel de un Religioſo mui grave y docto de la corte de Eſpagña.	Copia ſcriptionis Religioſi multùm gravis, & docti ex aula Hiſpaniæ.

Quid, amabo, eſt ineptire, ſi hoc non eſt! quis larvas in teſtimonium adduxit, quo rem aliquam vellet conficere? nominent hominem, ſi poſſunt, probent ſcriptionem, quam allegant, cum ea *Copiam* legitimè curent conferri, quæ quamdiu non præſtant toties poſtulati, oſtendere pergunt ſe eſſe alienæ famæ liberos obtrectatores. ✱ Siluit *Tubicen* etiam hoc loco. ✱

Anonymus Religioſus nihil evincit, quantumvis gravis fingatur & doctus; inuſitatum eſt quoque Religioſum deſignare ex *Aula Hiſpaniæ*; ab *Ordine* ſuo Religioſi indicantur, non ab *Aulis*; feriit hoc fortè eum, qui pau-

lo

lò ante relata Hispanica in hunc modum Gallicè vertit, *Copie de l'écrit d'un grave & sçavant Religieux de Madrid*, de Aula siluit.

Verùm age, quoniam ad Anonymum hunc, tamquàm ad atticæ fidei virum remittimur, atque ad indicata ab illo instrumenta veluti ad Apollinis Pythii oracula, sequor; & quod amplius est, iis sto perquam libenter:

Aio ego ex his instrumentis & quæ Arnaldini ipsi met afferunt, certum esse, 1. neque Illm. Palafoxium, neque hujus olim in Urbe Procuratorem ullam mentionem facere de Epistola, quam Angelopoli dedisset ad Innocentium X. 8. Jan. 1649 hoc totum in facto positum est, legat igitur, qui volet, hæc instrumenta, & me falsi insimulet, si potest.

2. Aio de una unica Epistola ad Innocentium X. Illmum. ibi meminisse, sic enim qui ibi legitur titulus præfert. (a)

De la carta que escriviò à su Santidad desde de la puebla de los Angeles.	De Epistola quam scripsit Angelopoli ad summum Pontificem

Vides de una Epistola sermonem instituì, non de alia: insolens quippe foret universim de *Epistola* ad Pontificem alicubi titulum fieri ab eo, qui ibidem ad eumdem Pontificem plures literas dedisset: meritò scilicet folium quisquam inscribet *De Epistola Pauli Apostoli ad Romanos*; Una est enim. Ineptias spargeret, qui scripto suo indicem faceret, *de Epistola S. Francisci Salesii ad Clementem VIII.* tales

[a] Tom. 3. Mor, pr, p. 518.

tales, siquidem servamus quamplurimas.

3. Aio de Epistola hac, & de qua sola meminit, de ea, inquam, Ill^{m} Episcopum pœnituisse, & noluisse ei plus aliquid tribui, quàm rationum pondus postularet: relata ibidem verba sic sonant.

Esta carta escrivi algo acongojado de las sin razones, que a mi parecer havian hecho aquellos Padres contra mi dignidad y persona:	Scribebam hanc Epistolam aliquali turbatione detentus ob irrationabilia, quæ ut existimabam, egerant illi Patres adversus dignitatem meam ac personam.
Y assi de ella no se ha de haer mas caso, que lo que pesaren sus razones.	Et ita illius Epistolæ major ratio haberi non debet quàm postulet pondus rationum.

4. Affirmo hanc Epistolam, de qua solâ meminit, datam esse non potuisse ad Innocentium X. 8. Jan 1649. ac proindè eam ex instrumentis illis Hispanicis petitam Probationem spuriam esse, & nullam: neque multis est opus ut rem clarissimam evincam.

Los effectos, inquit, *de la carta fueron el Salir el* BREVE, *negandoles casi todo quanto pleyteavan.*	Effectus, *inquit*, Epistolæ fuerunt Emanatio BREVIS, quo iis fere totum negatur quod postulabant.

Quæro nunc, quo tempore emanaverit hoc BRE-

BREVE Pontificium? obvium eſt, videri poteſt, extat quoque in Bullario Tom. 4. Edit. Lugdunenſis: quæro, inquam, quo anno datum ſit *Breve*, de quo ſolo meminit Epiſtola Illmi. Palafox; nihil interrogo de iis, de quibus non meminit; non quæro de ficta in hanc rem facultate publicandi hoc *Breve*, non de aliqua hujus Confirmatione, ſed de effectu, quem ſolum indicat; de conceſsione *Brevis*, quam Epiſtolæ ſuæ attribuit:

Oculos ſuos adhibeant, legant Romæ datum fuiſſe hoc *Breve* 14. Maii 1648. diſcant hanc conceſſionem effectum eſſe non potuiſſe Epiſtolæ tot menſibus poſterioris; diſcant moveri non potuiſſe Summum Pontificem Epiſtolâ datâ Angelopoli 8. Jan. 1649. ut in Urbe Apoſtolicum *Breve* concederet 14. Maii 1648.

✱ Argumentum hoc *Futile* eſt, inquit *Liberius* pag. xxx. Audio, ſed verbis non moveor: Hæſit quoque *Arnaldus* ad hunc locum, notavitque hæſitationem ſuam his verbis, quæ inſtrumento hiſpanico ſubjunxit Tom. 3. Mor. pract. pag. 529.
on ne ſçait ce qu'il entend par cette SORTIE *du Bref.*

Sed ô *Tubicen* cur *futile* ſit momentum, quod adduxi? *quia*, ait, *per* BREVE *de quo ibi ſanctus Epiſcopus, non intelligit illud de* 24. *Maii* 1648. bene habet: quod ergo *Breve* intelligit, quo die datum? ALIUD, inquit: præclare, ſed quod? accipe hominis confeſſionem; *intelligit aliud, ideo nobis incognitum, quia in Bullario non contentum.* Miſerum enim-

enimvero ſubſidium, quod quis flagitat ab *Ignotis*. Et quæ hæc ratio eſt? *Breve* illud incognitum eſſe, *ideo, quia* in *Bullario* contentum non eſt; an non *Brevia* centena notiſſima ſunt, quæ in Corpore Bullarii relata non inveniuntur? vis ſcire *Candide* quare *Breve* aliud tibi incognitum eſſe ſcribere potueris? quia omninò *aliud* non eſt ab eo,de quo Illms. meminit, ac id quod datum eſt 14. Maii 1648. Sola deſperatio *aliud incognitum* evocavit. Si hoc mihi ſuccenſes, incumbe toto pectore, ut aliud *Breve* invenias alio tempore datum, quod fuerit effectus Epiſtolæ datæ Angelopoli 8. Jan. 1649. quod ſtatim poſt illam Epiſtolam emanaverit, quo totum fere negatur, quod Jeſuitæ poſtulabant; incumbe, inquam, ut tale invenias bene; de hoc enim agit Illmus. de *Brevi* meminit, non de triennio, aut quadriennio poſterioribus confirmationibus, hæ non ſunt *Brevia*, neque ipſis conveniunt quæ de conceſſo *Brevi* Illms. Epiſcopus enarravit. De *Brevi* meminit, iterum repetam, non de literis Eminentiſſimi *Spada*, non de aliis quibuſcumque, nihil horum omnium eſt *Breve* Pontificium. Tale *Breve* eſt allegandum, & quale deſcriptum eſt, & alio die datum quam 14. Maii 1648. alia fruſtra ſunt. ✱

Itaque omnis hæc Declamatio atque probatio de epiſtola illa Angelopolitana tanto ſtrepitu divulgata, tantâ contentione celebrata, ipſa ſe falſi condemnat, & per ea quoque inſtrumenta, ad quæ potiſſimum appellavit autor *Moralis Practicæ*. ✱ Hanc aſſertionem ex jam dictis

dictis certissimam evertit nemo. *

Quisquis de ea mentionem injici audiet, repetere is quidem post hæc apud se poterit, & rem omnem ad compendium hoc revocare.

1. Divulgata est illa Epistola Gallicè Parisiis 1658. cùm ibidem studia sua conferrent Religiosi Societatis adversùs errores voluminis Janseniani : nemo autor haberi voluit hujus divulgationis. Ferebatur versa esse è latino : hoc nemo tum potuit probare, nemo tum illud latinum exhibuit, tametsi is tum Parisiis esset qui postea scripsit, se illud habuisse ab anno 1651.

2. Mortuo Illmo. *Joanne Mendoza de Palafox* hujus Epistolæ latinum exemplum adjectum est ad calcem operis prohibiti, sæpius mendacis, & pro erroribus Jansenianis conscripti. Adjectum exemplum à nemine signatum est: in fine operis appellatur *Originale latinum*: in contextu *Copia* dicitur, quæ ab alia *Copia* sumpta sit: is, qui scribitur eam communicasse, Janseniani libri patronis omnem operam suam collocabat : affirmatur eamdem *Copiam* pluribus dedisse, ut eam aliquis typis excudi curaret, sed qui hanc curam in se susciperet neminem invênit, nec ipse ausus est eam Romæ imprimere. Is, qui secundam hanc copiam cum altero communicavit, eam ab alio acceperat, hic iterum ab alio, & utroque Anonymo, ultimus, à quo ipse eam nactus fuerit, non indicatur. Ad hæc recidit omnis fides hujus Epistolæ & Probatio; quæ ipsa quoque convicta est esse spuria, & eam

talem

talem esse, scriptum est vivo illo, qui primus latinum vulgaverat; hic tamen ausus non est verbum contrà reponere.

3. Pro defuncto Doctore *de St. Amour* suppetias tulit notus erroribus, & maledicentiâ Collector *Moralis Practicæ* tom. 3. scribit is Divinæ providentiæ acceptum referri debere, quod in ea instrumenta inciderit, quæ nullam dubitationem de Epistola illa relinquere possent, cùm tantopere demonstrarent eam esse genuinam: hæc adeò, ut volunt, opportuna, iterum anonyma sunt, ut quid cui credas, scire non possis; & quod caput est, ea ipsa autores suos falsi convincunt: eadem nempe illa scriptio, quam Illmo. Angelopolitano attribuunt, non modò de Epistola illa non meminit, quam illi divulgant, sed de una unica sermonem instituit, & quam necesse est diu ad illam antecessisse, quam ipsi quidem objiciunt: Epistola enim, de qua meminit vir Illmus. summum Pontificem movit, ut *Breve* concederet, quod emanavit 14. Maii 1648. Epistola autem, de qua Accusatores, anno propemodum integro posterior est, tam est apertum virum Illm. ad illam respicere non potuisse.

Alia in hanc rem quam asseruerunt momenta afferunt nulla: Quod enim aiunt Procuratorem Societatis in Hispania in libello supplice de ea Epistola apud Regem querelas deposuisse, nullâ idquidem eget responsione: nullibi enim ostendunt eo libello alicubi indicatum esse, Epistolam, quam aliquis è Societate affirmasset, datam fuisse ab Ill.

Illmo. Episcopo Angelopoli 8. Jan 1649.: quamquàm tametsi id omninò factum fuisset, neque id mirum haberi deberet, poterant enim in errorem adducti fuisse ex aliena affirmatione, quâ hæc scriptio Episcopo illi attribuebatur: ita *Theatri Jesuitici* non pauci autorem esse affirmarunt Illm. *Malacitanum*, sed tum, cùm necdum innotuerat de palmari calumniâ, quâ infamem hunc partum *Arnaldus* illi adscripserat: atque ita illi testes appellari non possunt Epistolæ, de quâ non meminerunt, quam numquam citarunt. * Adeo inutile est, Jesuitarum, ut volunt, in Hispania Confessionem post *Arnaldum* iterum evocasse in *Præloquio* pag. 23. *

4. Tametsi suismet momentis rueret hæc Epistola, eam tamen iteratò Gallicam dedit *Moralis Practicæ* tom. 4. adjecitque novum mendacium; quo ad calcem adjecit hæc verba. SIGNE' *l'Evêque d'Angelopolis.* His verbis quemquam illi Epistolæ subscripsisse, nemo non dicam evicit, sed nec leviter quidem ostendit.

Tam immani injuriâ Illmo. Episcopo sine ulla hæsitatione adscribitur tot titulis adulterina Epistola.

Accedit alia contumelia, neque priori minùs indigna: lectoribus suis illi persuasum esse vellent, quasi aliquam vir Illmus. querelam deposuisset, quâ Universam Societatem argueret: per imposturam hoc ei affingitur: nihil illo autore prodiit, quod omnes respiceret: quæ in Indiis natalis fuit, fines Diœcesis suæ non prætergrediebatur; rara erant in

in illa Diœcesi Societatis nostræ Domicilia: exiguus in Collegiis numerus personarum, minor præterea Sacerdotum: horum omnium nec sensus, nec idem fuit consilium: multos ipse laudavit: apertiùs quoque se explicavit in iis literis, quæ inscriptæ sunt Innocentio X. Angelopoli 25. Maii 1647. ibi sic loquitur: utor exemplo Gallico, & quale Adversarii subministrant. Mor. Pract. tom. 4. pag. 367.

Je reconnois très S. P. la vertu, la science, & la maniere de vivre honnète de la Compagnie de Jesus, & l'utilité de ses occupations. Je leur ai toujours porté un affection particuliere à cause de plusieurs de ses Religieux, qui eclattent en doctrine & en pieté; & bien loin de vouloir ternir leur reputation, & diminuer l'estime qu'ils meritent, je leur desire au contraire un augmentation de dons spirituels, de plus grandes benedictions du S. Siege, & de nouvelles graces de V. S. ....

Je propose à V. S. la maniere facheuse, & insolente dont il se gouvernent en ces Provinces, car je ne parle que de celles la.... les defauts des particulieres, tels qui sont les Jesuites de ces Provinces ne ternissent point la beauté de la Compagnie. ✱ Tum alibi. *Il est sans doute, Sire, que le Sacré Institut de la Compagnie du Nom de Jesu est Saint, exemplaire, devot, util & parfait. La Societé à toujours eu, & elle à encore aujourd'huy plusieurs Saints, exemplairs... Illustres Personages, doctes, & vertueux. S'il à escrit quelque chose à Sa Sainteté, c'est à quoi il ne pense plus.* ✱

His

His similia plurima occurrunt: hæc sensit constanter. Testes sunt Illmi. viri plures Epistolæ, quas integras dedit *P. Gabriel Henao* in Tomo *scientia media Historicè propugnata*, Editionis Salmanticæ A.o 1665 pag. 386. his probat, quanti faciat Societatem, quanti illius labores, personasque: non ergo sine inhumana protervia affirmari potest, Ill m *Palafoxium* aliquid exarasse, quo totum corpus Societatis, vel Universam Religionem nostram, aut condemnaret, aut carperet. ✱ Nihil his *Liberio* visum fuit reponere. ✱

Fingamus nunc quoque, quod non est: fac probatum esse toties memoratam Epistolam autore Episcopo Angelopolitano editam fuisse; fac aliquâ saltem scriptione ab eo integram Societatem esse accusatam: demus eum non monuisse, nolle se sua adversùs nos sensa magis debere attendi, quàm rationum pondus, quibus hæc nitebantur, mereri posse cognosceretur.

Addo nunc Sanctissimæ memoriæ Illmi. Viri gravissimè injurium esse, quisquis aliquam mentionem injicit de litibus ejus præteritis, de oppositionibus cognitis, de publicis gestis earum occasione: perpendit hæc omnia senior in Hispania redux, & otio fruens commodiori: quid de his omnibus sentiret ipse explicuit, & pluribus retulit Abbas *Pellicotius* in eo libro, quo illius vitam est prosecutus, ibi posteaquàm retulit de Controversiis in Indiis agitatis, & quibus vir Illmus. implicitus fuerat junior, subjungit in hæc verba.

Dans tous ces differents il se passa beaucoup des choses de part, & d'autre, qu'il n'est pas necessaire de rapporter ici. C'est que l'on en peut juger, est que Monseigneur d'Osme pouvoit user d'un zele plus moderé & moins excessif aiant temoigné trop d'ardeur dans la poursuite de ce procez. Aussi le reconnut-il après son retour en Espagne, ou étant touché d'un veritable repentir de tout ce qui s'étoit passé, il fit une retractation de tout ce qu'il avoit dit, fait & escrit contre ses parties, & particulierement contre un Ordre de plus celebres de l'Eglise de Dieu. Voici comme il parle aux remarques sur la lettre 65. de St. Therese que j'ai ajoutée aux autres Epîtres, nombre 55. ou traittant de la raison qui est gouvernée par l'amour propre, il dit.

„Nous sommes le plus souvant si attachez „aux fausses raisons, que l'amour propre nous „offre pour defendre une mauvaise cause, „qu'il est bien difficile de les arracher de l'i„magination, & de se reduire à la verité. *Il dit ensuite que cela lui est arrivé plusieurs fois, & specifie en même tems le different qu'il eu dans les Indes avec les Religieux. Voici ses mêmes paroles.*

„Ce malheur nous arrive à tout moment, „du moins je l'experimente tous les jours en „moi même, & je le reconnus principale„ment dans une rencontre, & il n'importe „pas que je confesse ma faute en public, „puisque j'ai peché devant les jeux de tout „le monde. Il m'arriva donc dans un sujet „de cette nature que je trouvois quelques „raisons pour m'opposer à mes parties, (vel „ut alii, *à un' affaire*) qui me sembloient ap-

„pare-

„parement bonnes & ſaintes, mais dans la „ſubſtance elles n'eſtoient que l'effet d'un „eſprit vain & preſomptueux; car je connus „dans la ſuite étant éclairé de la lumiere de „Dieu que ce que je croiois être de Dieu, „étoit entierement contraire & oppoſé au „ſervice de Dieu, & cette fauſſe croiance „venoit de mon amour propre, de ma paſ- „ſion, de mon orgueil, de ma vanité, & de „ma preſumption.

Voila une confeſſion publique que Monſeigneur d'Oſme fait de ſa faute, & on ne doit pas par la former un jugement deſavantageux contre ſa memoire : puiſque nous voions que Dieu à permis que la pluſpart des Saints aient peché, pour les elever dans un plus haut degré de ſainteté. Si notre Evêque à manqué de s'en être pris a une Religion ſi celebre, & ſi illuſtre, il à d'autant plus merité d'avoir reconnu ſa faute, d'avoir d'eſavoué ſon procedé, & d'avoir fait une confeſſion publique, une retractation generale de tout qu'il avoit fait, dit, eſcrit contre un ſi ſaint Ordre.

Hæc *Pellicotius*; neque Hiſpanus fuit, qui his contradiceret. Solum *Arnaldum*, aut huic ſuccenturiatum peſsimè habuit, uſsitque, quod hac viâ quoque aditum ſibi præcludi videret, ne accuſatoribus Societatis pergerent annumerare Epiſcopum Angelopolitanum *Joannem Palafox de Mendoza*. Non occurrit tamen diu meditantibus, quod aptè reponerent : alius, ab *Annato* hanc partem operi *Pellicotii* inſertam fuiſſe garrit; qui hominis deſperantis poſtremus conatus eſt, petulans

petulans, & in utrumque autorem contumeliosus: quod additur, quasi de hac re idem opus pugnantia narraret, solâ illius libri lectione abundè diluitur. Alius monet Illustrissimi viri confessionem non ad Americana litigia referendam esse, sed ad propriam luctam, quâ in Hispania redux obstiterit, ne ab *Angelopolitana* Sede transiret ad *Oxomensem*: huic, credo, turbata memoria fuit cùm hoc scriberet, exciditque affirmare *Pellicotium*, notari ab ipso Episcopo controversiam, quæ ei intercesserat cum Regularibus in Provinciis Indiarum: tum propriis verbis ab Illmo. esse indicatum, de iis se agere, quæ publicè, quæ coram universo Orbe (ut loquebatur) peccaverat: nihil ibi de privata lucta in negotio privato, nihil de transitione ad novam Sedem, de his meminit nemo, qui candidè scriberet, aut qui fallere non tentaret.

✱ De hoc Argumento, atque ex indicato libro *Pellicotii* desumpto, aliqua recurrunt apud *Arnaldum* pluribus deducta Tom. 3. Mor. Pract. à pag. 543., auctaque Tom. 4. à pag. 326. Igitur *Liberius* hoc loco disertus est, & quæ inde deprompsit, fundit liberaliter, nisi quod iterum frequentiori Parenthesi, & intercisâ traductione deprompta regerat inconcinnè. Referam singula, & respondebo.

1o. Repetit, dubius tamen, *Pellicotium* hæc ab *Annato* accepisse, non ausum importunæ hujus sollicitationi obsistere. In hac causa *Liberius* Magistro suo est meticulosior

sior. *Arnaldus* enim pro solito supercilio scribit rotundè tom. 3. pag. 545. *On à sçu dès ce tems-la que cette pretenduë observation n'etoit point venuë dans l'esprit de Mr. l'Abbé Pellicot, mais que ce fut le P. Annat qui s'en avisa, & qui aiant pressé de la mettre dans cet eloge abregé de Mr. de Palafox il eut la foiblesse de ne l'oser contredire.*

Noli me Lector rogare, quibus testibus, tabulis, aut momentis singularia omnia hæc *facta* stabiliant, quia quo hæc probent, verbum non occurrit ullum, nec testem nominant aliquem, effutiunt illa, hæc summa est. Ex hac causa, illud effugium, hominis desperantis, postremum conatum esse dixi, petulantem, & in utrumque autorem, contumeliosum; idem nunc repeto, eritque hoc omnibus semper certissimum, nisi aptè tandem conficiant, quod affirmant.

Penè exciderat, *Liberium* dicti sui rationem reddere, cur nempe *Pellicotius* passus fuerit libro suo inseri quæ ab *Annato* accepisset, *Nec enim*, ait ipse, * *Jesuitis insolitum est similia à sibi devotis extorquere.* Miseret enimverò me hominis, qui levissimi sui pronuntiati aliud momentum non affert, præter injuriam.

2°. Repetit ex *Arnaldo* non probari pœnituisse Ill[m]. Angelopolitanum de litibus in Provinciis Indiarum, sed solummodò aut fassum se esse de Pœnitudine, quod Regiam propositionem aliquamdiu non acceptaverit, quâ ab Episcopatu *Angelopolitano* transferebatur ad Episcopatum *Oxomensem* in Hispania: ut de eo persua[illegible]at, & hac viâ impetat

* Pag. XXXIII.

petat *Pellicotium*, hæc affert quæ subjungo; singula ex Defensionibus libri, jure, & publicâ sententiâ infamis.

1°. Inquit Illms. Angelopolitanus in Notationibus ad Epistolas S. Theresiæ non indicat se pœnitere, nisi de eo, quod se opposuerit *certo negotio.* Hoc negotium, ait, est translatio à Sede *Angelopolitana* in America, ad Ecclesiam *Oxomensem* in Hispania. In hanc rem adducitur locus ex vita Illmi. Episcopi ipso autore conscripta, atque ex illius Capite 35. ubi de hac sedium mutatione sermonem instituit, culpatque interjectam à se hujus transitûs recusationem.

Inde 2°. hic locus ex vita excerptus, confertur cum testimonio desumpto ex Notationibus in Epistolas S. Theresiæ, & parallelum instituitur inter utrumque, utriusque verbis invicem collatis: tum demum concludit, pœnitudinem, de qua in Notationibus ad Epistolas, non aliam materiam posse spectare, præter recusationem transitûs ab Ecclesia, ad Ecclesiam.

His ex *Arnaldo* revocatis, pro Abbate *Pellicotio* pauca repono; pro quo, sic habeto. Anno septimo ab obitu Illmi Angelopolitani autor ille defuncti vitam edidit: fuit is annus præteriti sæculi 1666. quando recens etiamnum memoria erat in Hispania eorum omnium, quæ ad Illm virum poterant attinere, & illi vivebant qui actionum illius testes poterant assurgere. His ita se habentibus, *Pellicotius* clarissimis verbis, rem scripsit seipsâ perquàm singularem, eamque, nisi vera esset

esset, quam nemo vulgari passus fuisset impunè, cui aliqua cum Illmo aliquando consuetudo intercessisset. Scribebat enim in hæc verba, *Etant touché, en Espagne, d'un veritable repentir de tout ce qui s'etoit passé, il fit une retractation de tout ce qu'il avoit dit, fait, & escrit, contre ses parties, & particulierement contre un Ordre de plus celebres de l'Eglise de Dieu.*

Et iterum : *Il à d'autant plus merité d'avoir reconnu sa faute d'avoir d'esavoué son procedé, & d'avoir fait une confession publique, & une retractation generale de tout ce qu'il avoit fait, dit, escrit contre un si saint Ordre.*

Hæc totâ Hispaniâ legi potuerunt : singula, facta sunt admodum singularia, sive in seipsis illa consideres, sive relata ad Ill^m Episcopum; singula dilucidè sunt indicata, nullis ambagibus, circuitione nullâ. Viginti & amplius annis liber ille publicè veniit, distractus per omnem Europam. Quis Hispanus *Pellicotio* periodos illas succensuit? Nemo. Quis alius illi hìc contradixit? nullus. Quis Ill^mi Nepotum, aut consanguineorum hac super re querelas deposuit, quis horum aliquid ivit inficias? non fuit, qui his aliquâ ratione occurreret; non fuit, qui horum aliquid aut negaret, aut in dubium revocaret.

Ecce autem dum hæc leguntur, & nemo improbat, *Arnaldus* pulsus Sorbonâ, Damnatus Romæ, culpæ suæ oblitus, in Jesuitas insurrexit, & anno 1689. se vindicem constituit publicis sententiis operis famosi calum-

niis

nius refertissimi Moralis practicæ Tom. 1 & 2di. scripsitque ipse Tomum 3m, quem in fronte apertis verbis nullam reveritus Potestatem *Vindicias* seu *Justificationem* nuncupat utriusque tomi prioris, autoritate Ecclesiasticâ, & sæculari, damnati, & gravissimè puniti. Ubi in tomo illo tertio accessit ad indicata ex *Pellicotio*, primùm ea ab *Annato* inserta esse dixit: altiùs siquidem præ reliquis *Annatus* inhæserat, ut qui his controversiis detentus fuisset, & quod caput erat, Regi à Confessionibus, quo loco *Annatum* minimè tulit, sui conscius probè. Non semel *Arnaldus* hoc telum arripuit; ipsa quoque Regiorum Ministrorum Testimonia si quid afferrent pro veritate, & Societatis innocentiam propugnarent, in promptu habebat Jesuitis illa attribuere, affirmare quoque ipsa Jesuitis autoribus emanasse: obvium exemplum est Tom. 3. pag. 600. ibi cum nihil satis in promptu haberet quod reponeret ad clarissimum testimonium veritatis, *vous alleguez*, inquit, *la retractation de Dom* Gabriel de Cucillar *qui en dit trop pour ne pas faire juger que c'est vous, qui l'avez dressée.* Felices causas, quæ Patronos nactæ sunt tam sagaces!

Tum clipeum mutat, & quocumque autore conscripta sint, falsa esse ait; ait nihil horum occurrere in scriptis Illmi Angelopolitani, hæc scripta ad aliena extendi, & detorqueri: In Notationibus Illmi viri solummodò indicari pænitudinem de oppositione in *Certo Negotio*, hoc *certum negotium*, non esse aliud ab illo, de quo meminit ipse in propria

propria vita, recusationem scilicet transitûs ad Episcopatum Oxomensem; atque adeo hoc *certum negotium* ad Indias non spectare; neque ad ea quæ Angelopoli acta fuissent.

Ad hæc item repono pro *Pellicotio*. Enimverò non ita scriptor ille desipuit, ut vocabula *certum negotium* se ipsis generalia, se solis, significare voluerit negotium *Angelopolitanum*. ad omnia attendit, ex omnibus deduxit quæ affirmavit, & affirmavit contradicente nemine. Legit in Propriis scriptis Illmi Episcopi eum fateri "Amorem proprium suggerere no-"bis rationes falsas in *Defensionem* causæ ma-"læ, iisque plerumque nos multum adhære-"re. Præcipuè id se expertum esse in casu, "in quo peccavit in conspectu totius mundi, "ac propterea nihil interesse si de peccato "illo se publicè accuset. Accidisse siquidem "illi, in materia hujus naturæ, ut rationes "aliquas inveniret *Opponendi* se alicui negotio: sive ut ait in terminis, *Parà repug-"nar una cosa*. Interpres Belgicus *P. Serva-"tius à Sancto Petro* Carmelita Discalceatus, pag. 453. hæc Illmi verba ex Notis ad Epistolam 65. S. Theresiæ, sic vertit; *Om myne saeken voor te staen.*

Hæc legit, inquam, *Pellicotius*, ex his omnibus, ex horum complexo planum est, ea referri non posse ad negotium Transitûs ad Ecclesiam Oxomensem. Quæ enim, amabo, in hoc negotio est instituta *Causa*, quis hìc judex sedit, quis surrexit accusator, quæ est Instituta defensio? pro quo cliente, aut quo Patrono? Rex Catholicus Illmo *Palafox* in Hispaniam

Hispaniam revocato obtulit Nominationem ad Episcopatum *Oxomensem*, & transitum ad eam novam Ecclesiam; Illms suæ Majestati gratias egit; recusaverat ante Nominationem ad Sedem Archi-Episcopalem in Indiis. Estne hic aliqua species causæ? estne *Defensio*? Ubi est *Oppositio*? an Episcopus dici debet se Regi *Opponere* si sponsâ suâ contentus, aliam gratiam recuset, renuatque transire ad secundam Ecclesiam? an hoc Reges dicendi sunt jure agere, & institutâ causâ, ut quis meritò nominetur se iis *Opponens*?

Jam verò, quod est in Hoc Negotio *Oxomensi* peccatum? non admittebat Vir Illms. transitum ab Ecclesia ad Ecclesiam: consilium probabant viri doctrinâ & pietate spectabiles, stabant Canones pro eodem consilio; accedebat quod Illms. singulari voto obstrinxerat se, non deserendi Ecclesiam Angelopolitanam: unde ergo peccatum? Si Archiepiscopatum aliàs oblatum in America recusare potuit salvâ conscientiâ, an eâdem salvâ recusare non potuit alium Episcopatum in Hispania? *Arnaldus* hic iterum constrictus hæsit, & ut peccatum inveniret, dixit non esse, ac pro Illmo. se peccati accusante reposuit illud S. Gregorii, *Piarum mentium est, timere peccatum, ubi peccatum non est.*

Præterea, quod est in hoc Negotio *Oxomensi* peccatum *publicum*, & in conspectu totius mundi commissum? fallit enim *Liberius* qui hìc scribit pag. XXXVI. in hæc verba, Illms. Angelopolitanus "In vita sua publico „data

"data, *publicè* se *peccasse* confitetur per duos "annos in oculis omnium se opponendo tran"sitioni suæ ad Episcopatum Oxomensem. Hoc falsum est; nullibi vita illa fatetur, in hoc negotio, peccatum publicum intercessisse, multo minùs pientissimum virum in peccato publico per biennium insorduisse. Ad tam gravem injuriam *Arnaldi* audacia non ascendit, is satis habuit, ut se nodo huic eriperet, vagâ dictione subjungere. *Cela ne peut avoir rapport, qu'a l'opposition qu'il eut pendant deux ans à accepter l'Evechè d'Osme.** Tom. 3. p. 554. sed hoc revocari non potuit, neque enim illi negotio conveniunt ea omnia quæ in Notationibus ad Epistolas S. Theresiæ explicata esse meminimus.

Aliud igitur fuit Negotium indicandum, & in quo singula sese aperirent, quæ erant in iis Notis clarissimè indicata, illis imprimis, quibus in Hispania necdum exciderant Illmi. Viri sensa, pro vectioris ætatis placita, sæpius explicata. Tale Negotium indicavit *Pellicotius*, nec habuit redarguentem præter *Arnaldum* sociosque, qui, ut scriptori illi se opponerent, Illmo. ipsi Angelopolitano contradixerunt: sed de *Pellicotio* satis.

Fallor tamen, geminus *Liberio* in hac re scrupulus superest: unus est; scriptum esse ab Illmo. Viro in vita sua cap. 23. "*maximis* "*cum fatigationibus* se defendisse Episcopa"lia jura, quod eas tolevaverit cum lætitia, "seque fatigationum suarum remuneratio"nem accepisse, felicem successum, victo-"riam

* Tom. 3. pag. 554.

"riam reportatam." Hæc poterat *Tubicen* noſter omſiſſe, aut iterum ex autore ſuo non repetere: nemo enim his contradicit, nemo diſputat. Quæcumque in Cauſa Angelopolitana, aut alia quacumque, Sedes Apoſtolica definivit, Catholicis omnibus certa ſunt, iis ſtamus. Alter ſcrupulus eſt, *Pellicotium* à veritate aberraſſe cùm ſcripſit, *C'eſt que l'on en peut juger, eſt que Monſeigneur d'Oſme pouvoit uſer d'un zele plus moderé, & moins exceſſif aiant temoigné trop d'ardeur dans la pourſuite de ce procez.*

Oro ut is, cui de hoc dubium eſt, & in hac cauſa non eſt etiamnum peregrinus, ſecum perpendat quæ crimina in agitatione hujus litis variis fuerint impoſita, quas cenſuras judicatum fuerit incurriſſe, quot item incidiſſe in Excommunicationem; tum legat nobis, ſi vacat, quæ ex his fuerint probata, quæ Cenſuræ juſtificatæ, qui fuerint ab Excommunicatione abſolvendi; ſi enim nihil horum ſatis oſtendi poteſt, ut certè oſtenſum eſt numquam, an non in hac cauſa meritò deſiderari potuit zelus moderatus magis, minuſque fervidus? Sciat is quoque à Sacra Congregatione in Decreto dato Romæ 16. Apr. 1648. ſtatutum fuiſſe in hæc verba. "Cæterum S. Congregatio feriò in Domino "hortatur, ac monet Epiſcopum, ut Chri"ſtianæ manſuetudinis memor erga Societa"tem JESU, quæ laudabili ſuo Inſtituto in "Eccleſia Dei tam fructuosè laboravit, ac "ſinè intermiſſione laborat paterno ſe gerat "affectu, eamque in Remigine Eccleſiæ ſuæ

„per-

"perutilem adjutricem agnoſcens benignè "foveat, ac priſtinæ ſuæ benevolentiæ reſti- "tuat; quemadmodum S. Congregatio ip- "ſum facturum certò confidit, cùm ejus ze- "lum, pietatem, ac paſtoralem ſollicitudi- "nem compertam habeat.

Sciat iterum quinto pòſt anno 16. Kal. Jan. 1653. ab Eminentiſſimo Cardinali *Spada* de Mandato S. D. N. ad Ill^m. Angelopolitanum datis Literis hæc eſſe ſignificata. "Cæterum eadem Congregatio... pariter te "etiam, atque etiam hortatur, ut quâ decet, "in tam laudabilem, proficuumque Ordinem "exiſtimatione Religioſam hanc familiam in "vinea Domini ſummo cum fructu deſudan- "tem, paternâ charitate amplectaris ac fo- "veas. Non repetam poſt hæc, quæ Illmo viro, ad hanc cauſam facientia de mandato Regio ſunt indicata anno 1656. Copiam mandati hujus in Hiſpania deſumptam apud me ſervo; priora excerpſi ex Impreſſione Romana *Proceſſus Cauſæ Angelopolitanæ*, ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ die 5. Nov. 1653. Superiorum permiſſu. ✱

Poſt hæc, quæ in indicatis ſcriptionibus huc alia facere poſſent non repeto: in fontibus ſuis illa legat, qui volet.

Demonſtravi, quod dixi, multiplici injuriâ contra Societatem adferri ab accuſatoribus numquàm probatam Epiſtolam datam *Angelopoli* 8. Jan. 1649. & adſcriptam Rev^mo Epiſcopo *Joanni Palafox de Mendoza*: quâ quidem injuriâ ſanctiſſimam viri memoriam liberare, eò me decuit magis, quo par eſt neminem

neminem Societatis collatorum in Ordinem noſtrum beneficiorum obliviſci, aut ingratitudinis accuſari. Intelligent Illuſtriſſimi Viri Nepotes, quorum quotidiana eſt erga nos benevolentia, & diuturna, *Hiſpali* imprimis, cujus nobiliſſimæ Urbis Archiepiſcopus fuit *Jacobus Palafoxius*, intelligent, inquam, has vindicias ipſorum cauſâ libenter quoque ſuſceptas fuiſſe. Neque erit iis ingratum cognoviſſe, quibus obſtetricantibus, hæc accuſatio in publicum fuerit educta.

Atque ita omnis de hac cauſa Diſceptatio, quam alius ex alio protruſum prolixiorem reddidit, ad hæc pauca eſt revocanda, quæ opto ut omnes tandem intelligant.

Primò ſiquidem eſt ipſa *Attributio* hujus Epiſtolæ, à quibus, quando, quam ob cauſam, quo pondere, & quibus momentis ſit facta. Hoc totum jam in aperto eſt: qui eam Epiſtolam Illmo Epiſcopo attribuerunt Hæreſis Janſenianæ, publicis ſententiis renuntiati ſunt fautores, & Defenſores, *Moralis Practica* Imprimis, & *Diarium Santamorêi*: tum verò, atque eo tempore attributam illam Epiſtolam divulgarunt, cùm pro ea Hæreſi pertinaciùs pugnarent, idque ut nos diverterent, atque aliò, ſi poſſent, avocarent. Dedi argumenta ſingula, quibus *Attributio* illa innititur; hæc oſtendi ſpuria eſſe, & nulla, & inter leviſſimas conjecturas, nonnumquam ſe invicem impetentes releganda. His demonſtratis, confeci, immeritò, atque injuriâ ab iis ſcriptoribus, eorumque Sodalibus, multiplici titulo improbandum Scriptum viro Illuſtriſſimo

luſtriſſimo attributum fuiſſe, quia quod liberè in re gravi affirmabant, numquàm evicerunt, numquàm probarunt. Atque id equidem libenter confeci, Reverendiſsimi Angelopolitani, & Illuſtriſsimæ ipſius Familiæ cauſâ, ut Nomini, ut honori ejus pro eo ac poſſem conſulerem: ut eos imprimis imitarer, qui Romæ Anno 1691. in Cauſa Beatificationis *Joannis de Palafox* Poſtulatorum partes agebant. Hi etenim nihil *Arnaldicis* Narrationibus, nihil dictis, à *Santamoreo* tribuerunt, numquam eorum rationibus induci ſe permiſerunt, ut eis conſentirent. Hoc primum eſto, hoc totum hac diſſertatione agi volui, hoc egi.

Alterum eſt, *Pœnitudo* Ill[mi]. Viri, & ſeneſcentis, atque de Controverſiis ſuis, quibus plurimis implicitus fuerat, maturum & ſubactum Judicium Pro his pugnavit Abbas *Pellicotius*, idque ipſius item Ill[mi] causâ, meritiſsimò quidem, & nemine Bonorum omnium ſuccenſente. Non tulit hoc *Arnaldus*, qui numquàm publicè didicit pœnitere, accuſatus licet, & à judicibus ſuis damnatus.

Ego contrà Pro *Pellicotio* oſtendi immeritò eum redargui ab *Arnaldinis*. Dedi eâ occaſione Epiſcopi Ill[mi]. propria verba, ſenſus, judicium & de Religioſis Societatis multiplex teſtimonium. Unum inſtar omnium Epiphonematis loco querulis omnibus ipſius ſcriptionibus appenſum eſſe intelligant, quod à *Palafoxio* reſponſum eſſe, ipſi *Arnaldini* retulerunt, atque his verbis eſt exaratum.

S'IL

S'IL A ESCRIT QUELQUE CHOSE A SA SAINTETE' C'EST A QUOY IL NE PENSE PLUS.

Atque hæc quidem altera injuria eſt, quâ Reverendiſsimum Virum veluti Univerſæ Societatis Accuſatorem è tumulo revocant, jubentque enuntiare, quorum dum viveret, omnem cogitationem ipſe depoſuerat. Hæc duo ſunt, quæ hoc Caput abſolvunt, ad quæ omnia reſpiciunt, quibus ab obtrectatoribus adducta momenta dilui, quæ aut *Palafoxio* Epiſtolam attribuerent, aut carperent *Pellicotium*; utrumque alterius causâ ſuſceptum eſt.

Tertium in hac re, & poſtremum eſt *Epiſtola ipſa* quemcumque tandem habuerit autorem; *Epiſtola*, inquam, *Accuſatoria*, ſive ipſa hæc Accuſatio Societatis, à quocumque emanaverit. De hac ſatis habui breviſſimè dicere, eam Accuſationem *ſuiſmet ruere momentis*. Id enim veriſſimum eſt, & bene poſtulanti cognoſcere, fieri poterit ſatis; oſtenſum eſt enim, ubi debuit oſtendi. Ita quidem in hac re perfeci, quod mihi ſumpſeram, adverſariis occurri, allata ab ipſis momenta diſſipavi: quod agi à me non debebat, non egi. Accuſationem ſe ipſa ruentem, ruinis ſuis implicitam facilè præterivi. Fallitur proinde quiſquis fortè exiſtimaret Noſtri causâ negandum eſſe hujus Accuſationis Copiam Madriti eſſe aſſervatam, Originale verò in Archivis Romanis; non enim eſt ita, id noſtri cauſâ omnino negandum non eſt: alterius

alterius causâ, id est illius cui Accusatio attribuitur, is debet negare, qui affirmatam asservationem minimè videt probari, atque unà omnem sollicitudinem non deposuit de indicati accusatoris Famâ ac Nomine. Quod ad nos attinet, ubicumque terrarum est asservata illa Accusatio, ibi jacet suo pondere, hoc certè nos non premit, & ab Inquisitione Hispaniæ pridem sublatum est. Impugnat, fateor, multipliciter Institutum nostrum hæc Accusatio, sed ho[illegible] est accusationis grave peccatum in Concilium Tridentinum, in Constitutiones Apostolicas. Ad singularia omnia, quæ Accusatio illa prosequitur, unum hìc satis fuerit reponere, quod antè alia ex causâ repositum esse scripsi." On " à oublié d'y joindre une chose, c'est de " mettre à la fin de l'ouvrage les preuves, & " les pieces justificatives. *

Patroni *Antonii Arnaldi*, qui multâ sollicitudine operam suam posuerunt, quâ Madriti inquirerent in Manuscripta Hispanica, quæ inaniter illi divulgant, si sinceris Manuscriptis delectentur, adeant velim Madriti Divi Laurentii *Escoriacam* Bibliothecam, quæ est penes Hieronymiani Instituti laudatissimos Patres; exstant ibi ipsa Originalia, & Autographa Sanctæ *Theresiæ à Jesu* idiomate Hispano: hæc cap. 38. fol. 81. sic habent:

De los de la Orden de este Padre que es la Compania de Jesus de toda la Orden junta he visto grandes cosas, vi	De iis qui sunt ex Ordine hujus Patris (is erat Rector Col. S.J.) quæ est Societas Jesu, de toto Ordine

os en el cielo con vanderas blancas en las manos algunas veçes, y como digo otras cosas e visto dellos de mucha admiracion, y assi tengo esta Orden en gran veneracion, porque los he tradado mucho, y veo conforma su vida con lo que el Señor m[illegible] dado dellos a entender.

simul vidi res magnas; vidi eos in Cœlo cum vexillis candidis in manibus aliquoties, & ut dico, alia multæ admirationis de eis contuita sum; & ita habeo hunc Ordinem in magna veneratione, quia cum eis multùm conversata sum, & eorum vitam cerno conformem esse his, quæ Dominus mihi significavit de eis.

Authographa hæc à se visa, & lecta esse 12. Aug. 1640. scribit *Paulus Leonardi* in libro, cui titulus *Responsiones ad Expostulationes* &c. Edit. Lugdunensis pag. 213. ostenditque vulgata Opera celeberrimæ Virginis genuina non esse, neque sincera, quæ hoc loco nomen *Societatis Jesu* non exprimunt, cùm ipsum hoc Nomen distinctè propriâ manu Stæ *Theresiæ* ibi apertissimè sit exaratum.

Qui viciniora desiderant, habent Illmo. *Palafoxio* synchronum S. *Franciscum Salesium* Episcopum Gebenensem, hic, cùm scriberet ad Regiam suam Celsitudinem Ducem Sabaudiæ, mediaque proponeret, quæ veram Fidem in iis Regionibus stabilirent, *Qui adjouteroit*, inquit lib. 1. Epist. 49. pag. 721. Tom. 1. Edit. Parisiensis anno 1663. *à tout cecy un College des Jesuites en cette Ville feroit ressentir à tout le voisinage qui quant à la Re-*

Religion est quasi tout confondu, ce grand bien.
Tum aliâ item Epistolâ datâ 6. Nov. 1617. quæ est Tomo 2. ejusdem Edit. pag. 402. commendans Rev. PP. *Barnabitas*, quos Galliæ utiles fore judicabat, allatisque judicii sui momentis extremùm subjungit; *voilà ce que je vous puis dire, & ce que me feroit desirer leur introduction, où les Jesuites ne sont pas.*

Tale est idioma Sanctorum; tale est Illmi. *Palafoxii* in literis suis, quas ipse conscripsit, & modo destinavit ad Præpositum Provincialem Provinciæ Castellanæ, modo ad *P. Thyrsum Gonzalez* pòstea Religionis nostræ Præpositum Generalem, atque ad alios, quorum nomina, unà cum literis retulit *P. Henao* eo loco, quem supra indicavi, & quales ubi res tulit, exhibitæ sunt Congregationi Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium.

§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§

CAPUT DECIMUM TERTIUM

Expenduntur Maledica Tubæ Clangores *Singuli*, *& eorum inanis strepitus dissipatur.*

ABsolvi, quod primò faciendum receperam: separavi instrumenta omnia, quæ *Tuba Magna* novo crimine, ac scandalo iteratis typis integra publicavit. Indicavi instrumentorum illorum originem, pondus, aliaque adjuncta. Ostendi ad unum *Gasparem Scioppium* pleraque esse referenda. Re-

Reliquum eſt, quod ſecundò propoſueram, demonſtrare nempe, ex mendacibus ineptiſque his monumentis maledicam *Tubam* Religioni Societatis malignam ubique, atque atrociſſimam impingere calumniam. Hoc ordior; ſingulos *Clangores* ſubjicio, eoſque expendo: addo ex quo fonte promanaverint, quæ ſpargant delira, falſaque. Affirmat igitur *Clangor* Primus.

Reformandæ Societatis neceſſitatem maximam perſonant, dum vitia maxima detegunt viri doctrinâ, & vitæ Sanctimoniâ celebres.

Tantorum virorum agmen ducit *Melchior Canus*: hic, inquiunt, teſte *Orlandino* Jeſuitis vitia quàm plurima affingit: ſic eſt, fatetur de hac Accuſatione *Orlandinus*, & temerariam probat: parietem illum non fodio: in *Canum* pro meritis animadverterunt proprii Sodales, Superiores, Pontifex quoque. *Canum* ipſi adverſarii noſtri condemnant; hi ſiquidem naſcentem Societatem multis extollunt, ille nec *S. Ignatio*, nec primis ſociis pepercit, quos Antichriſti Præcurſoribus, neſcio quâ amentiâ annumeravit, ſui oblitus: nihil ipſe de Reformanda, ſed de non agnoſcenda Societatis Religione contra Pontificum Conſtitutiones eſt debacchatus; contra monitionem Revermi. ſui Geneneralis *Franciſci Romæi*, quam his verbis expreſſit: *Pateat vobis qualiter hoc calamitoſo tempore, quo Religio Chriſtiana Hæreticorum telis impetitur, malorumque Chriſtianorum perverſis moribus labefactatur, novus Ordo Presbyterorum Regularium ſub titulo Nominis Jeſu, de*

Urbe

Urbe quasi præsidiaria manus Dei benignitate submissus est, quam ob ingentes fructus, quos in Ecclesia facit, Sanctissimus D. N. Papa Paulus III. Approbavit, & confirmavit.&c. (*a*)

Sibi uni nocuit *Canus* inconsideratis declamationibus, vir cæterà doctus, & eruditus; posteritati superstes documentum, præproperas irarum opiniones in luctuosa præcipitia abducere, si quando Superiorum fræno se duci non patiuntur.

Melchiori Cano secundus adjungitur *Arias Montanus* natione Hispanus; vir bonarum artium, & linguarum peritiâ clarus: qui recusato non semel Episcopatu, *Hispali* obiit in æde Equitum S. Jacobi anno 1598. Ætat. 71. jussu Regio, Bibliorum, quæ nunc *Regia Plantini* appellamus, editionem Antverpiæ curavit; eâ occasione venit in Belgium, quo tempore illi præerat *Dux Albanus*: non defuerunt hujus operis Censores: semel ac iterum *Arias* Romam est evocatus; res non semper ei successit ex sententia: hinc indignatio in Societatem, præceps, & temeraria: nemo quippe ex ea Religione se Editioni illi opponebat; ac quod amplius est, *Joannes Harlemius* Lovanii in Collegio nostro sacras literas explanans, teste *Montano*, *in omni linguarum genere exercitatissimus*, qui solus propemodùm eâ tempestate in hoc opus inquirere potuisset, se totum *Montani* obsequio impendit. Acrem hic quidem, ac permolestum Censorem expertus est *Leonem Castrum* Canonicum *Pincianum*, cujus vastum habe-

[a] Hist. Soc. P. 1. l. 8. n. 5.

habemus in *Isaiam* Commentarium; sed quid huic viro cum *Societate* commune intercessit? Non diffiteor, usu jam pridem nos edoceri, operæ liberaliter aliis exhibitæ pretium sæpe nos tandem referre multam ingratitudinem; eos verò qui se læsos existimant, quam de aliis minùs possunt, de nobis sumere ultionem, & affectu plerumque minorem.

Ex *Montano* tamen quid afferant, audiamus. *De Jesuitis*, inquiunt, *sic loquitur*: (a) In Commentatione Regiis Bibliis anno 1583. Antverpiæ editis inserta, *cùm soli sapere, soli bene vivere, Jesumque propiùs insequi, & comitari videantur, atque id palam professi jactitant, me odio habuerunt gratis*: quantopere est his scriptoribus inconsiderata mordendi libido! quos tandem suscitant dentes, quàm obtusos advocant in auxilium! non est hoc viri pronuntiatum, sed muliebris ejulatio, quâ si nos voluit ferire, contemptu telum illud validissimè repellimus: quomodò soli sapere nobis videmur, qui ipsum *Ariam Montanum* sapere prædicamus? prædicavit id quidem *Possevinus* in Apparatu Sacro: illius quoque *Imago* primi sæculi meminit nec sine laude. pag. 410. Quis porrò aptè deposuit, nos ea *palam professos jactitare*? aërem verberant hæ contumeliæ.

Præter malè querulam illam laciniam, celebratur *Montano* adscripta triobolaris Epistola, quam destinasse fertur ad Regem Catholicum *Philippum II.* anno 1571. Hæc Epistola vix unam paginam occupat, sæpius divulgata

[a] Tuba pag. 2.

gata eſt, & omni idiomate, nullâ re magis notabilis, quàm fœmineo ululatu: præter generalia, Regem monet, ne quam fieri patiatur acceſſionem ad rem noſtram familiarem: tum, inquit, *in ſpecie, ut Gubernator Belgii nemine noſtrorum tamquàm Prædicatore, vel Confeſſore uti audeat*: tanti ponderis fuit hæc Epiſtola, ut omnia impetraret, quæ merebatur, id eſt nihil. Importunum monitorem ſe acceſſiſſe ſibi teſtis fuit *Montanus*, duodecim poſt annos in Belgio ſuperſtes.

Ad hæc accedunt.

Commentitium opus *Joannis Mariana.*

Fabula de Colloquio *Floravantii* cum Urbano VIII.

S. Franc. de Borgia falſa & mutila Epiſtola.

Claudii Aquaviva liber adulterinus.

Stæ. Hildegardis excogitata Prophetia.

Hieronymo de la Nuza malè adſcripti Commentarii.

Ludovico Sotelo attributa Epiſtola.

Epiſtola Angelopolitana pro arbitrio nunc hoc, nunc alio idiomate fabricata, ſemper ſinè legitimâ probatione divulgata.

Hæc omnia ſuis locis excuſſa, ſola ſunt teſtimonia, quæ maximorum vitiorum nos arguant; hi *teſtes* eſſe affirmantur *omni exceptione majores*, (a) Qui omni jure ſunt inteſtabiles.

Gratias Superis immortales, ſi qui ſcrutatur Hieruſalem in lucerna, non aliam eſſe intellexerit nos reformandi neceſſitatem: enimverò de nobis non adeò ſentimus benigne

(a) Pag. 26.

ne: quotidianis exercitiis, atque ex Instituto præscriptis, in suam quisque satagit reformationem incumbere, donec, quod omnium votum esse debet, formetur Christus in nobis.

Inepta hæc omnia testimonia dignum claudit Epiphonema: " propter hæc, aiunt, „Sorbonica Tuba in Comitiis 1. Dec. 1554. „unanimi consensu finè ratione non insonuit, quod Societas, nisi ad primævam „suam institutionem reformetur, *videtur in negotio fidei periculosa, Pacis Ecclesiæ perturbativa; Monasticæ Religionis eversiva, & magis in destructionem, quàm in ædificationem.*

Non commemorabo quanti *Sorbonam* faciat, imò quâ temeritate eam Facultatem de *Arnaldo* pronuntiantem laceret is ipse, qui usitato plagio eam denuò nobis objectat. Aio falsum esse, quod allegat: non apposuit tum *Sorbona* illam conditionem, *nisi ad primævam suam institutionem reformetur.* Ipsum Religionis nostræ Institutum malè perstrinxit: *Cani* errores est imitata, damnavit, quod non noverat.

Silentio potiùs erronea illa dicteria prætererirent, & tantæ Facultatis honori consulerent reprehensores inconsiderati: habet Gallia domestica testimonia, quæ iis quorumdam Doctorum erroribus opponat: Rex ipse Christianissimus, Henricum Magnum intelligo, nec finè elogio tum causam nostram suscepit, dixitque. Eamdem Apologiâ suâ prosecutus est Eminentissimus *Du Perron*, & eo calamo, quo

feli-

feliciter Hæresim debellaverat : in eamdem Sententiam descendit Clerus Gallicanus, Corpusque Nobilium, qui in Comitiis Statuum Regni anno 1615. cùm apud Regem pro *Societate* perorare dignati sunt, Orationis suæ momenta, patrio sermone hæc allegarunt : *Les grands fruits, & les notables services, que ceux de la Societé, & la Compagnie des Jesuites ont fait, & font journellement en l'Eglise Catholique, & particulierement en ce Roiaume.*

Ita per Dei gratiam necesse non est, si quando pro nobis nos dicere oporteat, aut fabulas fingere, aut Epistolam evocare è Carcere *Omurensi*, aut *Prophetiam* ex Anglia, aut *Commentarios* ex Hispania, aut *Angelopoli* literas. Verùm istud agere non constitui.

✱ Nihil attulit *Liberius*, quo *Clangorem* hunc vindicaret. ✱

Invitat nos *Clangor* Secundus : expendamus quid ferat. *Necessitatem*, inquit *longè maximam reformandi Societatem manifestam faciunt vitia maxima in ea dominantia.* (*a*) Illiberale profectò improperium, & grave; & quale, quod Dei est beneficium, nemo nobis ex vero potuit impingere : malè tamen id ego succenseo, quoniam statim nos ibi in hunc modum commonefacit : " Non existiment „ Jesuitæ quod vitia illa ad procurandam pro „ modulo nostro Societatis reformationem „ Christianæque Reipublicæ utilitatem enar- „ rando, lædamus charitatem : atque ut se summo

[a] Pag. 16.

ſummo muniat exemplo, eo ait affectu ea enarrari, *quo & Salvator, & S. Proto-Martyr Stephanus Phariſæorum vitia palàm redarguerunt.* (a) Superi in quàm amænum cerebrum incidimus! quid ni nos quoque inſanimus, & arrogantes, injuſtique, atque omnis honeſtatis obliti, omnem Senatum, ac Magiſtratum, Religioſas familias, Hierarchiam Eccleſiaſticam, probris oneramus, diſcerpimus, laceramus? indignanteſque monemus, induiſſe nos Servatoris affectum Phariſæos publicè incuſantis? quid ni omnes mutuò ſe hoc affectu ſalutant, ut lepidam, & inauditam ſpectes toto Orbe comœdiam, aut, quod veriùs eſt, Cataſtrophen impiiſſimam?

Dic ſodes, qui hæc comminiſceris, an Servator ex inanibus momentis, ex turpibus mendaciis de Phariſæorum vitiis intellexit? an ex Epiſtolarum fragmentis trans maria evocatis eorum vitam accepit? quales eſſent, omnes publicum habebant, certumque; nemo ibat inficias, nec poterat ire: ubi quid ſimile vobis uſuvenit, calumniatorum ibi fabricatores, collectores alibi? quod ſi in convictos Phariſæos incideretis, expectandum vobis eſſet, donec in Servatoris jura admiſſi, aut illius Delegati, tanto exemplo, cujus nunc neſcio, an magis impiè quàm ſtultè mentionem injicitis, tueri vos meritò poſſetis.

Subjungunt Rigidioris Ethicæ Perſonati Buccinatores Theologicam regulam, „qualem

[a] Pag. 16.

lem necdum Infernus excogitavit.

Quidquid fieri poteſt (ſic dogmatiſat *Tuba Magna*) *ob publicum Reip. Chriſtianæ, ipſiuſque etiam Societatis bonum, compatibile eſt cum Charitate.* (*a*)

Cui homini incidit hæc monſtrum! omnem hominem Reipublicæ noxium, Regem ipſum ſubditis ſuis injurium è medio tollere ob publicum bonum, compatibile erit cum charitate? rapere, harpagare, occidere, trucidare ob publicum bonum charitatis eſſe poterunt exercitia? equidem nunc manum mavelim amittere, vitamque, quàm ad tam impia deſcendere. ✱ Monui antè in Reſponſo Prævio pag. 14. qualiter *Liberius* ſe hìc corrigere ſtuduerit dogmatis ſui fæditatem edoctus, oſtendi eodem loco, qualiter ſcyllam evitans in charybdim inciderit. ✱

Poſtulo, quæ ſint vitia illa *maxima in Societate dominantia*? Quæ *vidimus*, inquit, *Clangore præcedenti enarrata ac teſtificata à viris ſapientiâ, probitate, & vitæ ſanctimoniâ celeberrimis*: in ſomniis, credo, viſa enarrat: quis enim ibi non punitus teſtis adductus eſt, vel ſinè mendacio, vel qui ipſe Accuſatoris partes non ageret? non peto *Quæ*, ſed quod etiam vitium, & in Societate dominans ibi eſt ſtabilitum? actum non ago; inanem illum Clangorem, ad quem iterum apellat, diſſipavi plus ſatis.

Urit hominem, quod *Mutius Vitelleſchus* Præpoſitus Generalis Societatis in Epiſtola ſua commemorat in hæc verba: " Singulari „præ-

(a) Pag. 16.

"PræpotentisDei benignitate consistere etiam-
"num in ipso Religionis Corpore Spiritum
"illum, quo primùm animata coaluit, eum-
"que non modo non emortuum, sed etiam
"valentem ac vegetum; sic est; scripsit hæc *Mutius Vitelleschus*, & de hac Dei benignitate Deo gratias læti rependimus: scio; Præpositus Generalis fidem hìc non inveniet, quia subditos suos non accusat: in eamdem sententiam, inquit, descendit *Placida disceptatio Jesuitarum Dilingensium*; Jam dixi *Disceptatio* illa ad Jesuitas non pertinet. Eadem pergit, *Kellerus repetit* in *Cavea Turturis*, sed neque hanc autor ille exstruxit. *Similia*, ut subjungit, *habet Imago primi sæculi*: omnia sunt abs re. Consentiant hi omnes *Mutii Vitelleschi* sententiæ, possunt enim, idque jure meritissimo; pluribus probata est illa sententia, & Ardelionem non timet: Quorsum verò hæc tandem evadunt? "Quid hoc est aliud, inquit Buccinator, "nisi dicere cum Phari-
"sæo, *non sum sicut cæteri hominum.* Non est sanè hic Tubicen sicut cæteri hominum, qui omnem humanitatem diu deposuit indutus araneam, ne miraremur telam ei semper pendêre, ut expeditior, quò ferret impetus volaret, & contacta inficeret veneno.

Estne nunc aliud, quod in rem suam reliquum afferat? nihil: huc redeunt pollicitatoris omnia momenta, hæc omnem exhauriunt pharetram, ex his conficit esse *vitia maxima in Societate dominantia.* An nos laudent, qui sic accusant, cæteri dixerint.

Hæc interim ex uno *Scioppio* pleraque sunt de-

deducta, ex illius damnata satyra, quam inscripsit *Infamia Famiani.* De *Mariana*, de *Jacobo Kellero*, & *Cavea Turturis.* De *Claudio Aquaviva*, de Aulicismo aliisque meminit ibi *Scioppius* pag. 9. de *Aria Montano* & ad illum spectantibus pag. 110. *Montano* adscriptam Epistolam integram refert pag. 112. utor Editione Amstelodamensi anni 1663. * *Liberius* neque pro *Clangore* suo secundo aliquid pronuntiavit. *

Succedit tertius *Clangor*, (*a*) clamitatque *Necessitatem valdè magnam Reformandæ Societatis demonstrare vitia valdè magna.* Omnia huic homini sunt *valdè magna*, sed titulis tenùs, qui Elephantes promittunt, & ridiculos desinunt in mures: ita semper quidem apud hunc hominem .... *Amphora cæpit Instituí, vertente Rotâ tamen Urceus exit.*

Ventum est ad Singularia; *Clangor* intonat *Quartus.* (*b*) *Præter vitia enarrata, imprimis*, ait, *Reformanda est in Jesuitis Superbia nimis certè magna.*

Odi Superbum, & arceo: scriptum est enim *Initium omnis peccati Superbia:* (*c*) quæro, qui testes Religionem nostram tam turpis criminis convincant?" Ipsimet, inquit, Jesuitæ in-„ genuè fatentur: *habemur multis ambitiosum* „*genus hominum:* (*d*) Num fortè fatemur nos *esse*, qualis non diffitemur nos *haberi*, ut ex testimonio nostro judicari possimus? quis eò devênit dementis superbiæ, ut superbum se esse proclamet? revolve Tertulliani Apologeticum, disces, quales, Christiani fateren-

tur

(a) Pag. 20. (b) pag. 24. (c) Eccl. 10. (d) Imago 1. sæc. p. 858.

tur se *Haberi* à Romanis : inspice obvios libros, scies, quales Catholici ab Heterodoxis *Habeantur* : neque horum perversa judicia solummodò apello, adi Apologiam D. Seraphici, intelliges, quales, Religiosi *Habiti* fuerint eo tempore, multis de Clero, *pejores judæis Christi adversariis* : quamquàm quid opus est antiquioribus aut extraneis, fatemur nos *Cano* habitos fuisse Præcursores Antichristi : aliis Magos, Pestem aliis Reipublicæ Christianæ, aliis omnium scelerum colluviem : fatemur hæc, inquam, quis enim omnium hominum cerebum regat ? qui nos quotidie eo loco possunt habere, quo ipsi somniaverint : at ne tu post hæc bellus accedas orator, si causam Superbiæ adversùs nos acturus continuò occlames *ipsi fatentur se haberi superbos* : non errabis si existimes te præmium laturum, habendumque qualiter mereris, maledicum, ineptum.

Verùm, pergit ille, Superbiæ nos arguit, convincitque adimpleta *S. Francisci de Borgia* Prophetia; hanc calumniam dilui suo loco. Aliud posco: affert igitur exemplum. *Bobadilla*, inquit, cum *Lainio ambitione magnâ, quæ Superbiæ filia est, apud Cardinales pro Generalatu contenderunt*: quid agas cum homine hominum imperitissimo? examina peregrine, quæ legibus nostris *de Ambitu* sunt præscripta, certissima via apud nos est non adeundi Magistratum, AMBIRE. Et si stultitia ambiendi qualescumque Dignitates nostras legibus nostris non foret prohibita, quid apud Eminentissimos Cardinales contendere habebant, qui Domi

à Sociis eligi debebant Generales? quorum suffragiis niti poterat *Bobadilla*? cujus habuit umquàm, vir multis muniis ac dotibus clarus, non omnibus? Inspice *Orlandinum*, & Religiosissimum simul ac doctissimum virum *Jacobum Lainium* pudebit te accusasse, sciesque *Bobadillæ* nihil de Generalatu potuisse venire in mentem.

Alterum prodit superbiæ nostræ monumentum ex *Imagine Primi Sæculi*: ex hac *Imagine* farrago excerpitur fragmentorum malè invicem cohærentium, malè assutorum. Quid hoc est, nisi convitiandi animum prodere semper constantem? ostendi, quæ ex hac penu mendaciter deprompsit, à sententia sua separavit, contorsit à scopo, & pro arbitrio truncavit.

A Rhetoricis Declamationibus gradum facit ad *Petrum Aurelium*: id est ad *Joannem de Havrane Abbatem S.Cyriani*: hujus nomen notissimum est; ego de illius contra nos testimonio sollicitus esse non debeo. Hac curâ me Judices liberarunt, qui in *Aurelium* ex æquo animadverterunt.

Accipe aliud, & ingens superbiæ nostræ documentum: scribit *Didacus Baza*, ut *Tuba* quidem canit, mihi non vacat, in has nugas inquirere: scribit, plures libros à Societatis Religiosis editos esse, quàm ab omnibus aliis Religiosis familiis: qui hoc *Bazæ* non credit, computum ineat, & redarguat.

A *Baza* iterum descendit in *Caveam Turturis*, non sequor; neque enim *Kellerum* aut alium è Societate habet autorem; falsò illi adscribitur.

Pergit

Pergit vitilitigare, & in vita Sti. Ignatii à *Nierembergio* religiosissimo viro Madriti edita, nescio quas per decursum indicatas Revelationes suggillat; quasi is ignoret scilicet, numquàm ejusmodi narrationibus piis plus tribui, ac approbet Sedes Apostolica, idque autores spontè præfari: qui illas Revelationes ad unam vanitatem referendas esse affirmat, quo revelante id didicit? quisquis *Nierenbergio* narranti de Sto. Ignatio, de illius scriptis, & Instituto fidem non habet, per me licet; habet Summos Pontifices, qui illis omnibus majora Dei dona prædicarunt: lubet tamen mirari, in quos angulos se non abdant, quæ non perscrutentur. Sed ego memet fallo, qui existimem erudita hæc heri esse eruderata: utuntur jam paratis: easdem quisquilias priùs collegit *Alphonsus de Vargas*, collectasque damnavit Sedes Apostolica. Ex damnata Collectione hæc deprompta sunt denuò.

Contendit, inquit *Argentus* Jesuitarum per Poloniam & Lithuaniam visitator, Paulum IV. *tanti Societatem, & Societatis Parentem Ignatium fecisse, ut nihil umquam in ea innovari permiserit.* " Sed *pergit*, mendaci fabulæ contradicit Historia Societatis, his verbis. Pauli IV. jussu tota vitæ "quotidianæ ratio ac disciplina permutanda "erat, cunctaque suo loco movenda.... ut "Choro spatium, quod non modicum erat, "quæreretur. Urgebat summi Imperium "Principis, nec repugnare.... in ejus auri"bus licebat.

Impingit, non contradicit Historia *Argento* rerum

rerum in Societate actarum minimè ignaro, & quem plures Præpositurâ Generali dignum existimarunt : ad alia Historia respicit, ad alia *Argentus* : nihil hic de innovatione agit, quam ipse Pontifex fecisset, sed de illa quam fieri, ab alio nempè permisisset : exemplum sumit *Argentus* à *Ferdinando* Romanorum Rege, institit hic apud Pontificem, ut integrum esset è Societate Episcopos Nominare. Gravis hæc in Ordine nostro foret innovatio, noluit id umquàm Pontifex permittere, hoc Regi Poloniæ narravit *Argentus*; ubi nunc pugnantia cum Historia ? sed totum *Scioppium* induit hic homo, qui eadem hæc effutivit in *Relatione Alphonsi de Vargas* cap. 2. pag. 9.

Fortissimum telum postremo ictui destinavit; age igitur excipiamus : narrat, inquit, Historicus Societatis factum, quo Societas supra Episcopalem ordinem exaltari videtur: improbè factum, si fecit; sed ubi; quâ ratione tam turpiter erravit ? *Comminiscitur*, ait, quemdam in Regno Neapolitano Episcopum exclamasse in agonia "ô Sancta Societas, qualem usque hodie satis non cognovi, excellentior es Pastoralibus Pedis, Mitris, Palliis & Coronis": quid tandem stultè objici non poterit! fac cras Pontificem, aut Orbis Cæsarem atrarum curarum pondere pressum fessumque, & humana omnia ex merito appendentem, altùm apud se ingemiscere, *venenum in auro bibitur: Beatus ille qui procul negotiis; bene qui latuit, bene vixit.* Num is continuò humilem hominum conditionem supra omnem Ordinem super-

bè exaltaverit? cui non ſtomachum moveant tam inaudita deliramenta? ſcilicet animalis homo non capit ea, quæ Spiritûs ſunt.

Neapolim aſcendendum non eſt, neque præterita ſæcula ſunt repetenda; crediderim equidem hodie, atque in hoc Belgio non paucos hujus vitæ tempeſtatibus agitatos, in Agonia, in aditu æternitatis, utinam non ſerò nimis concludere, *Ergo erravimus*, ac tum quidem humilem Religionis Portum immanibus fluctibus, quibus ſupereminentes cœlo ipſi minari videbantur, longè præhabere.

Inverecundius eſt quod audet ſubnectere; ex Societate aliquem nempe dogmatizaſſe, *dogma Jeſuiticum*, & *dogma Catholicum* converti. Quis tam delira ſomniavit? maluit neminem nominare, ne apertior eſſet impoſtura: multa Catholica ſunt, id eſt in Eccleſia Catholica doceri permiſſa, quæ non docemus, multa quoque docemus, quæ non docent omnes Catholici. Neque longè eſt abeundum ut hoc intelligas: ubi enim Eccleſia locum etiamnum reliquit opinionibus, non omnes nos ipſi eadem arbitramur. Tantâ conſenſione humana Societas frui vix poteſt, in qua ſæpe quot Capita, tot Sententiæ.

Inclementes, antiquaſque quorundam, ut volunt Rhotomagenſium querelas facilè prætereo, quia mendaces, ac tam, pellucidè, ut neque obliquos oculos fallant: queruntur nos affirmare, *nullum niſi hæreticum Jeſuiticis placitis contradicere: quemlibet teneri ſenſa ſequi noſtrorum, omneſque noſtrorùm Opiniones indiſcriminatim amplecti, niſi ubique haberi & diffamari velit, tamquàm impius, & Apoſtata:*

par-

Parcite ô Rhotomagenses, parcite tanto furori: novimus vos ipsos nobis eo tempore contradictores, nec opiniones nostras amplectentes, numquam Societas passa est vos hæreticorum, aut Apostatarum loco haberi, & quem obsecto eo loco, atque ex hoc titulo talem habuimus umquam? aut ubi? contradicunt nobis quotidie multi, & ubique, an eos ceu impios vesanè traducimus? illos ipsos consulite, & licebit vobis, aliisque hìc malè querulis mitiùs nobis irasci, aut omnino etiam Societati non succensere, si satis omnia perspecta habere volueritis: ✱ Nullâ Responsione his quisquam occurrit. ✱

At ecce Quintus in eamdem sententiam intonuit *Clangor*; (*a*) *Secundò Reformandam esse in Jesuitis nimiam supra cæteros omnes extollentiam.* Crederes enimverò omnes pro se, pro Religione sua stultè occinere.

....tantùm supereminet omnes quantum lenta solent inter viburna Cupressi.

Non usque adeò cæcutimus: sapientem demissè orantes sequi satagimus, *extollentiam oculorum ne dederis mihi*: minima est nostra Societas Jesu; alios Religiosorum Ordines omnes Societas veneratur, colit, & suspicit: nos ne inter nos extollamur, media nec desunt quotidiana, nec domestica.

Venio ad Accusatores; ad horum momenta: alia equidem reperio quæ nos criminis illius reos esse liberaliter supponunt, atque tamquàm illo implicitos liberè perstringunt, ipsum imprimis *Clangoris* artificem, tum præterea *Mo-*

[a] pag. 34.

Moralem Practicam semel ac iterum, & mutuata ex illo fragmenta Epistolæ Angelopolitanæ, & Memorialis Paraquariensis. *Alphonsum de Vargas*, *Mercurium Jesuiticum*, tabellarium Epistolæ *Andreæ Trevisy* : damnatos illos autores, librosque, ex quibus hæc centies recoctâ redeunt crambe, gravissimos in Ordinem nostrum video Declamatores, de proscriptis his testibus, verbum non amplius addo.

Alia succedunt extra hanc rem, & præter quod hic fuerat propositum; singula sunt inverecunda : veluti *Lamormannum* Ferdinando II. à Confessionibus autorem fuisse, ut bona non sua concederet Jesuitis : quo quidem Augustissimum Imperatorem sacrilegi furti insimulat impudens obtrectator : tum item *Pm. de la Chaise* in Galliis Apud Regem Christianissimum, *perpetuum fuisse Accusatorem Fratrum imo Patrum suorum, delatorem perpetuum hominum proborum, Protectorem & refugium omnium discolorum, & indisciplinatorum, in toto Clero, in omni corpore Status.* (*a*) Quibus similia ibi statim subjungit, quæ si audiat furens licet Megæra, dolebit se ingenio victam esse, & si æqua esse possit, faces tradet, Colubrosque.

Quid hoc tamen est aliud, nisi per alterius latus in ipsam Regiam Majestatem evomere fanda nefanda, eamque tantorum scelerum, quæ lubuit excogitare, celebrare autorem?

* Cùm hæc à Biennio impressa relegerem

[a] pag. 44.

rem nunc ego ſecundùm, occurrebat mihi D.*Bayle* Acatholici eruditi Epiſtola CXL. illâ ſcribit in hæc verba. *Nous avons une vie ou plutoſt un' Hiſtoire Romaneſque du* P. de la Chaiſe. *Vous jugez bien, qu'on dit de lui tout les ſept pechez mortels à commencer par la luxure. Mais on a oublié d'y joindre une choſe, c'eſt de mettre à la fin de l'ouvrage les preuves, & les pieces juſtificatives.* Hoc tibi *Candide & Tubæ* tuæ integræ ſcriptum eſſe exiſtima, ubique occurrit hæc Omiſsio. *

Ab Aulis ad Seminaria deſcendit, id eſt à Regibus, in Epiſcopos transfertur accuſatio, quaſi illi aut cæci eſſent, & ignorarent quos ad obſequia ſua evocarent, admitterentque, aut muneris ſui obliti, oves ad paſcua dimitterent venenata, & ſegnes viderent ſedenteſque, ſibi commiſſis propinari aconîta: crudelis enimverò calumnia! pro hac citatur ingens trium paginarum fragmentum ex Epiſtola Anonymi ad Illm. Tornacenſem, fœtâ magis in Societatem injuriis, quàm accuſatoria Patris *Lorthioir* in eo Seminario fortè Profeſſoris: quidni quoque adjungitur Illmo. Tornacenſi abundè innotuiſſe de gravibus hujus Epiſtolæ erroribus, calumniiſque; nec Societatem ea in re partes ſuas deſiderari paſſam fuiſſe? omnes Theologi ſemper compertum habebunt, reprehenſorem in hac accuſatione ſe calumniâ liberare non poſſe, quia non ſemel accuſavit falsò.

Scilicet omnium criminum agmen præ foribus eſt, ſi quando ad hanc Provinciam admovemur; volitant extemplò denuntiatio-

nes, libelli, Epistolæ, satyræ; tota Provincia resonat clamores tristesque ululatus, lupi in gregem immissi feruntur miserè propediem lacerandum discerpendumque : tanta est hominum quorumdam nos accusantium charitas, quæ non æmulatur, non cogitat malum.

Nos quidem cùm ex Episcoporum beneplacito in Seminariis operam collocamus, ut possumus, ac debemus diligenter; non eò loci magis, quàm alibi sumus impeccabiles, homines ubique : at si quid cui exciderit præter voluntatem, minùs dicendum propugnandumque (quod ne faciliùs accidat plures invigilant) pace hoc dicam omnium, nescio an ab aliis corrigendum sit citiùs, aut efficaciùs : nihil Superioribus nostris, qui suos omnes subditos habent minùs arduum, ac permolestum, ac lapidem illum amovere, si qui periculosiùs in illum impingant. Neque in iis muniis inutilem esse habitam operam nostram, quam, pro eo ac Deus dedit præstare studuimus, neque etiam ineptos homines ad hanc spartam sufficere conatam esse Societatem., testis est imprimis Italia, Roma maximè, ubi ex Summorum Pontificum voluntate curæ nostræ sunt commendata notissima Clericorum Seminaria seu Collegia, Germanicum, Anglicanum, Græcorum, Maronitarum, Scotorum, ac Hibernorum, præter amplissimum Seminarium Romanum, ex quibus omnibus, Urbisque habitatoribus, Collegium Romanum Societatis & Academiam Gregorianam, tyrones quotidie frequentant amplius bis mille; quodque Dei beneficio adscriptum referimus, non sinè elo-

gio

gio frequentant eorum, quorum intereſt noſtra penitiùs cognoſcere: quid memorem de Germania, Galliaque, aliiſque ſeu Regnis, ſeu Provinciis: vix aliqua eſt, quæ in pluribus Seminariis juventutem ex Inſtituto excolere non adlaboret: adeo inquam, in hoc genere obſequii ſummorum virorum judicio, opera noſtra inutilis habita non fuit. Iiſdem graviſſimis teſtibus Societas in humanis caſibus, qui curas illas ſolent comitari, neque ſe ſegnem exhibuit aut vecordem, neque iis moleſtam, quibus eo caſu integrum eſſet Imperare. Placere omnibus non ſperavimus; minimè ignari rerum humanarum viciſſitudines, & hominum ingenia mirum quantum inter ſe eſſe diverſa. Venient igitur *Ambiano*, *Maſſiliâ*, *Leodio*, *Tornaco*, *Veſuntio*, *Burdigalâ*, *Andegavo*, *Cracoviâ*, venient, inquam, ex toto Orbe evocati, & pro Domo ſua queruli, nos atrociſſimis dicteriis onerabunt, Accuſationes accumulabunt accuſationibus, unum nos poſtulabimus *Inſtitutæ Criminationis Examen*, & quale judicem decet, qui ſi ſtatuit aliquid parte inauditâ alterâ, æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit: neque vereor futurum, ut poſt omnium maturam diſcuſſionem Illmis. Epiſcopis Societas non faciat ſatis.

Quæ *extollentiam*, cujus tam liberè accuſamur, aut oſtendant, aut evincant, non invenio: dedi quæ exprobrent, indicavi quæ præter æquum ſunt enarrata. Rem titulo aſſumptam nullibi video comprobatam: omnis hic *Clangor*, iter per inania captat.

Fallor tamen, ultimis lineis affirmat *Jacobum Balde* Poëtam Germanum, & noſtro-

rum

rum Poëtarum, ut ille quidem ait, Principem, in quadam Ode *Cantari affectasse*, *Societatem Deum esse, cui Altaria sint construenda:* Impia vox est, & Compendium stultitiæ, enuntiatio tam sacrilega: sed ubi habet hæc *Balde*? liber, ode, pagina, nihil est indicatum: illius autoris *Lyrica* examinavi, perlustravi *Sylvas*, tantæ vesaniæ affine occurrit nihil: quid est etiam, quod ait *Cantari affectavit*? fateor vim horum verborum non assequor: quidquid id est, nisi ostenderit ubi hæc fuerint exarata, hìc quoque calumniæ reus semper habebitur.

„Verùm (inquit, quasi mulsum tandem propinaturus postquàm fel omne evomuit) „non omnes ita desipiunt: nam cæteros Je„suitas, quorum studia & mores ad S. Igna„tii formulam bonâ fide componuntur, ne „ipsos quidem id genus consilia ac facta So„ciorum probare pro explorato habendum est. Enimverò nos ejusmodi, si quæ essent, non probare pro exploratissimo habendum est: neque illud modò: sed hoc quoque velim intelligat, si quid alicubi in nostrorum lucubrationibus occurreret inter superba meritò collocandum, id totum abjudicat Societas, deletum cupit, atque erasum; autorem, ut par est, damnat, & quâ potest ratione castigat. Optem tamen ne quis hoc vitium Sacrorum Ordinum æstimatoribus festinus attribuat, aut priusquàm omnia circumspexerit: nisi quis Ordinem suum aliis opinione præferret, se ipsum tacitè argueret, quod electione meliora posthabuisset. Debet etiam Religiosus

vir

vir, tam excelsè de Ordine suo, tam de se abjectè sentire, ut se, quasi membrum tam præclaro Corpore indignum despiciat. Nemo denique ingentis Reipublicæ, aut Congregationis pars superbè sentit, si de illa sublimiùs, sed si demissiùs opinatur. Superbus non est qui Rempublicam suam laudat, sed qui vituperat. Loci communes de vitiis & virtutibus, *Res* ipsas spectant, non *Personas*; vitia prosequuntur, nullam personam ipsi accusant.

Clangor subsequitur sextus: (*a*) monetque, *Tertiò Reformandam in Jesuitis erga alios invidiam, & zelotypiam.* Tum statim initio Magnum Augustinum tenet pronuntiantem; *causa invidendi superbia est.* Sapienter id quidem; ac iterum, nihil aliud est invidia, nisi *Odium felicitatis alienæ*, aut ut placet Doctori Angelico, *Tristitia quædam de bonis alienis.* Præclarè utrumque. Exspecto, ut assurgant, qui hæc in nobis dominari commonstrent: summi beneficii loco habebimus, emendari.

✱ Ad hæc omnia mutus hæsit *Liberius*, neque quidquam in medium adduxit quo dicta sua vindicaret. ✱

Jesuitæ, affirmat autor, *Ariam Montanum* obio habuerunt gratis; sicut & *Joannem Pistorium Niddanum*: sed hoc affirmat tantùm: quo id persuadeat, affert nihil. De *Montano* auditum est antè: malè in nos ille conjecit, quæ aliis autoribus præter opinionem ei acciderunt: *De Pistorio* lege, si placet, Epistolam dudum vulgatam, quam ad eum dedit *P. Castorius* per id tempus Rector Collegii Germanici, & evanescet calumnia.

Paulò

Paulò pòst malè habitum se à Jesuitis querens inducitur, nescio quis *Corradus*, hoc solo nomine indicatus, in propria causa leviſſimè pronuntians. Accedit scriptum, *ſtatus Chriſtianæ Religionis*, hoc accuſantur de inobedientia quatuor è Societate in Oriente Miſſionarii : audi alteram partem, de hac conſule P^m. *Taſchart* in itinerario Chiamenſi. Recitantur laciniæ ex operibus *Navarete* in Imperio Chinenſi Epiſcopi : illis reſponſum eſt ſæpius, invicem conferat accuſationes, Reſponſioneſque, cui fuerit otium : mihi peregrinas lites, implexaſque non vacat excutere, & extra hanc rem eſt. Quid aliud, amabo, eſt allegatum quod nos in alios invidentiæ condemnet? pudet me propemodum accuſatoris, nihil : Epiſtolam Angelopolitanam, Japonenſem aliam adſcriptam *Ludovico Sotèlo*, & *Colladum* jam pridem excuſſi. Dicteria autoris, id eſt accuſatoris Anonymi, nullo teſte, nullo momento ſtabilita nec aſſis facio, nec teruntii. His interim malè conſutis obtrectationibus ultra Garamantas, & Indos evocatis, per totum orbem flagitioſiſſimi criminis Rei audaciſſimè pronuntiamur : ſed bene habet ejuſmodi ſententias monumentis ſimilibus ſtabilitas non alios ferire, quàm eos ipſos, qui eas divulgant, redit in autores ſcelus, & Zelotypos ſe demonſtrant, qui nos Zelotypiæ condemnant.

Optat Religio noſtra, ſemper atque magnopere omnium Ordinum operarios Apoſtolicos, unanimi ac Sanctæ Sedi Probatâ Concordiâ ampliſſimam illam meſſem excolere diu,

diu, sanctèque, & viam subintrare sudore, & sanguine præsignatam. Tam sancto operi, probante Societate, nemo obicem ponet, posuit nemo: privatorum omnes actiones nullus Magistratus præcavet, aut coërcet.

* Placuit *Liberio* nostro ex his aliqua notare, placuit alia de suo adjicere, audiamus quid ferat. 1°. *Quis hìc non miretur*, inquit, *Patris Huylenbroucq petulantiam*, *hæc omnia vocat*, male consutas obtrectationes, ultra Garamantas, & Indos evocatas: *

Nemo æquus, credo, hìc quidquam miratus est, res nominibus suis appellavi: *obtrectationes* esse ostendi ex allatis ante momentis; *malè consutas* esse, nullo vinculo sibi cohærere, tamquam Scopos dissolutos in fortuitum cumulum conjectos fuisse sola legentis attentio apertissimè demonstrat: ex qua Regione obtrectationes illæ fuerint evocatæ, ipsæmet titulis suis loquuntur: unde ergo huic exclamationi fit locus?

Possem equidem potiori jure ego exclamare, *Quis* non miretur *Liberii* petulantiam, cùm ponè ita subjungit. "Causis his utatur „apud Garamantas, & Indos, ne ibi quidem „ei fides adhibebitur": sed ei arma sua integra permitto: Stentorem aget ut volet, non interpellam: quoties generalia cantat, mihi quidem canit surdo.

At ecce de prudentia *Tubicen* monuit, & unà Prudentiæ oblitus, minas evomit imprudentissimas. *Prudentiæ*, ait, * *foret Jesuitis, de his altùm silere, ne plura quàm vellent*

* Pag. 84. * Ibid.

lent in vulgus ſpargantur. Sciat igitur, quiſquis eſt, Religioſorum prúdentiæ eſſe ad Calumnias non ſilere, hoc à Seraphico, & Angelico Doctoribus didicerunt,& in Xriſto ſervatore habent exemplum : huic doctrinæ tum maximè eſt inſiſtendum, cùm infelix quorumdam contumacia, veluti Scopum ſibi conſtituit, per proſtratam Religioſorum famam aſcendere, ut elatiores impenſiùs colliment in Caput Eccleſiæ, ſecuriuſque.

Vis nunc Lector Catholice ſpecimen aliquod eorum quæ novus Saulus, & ſpirans minarum, adverſus Societatem ad vulgus ſe deducturum promittit? accipe quale proximis verbis ſubjungit, ſingulare, & attentione tuâ digniſſimum, ſic habet.* "Quis non „gemit dum Jeſuitas videt vehementiſſimè,& „pertinaciſſimè diſcerpere & dilacerare quoſ„cumque libros pios, eorumque autores, „etiam ab Epiſcopis approbatos, quòd ab ip„ſis, vel ipſorum fidis non ſunt compoſiti. An tu aliud ſolemnius deſideras? Ego nôn exiſtimarem hæc ſcribi poſſe, niſi oculis meis tandem me credere oporteret : repete tecum mellifluam hanc periodum, *Quoſcumque libros pios Jeſuitæ diſcerpunt atque dilacerant.* Quouſque tandem effrænis vagabitur, & ſecura palam loquetur impudentia! in quam arcem impetum parant, qui hæc vexillis ſuis præſeferunt? in nos quidem illa collimant ſed ſtratagemate pridem uſitato, aliò dirigunt ictum. Putaſne tu enim ego vanus ſum augur, ſi tibi annuntiem inter libros qui hoc loco

* *Pag.* 84. & 85.

loco *Pii* nominantur, & *ab Episcopis approbati*, principem locum tenere Damnata opera Quenelliana, quibus nescio an ab Hæresiarchis acceperimus magis simulata, & quæ venenum sanctiori specie, aut majori astu propinarent. Ipsa hæc siquidem ausu luctuosissimo innumeris opellis ceu pientissima celebrantur. Lætabor si fallar, & quantâ possum contentione gratulabor, si Apostolicæ Damnationi Catholicus subscripserit. *

Accedo ad VII. *Clangorem*, nuntiantemque, *Reformandam esse in Jesuitis Avaritiam*: adstipulamur, foras pellatur, quocumque hæc pestis subintraverit, *Avaro nihil est scelestius*: (a) verùm ostendi debet ubi specum suam, & apud nos aut invenerit, aut fabricaverit Avaritia: verbosa declamatio aures fatigat, conficit nihil: inquit, invictè demonstrant argumenta. Exspecto quæ sint.

1. *Divitias immensas absque termino utroque in Orbe nituntur acquirere.* Belle, atque liberaliter! novum, ut existimo, extra Orbem, Orbem deteximus, in quo *immensas divitias sinè termino* inventas collocemus; neque enim iis hic quisquam locum sufficiat.

2. *Ad id nituntur per fas, & nefas*: hoc quidem ut est liberum, ita quoque nefario homine dignissimum dictum est.

3. *Ne tunc quidem finem faciant acquirendi, cùm acquisitio non fit absque diminutione divini cultûs, vel non absque neglecto pauperum sublevamine*: & hoc prætereà impiè, atque crudelitèr affingitur. Hæc

(a) Eccl, 10.

Hæc ipſa tamen quæ excogitat argumenta, quibus momentis tamquàm *Invicta* demonſtrantur? talia enim eſſe oſtendi oportuerat, & benè, & dilucidè; ne aliàs, quod totâ hac *Tubâ* frequentiſſimum eſt, *Lingua* ad accuſandum proſiliat, *Labia* adducantur in teſtes, & judicent *Buccæ*: fruſtrà ſum; ubi ad apta teſtimonia deveniri oportuerat, hæret aqua: ad *Haium* remittimur, ſive ad illius *Aſtrum inextinctum*, aut ſi integrum titulum deſideras, ad *Gaſparis Scioppii Aſtrologiam Eccleſiaſticam* &c. *Ex officina Sangeorgiana anno* 1634. adde etiam *Hortum Cruſianum*. Hinc repetuntur, quæ Jeſuitarum per Germaniam avaritiam cum diminutione Divini cultûs nos doceant: qui *Haium* audit, aut *Scioppium*, *Laimannum* legat, *Cruſium*, & *Forerum*, qui Patrias lites luculentiùs explicarunt. Quamquàm hæc omnis accuſatio, non tam Jeſuitas avaritiæ, quàm Summum Pontificem, Imperatorem, Principeſque variorum criminum Reos pronuntiat; in nos quidem telum dirigit, ſed alios ferit.

Ab *Haio* ad *Moralem Practicam* deſcendit; de hac nihil opus eſt repetere. Redit Epiſtola *Angelopolitana* criminatoris Cornucopia: hæc iterum alios magis perſtringit, atque condemnat: vult enim nos immenſo auri, & argenti pondere omnes omnium Miniſtros corrumpere, quod breviſſimè eſt affirmare Aſtræam jam pridem terras reliquiſſe, in integros Miniſtros fruſtra inquiri, omnes eſſe corruptos; ſiquidem ſi nos illos corrumpimus, ipſe corrupti ſunt.

Non inamœnum eſt intelligere, quantopere ex

ex Epistola illa perspectam habeant rem nostram familiarem, imo rationes domesticas, computumque & in singula capita divisum proventum: *Decem*, inquiunt, *Collegiorum* in nova Hispania, *tanti sunt annui reditus, ut facto eorum computu quisque Sociorum in iis degentium facilè habere posset quotannis bis mille quingenta scuta.*(*a*) sive florenos nostrates 7500.

Quantâ sapientiâ iidem narrant, omnes res nostras summo secreto agi, nihil de iis posse intelligi, omnia esse involuta, maximè negotia pecuniaria, ne quid nostrum sit, cuiquam innotesceret.

Hîc certè falluntur, aut ibi, sed veriùs in utroque loco. Cur etiam, amabo, si ibi tanta vis auri, & plus vicies abundans, cur inquam, ut illi divulgant, Hispalenses Jesuitæ tam turpiter cesserunt foro? intererat sanè toti Hispaniæ, ad quam Collegia illa spectabant tam luctuoso incommodo occurrere: & erat quod ex iis satis decerpere possent: ferunt enim ex pugillaribus suis, defuisse Hispalensibus scutorum quatuor centena millia, Epistola Angelopolitana adjecit alia scutorum quinquaginta millia: si enim decem illa Collegia personæ incolerent ducentæ, id est viginti unumquodque, unius anni reditus longè æs omne alienum exhauriebat; & plura unicuique superessent, ac necessitas postularet.

Amens sum, qui his fabellis me implico dum hæc Angelopoli nuntiantur, *Haius* contra reclamat, *totâ nocte laborantes nihil capiunt Jesuitæ.* (*b*) Tam constantes sunt in obtrectatio-

(a) pag. 102, (b) pag. 91.

tationibus ſuis adverſarii, hic *Cræſos* nos fingit, alius *Iros*, utri credas? nulli.

Quod ſi quis tamen animum obfirmet, nos aureâ glebâ abundare, argentumque domi noſtræ non numerari, opto, ut cujus placuerit Provinciæ rem gerat procuratoriam, & tametſi duos Julios ſinguli in dies non deglutiamus, domus non exornemus, neque cubicula, vitam omnes vivamus communem, & parcam, vereor ne ei citò animus imos decidat in talos, damnetque ſententiam, quam ignarus priùs conceperat. Veterem de avaritia noſtra querelam *Henricus* Magnus Rex Chriſtianiſsimus, his verbis compeſcuit. *Jeſuitæ*, inquit, *cùm ingenio valeant, eos arguitis, quod ſint ad res attentiores, calumnia eſt. In univerſo Regno quantacumque Collegia obtinuerant, reditus annui eorum omnium non excedebant duodecim ſive quindecim aureorum millia.*

Redit in ſcenam *Juniperus de Ancona*: plura avaritiæ exempla aperit *Theatrum Jeſuiticum*: neutri quidquam repono, ambos convici de calumnia, jure ambo ſunt infames, & inepti qui teſtimonium præbeant.

Hæc equidem ad objecta. Qui de ſuperbiæ, atque avaritiæ criminatione plura deſiderat, is adeat Sfortia Palavicini poſtea Eminentiſsimi Cardinalis Vindicationes Societatis Jesu Cap. 48. & 49.

Sequitur Clangor VIII. *reformandum eſſe in Jeſuitis Aulicíſmum (a).*

Principum Aulis ſociorum obſequia, Socie-

(a) pag. 112.

cietas nec debuit negare, nec potuit: neque enim illicitum esse viris Religiosis in Curiis operam præstare documento sunt omnes Historiæ, & usus omnium Ordinum Superioribus, aliisque Præsulibus probatus, ac quotidianus: neque legibus nostris id cautum est; majora quoque multorum erga nos merita sunt, quàm ut eorum desideria mandati loco non debeant haberi.

Non ignorat Societas, hoc esse posse periculosæ plenum opus aleæ: præcavit igitur pro eo ac potuit solerter, & modis omnibus occurrit, ne quod hac viâ irreperet incommodum: norunt hæc, qui nostratia ex propinquo inspexerunt: sed res tandem personis gerenda est. Optarent enimverò Moderatores integram sibi relinqui potestatem, eos subditos ad hæc obsequia destinandi, quos casibus variis probatos ac multis, magis idoneos esse cognoscerent: Moderatorum votis non semper fit satis: multa concurrunt in genere hoc, sæpe leviora, & quæ iterum puderet repetere. Alienis nonnumquam consiliis Principes postulant, & seligunt homines spontè vix offerendos, nec sæpè est diu, cùm illos pœnitet consilii: sed tunc jacta est alea, & se dignum non arbitrantur resilire, ne palàm deceptionis arguant se. Hinc nonnunquàm publicæ utilitatis est minus, & tempora ferunt casus, quos nescio an initio animus non magis præsagiret, ac posteà evenisse miraretur.

Tubicen tamen quid affert? S. Ignatius, inquit, noluit peregrinis hominibus in Aula

conditionem quærere; Sanè prudenter. *Instructio*, pergit, *ad Superiores* monet cautelam esse adhibendam ne nostris obsint Aulæ: sapienter, atque ex charitate isthæc monet, & huic *Instructioni* Superiores faciunt satis. *Canisius* Confessarium *Guilielmi* Ducis Bavariæ Romam evocari curavit, ab Aula removendi causâ; quod à Religiosis moribus sensim deflecteret: laudo, ac probo. Ipse amotus, quasi laqueis ereptus, *Canisio* habere debuit gratias; si ex hac causa *Canisio* fuit iratus, citiùs meruit amoveri. *Claudius Aquaviva* notavit Aulicismum morbum esse periculosum, & eum patientibus, & nobis ferè nescientibus paulatim subintrare, multosque prætextus hìc fallere: nemo id negat. Quis autem inde conficiat, quod asserit, gravissimum illum morbum Societatem infecisse?

"Manifestum, *inquit*, evadit ex his, Socios "*Solère* ad aulicam vitam degenerare: abuti "Aulicorum gratiâ ad excutiendum obedien-"tiæ jugum, ad oppressionem Innocentium, "ad occupanda aliena Monasteria, Semina-"ria, Collegia, Universitates: ad promo-"vendum per fas & nefas quidquid ad rem "Societatis facere potest." Tum quidem percunctatur, "an non Principum conscientias "malè regunt? sibique continuò respondet, "imò sive adulando, sive dissimulando & "tacendo peccatorum ipsorum sese partici-"pes efficiunt.

Rhodus hìc erat, saltare hìc oportuerat, id est aptis instrumentis commonefacere, adhibitos

hibitos Aulis è Societate *Religiosos Solêre* hæc ſcelera committere, neque hoc vulgo malè querulo credere ſtatim, aut narratiunculis levibus ſpernendiſque, ſeu *Alphonſi de Vargas*, ſeu damnatorum ſimilium. Sed ſaltavit enimvero! neceſſariis probationibus prætermiſſis, Aulicismi improperium impegit, & pede celeri evaſit calumniator. Hujus mendacia optimis exemplis ſuis divino beneficio plures quotidie commonſtrant, qui his obſequiis admoti, ſpecioſam ſerviunt ſervitutem, alieni ſemper, vix umquam ſui. *Joannes Kletle*, ſi rupit vincula ſua, id malo ſuo fecit, non noſtro.

Legibus noſtris ereptus, ſi earum fructus ſibi quiſquam polliceatur, mihi quidem perſuaſum habeo ſe id fruſtra facturum. In agro ex legibus periti agricolæ non culto, non cuſtodito, nihil tantopere eſt obvium, quàm ut

Infelix lolium, & ſteriles dominentur Avenæ.

Non te fugiet tamen, erudite Lector, has Inſimulationes *Superbiæ*, *Invidiæ*, atque *Avaritiæ*, quodam quaſi fato ſemper meliores inceſſiſſe; nam & Ethnici primos Chriſtianos horum ſcelerum inſimularunt, & Acatholici virulenti ſunt in Sacerdotum encomia, zelum, divitiaſque; & quod magis lugendum, in hæc eadem laxiores Chriſtiani haud modicè ſunt amari: Laurentio Cratem paravit & flammas ſperata auri ingluvies; *Romani Pontificis Opulentia*, vetus fuit Proverbium. Ortos à ſæculis Religioſiſſimos Ordines, nec ipſa rerum omnium nuditas ab his accuſationibus potuit liberare, eorum defenſionem ſuſcipere debuerunt celeberrimi Eccle-

ſiæ

ſiæ Doctores, *Angelicus*, atque *Seraphicus.*

Sed *Clangor* increpuit Nonus (*a*) : *Reformanda eſt*, ait, *Jeſuitarum adverſùs iuviſos ſibi Epiſcopos inſolentia*, *abſque veneratione Epiſcopalis Dignitatis ipſorum.*

Itur in antiquam ſylvam : redit accuſans denuò hoc loco Epiſtola Angelopolitana, & paginas implet amplius duodecim : Epiſtolam excipit, & uſque ad extremum halitum Clangorem comitatur *Practica Moralis* : ambo toti ſunt in referendis caſibus novi Orbis, *Moralis* potiſſimùm ; hæc ſcenas inſtaurat combuſti *Theatri*, uſitato ſibi plagio, veteres, damnataſque ſpargit fictiones nihil evincentes, & quibus neque ipſe compilator habeat fidem; ſic enim ſubjungit (*b*) *Sed jam ab Indiis ad Europam tranſeuntes videamus*, *an* SALTEM *ibi Jeſuitæ reprehenſibiles non ſunt*, *de inſolentia adverſus Illmos & Revermos. Epiſcopos*

Pudet illum ſarcinæ ſuæ, & cum mercibus adeò levibus, atque adulterinis onuſtus ex *Indiis* diſceſſerit, ſodalium ſuorum oculos ſollicitat ut Europam *Saltem* circumſpiciant, avidèque perluſtrent, numquam ibi *Saltem* Jeſuitarum in Illmos. Epiſcopos irreverentiam meliores autores poſſint annuntiare.

Primò evocatur Cauſa Epiſcopi *Chalcedonenſis* in Anglia, ſed præter æquum, & extra rem : nam hæc Cauſa omnibus Regularibus fuit communis. De hac intellexit Sedes Apoſtolica, nihil voluit de illa repeti, nec repetam. Omnia quovis idiomate impreſſa ſeu manuſcripta ad hanc Controverſiam, vel directè

[a] Pag. 119, [b] Pag. 37,

directè vel indirectè ſpectantia, Authoritate Apoſtolicâ proſcripta ſunt: addidit S. Con-„gregatio per hoc Decretum nihil ſe inten-„dere ſtatuere de meritis Cauſæ, vel ulli au-„tori, aut operi ignominiam aliquam, vel „notam malæ doctrinæ inferre. Quo jure hæc eadem alii damnaverint, ſiquidem verum eſt damnata fuiſſe aliquando, non excutio.

Santamarium, quem hoc loco appellat, non novi. Si *Santamoreum* intellexit, ſive ut vernaculè indigetatur *Le Journal de Saint Amour*, novi mendacem proſcriptumque: hoc libro de ſe quoque plura mendacia ſparſa eſſe ſcripſit Eminentiſſimus Albizius in volumine *de Inconſtantia in Jure.*

Ex Anglia in Bataviam navigamus: ſecundò, inquit, Illmum. D. *Rovenium*, ſicut & "Illm *Caſtorienſem* in Fœderatis Belgii Provin-"ciis, ſcriptis maledicis inſolenter ſunt per-"ſecuti." Hoc municeps, credo, aut vicinus nuntiavit: ſed, an etiam unà ſcripta illa quiſquam attulit, quæ à nobis facta, & maledica eſſe nuntiant? Si ita eſt, afferri debuerant, ne, ut faciunt, ſinè teſte, ſinè tabulis, ſinè ullo leviſſimo momento, quo aſſerti fidem facerent, declamarent impotentes. An neſciunt adversùs *Ebulidem* ſcriptum fuiſſe, *eam eſſe calumniandi naturam, in crimen vocare omnia, probare verò nihil?*

Nullius partes ago, nullorum privatorum cauſam: hi, ſi Caſtorienſis, [hunc enim potiſſimùm appellatum eſſe volent] ſi hujus, inquam, Illmi. viri cum omnibus opinamen-

tis

tis acquieverunt, id mirum videri non debet, neque enim, quæ ipſius ſunt, omnia Romæ ſunt approbata.

Ad Moderatores noſtros quod attinet cui ſancito à *Caſtorienſi* non ſteterunt? hoc proferant, & doceant de reluctantia, ut eos *inſolentes* fuiſſe ſinè contumelia non effutierint.

Mitto dicere de Perſecutione, quam nobis autoribus adversùs hunc Illm. inſtitutam fuiſſe affirmant: eſt enim Palæmone dignum commentum, quod ſi indigenis narrent, fabula fiant. Quid in iis ditionibus paſsi fuerimus, novit Orbis Catholicus, & novit tacentibus nobis, qui omnino exeſſe maluimus, quàm ibi manere Apoſtolicæ Sedi non obtemperantes.

In Belgium transfretare nos jubet, hìc quoque eâdem phraſi, & fide, *Maledicis ſcriptis inſolenter perſecuti* fuiſſe dicimur Illuſtriſſimos Viros *Jacobum Bænenium* Archiepiſcopum Mechlinienſem, *Antonium Trieſtium* Epiſcopum Gandavenſem.

Dic peregrine, quis eſt ille *Bænenius* quem tu commemoras? Illmum. *Jacobum Boone*, ſi rectè conjicio, indicatum eſſe voluerit. Reverendiſsimus hic Archiepiſcopus, quorum conſiliis, in quæ gravia, moleſtaque negotia inciderit, aut fuerit abductus, oblivisci malo, repetere certè non ſtatui.

Non ignoro inhumanâ præoccupatione omnia in nos tandem fuiſſe conjecta: ſi literis monebat inſtabatque Sereniſsimus Archidux Leopoldus, monebant Jeſuitæ. Si Madrito Imperabat, & urgebat Rex Catholicus,

cus, Imperabant Jesuitæ. Si *Programmata*, *Rationes* &c. damnabat Sedes Apostolica, autoribus damnabat Jesuitis. Si Summus Pontifex infligebat *Suspensionem*, & *Interdictum*, hoc quoque sparsum est operâ Jesuitarum effectum fuisse. Solam efflagitatam, acceptamque horum Absolutionem Jesuitis adscriptam non reperi.

Accusata fuit apud Archiepiscopum multiplex doctrina de moribus, tamquam quæ operâ autorum è Societate prodiisset: reposuerunt apud Archiepiscopum Moderatores „hanc gravem esse Imposturam, quam non „aliter attineret diluere, quàm præcisè ne„gando verum esse, quod falsò impingitur: „quare incumbere probare iis qui hoc asse„runt, ita se rem habere, aut evadere non „posse, quin calumniæ reos se fateantur." De hac probatione post illud tempus innotuit nihil.

Appulit eâ tempestate in Belgium damnatus combustusque Libellus *La Theologie Morale des Jesuites*: ex infami hac Satyra, Illmo Archiepiscopo articuli oblati sunt tandem septemdecim, ut illos veluti opiniones nostras damnari curaret. Res ad tribunal Romanum fuit delata. S. Congregatio ad Illmum. *Mangellum* Bruxellis Internuntium respondit 7. Julii 1655. in hæc verba: *Eminentissimi dixerunt, quod suspenditur Censura donec videantur loca, ex quibus excerptæ sunt Propositiones*: Hæc loca apud accusatos autores reperta non sunt; in nonnullis patuit eos docere contraria:

Præterea

Prætereo libenter, ab adverſariis quandoque de nobis delata fuiſſe ad Illm. Præſulem, quæ adducto teſte integrum fuit falſi redarguere atque convincere.

Quamquam inter hæc omnia, ubi *Quarræus*, quando *van Vianen* (ſingulares Illmi. Viri conſiliarii) quibus teſtibus alii, oſtenderunt *Maledicum*? quando *Inſolens*? quando *Maledicè* & *Inſolenter* in eum exhibuerunt ſuſcitatam perſecutionem? volve illius ætatis monumenta, & ex his, quæ affirmas nos doce, vel obmuteſce.

Hæc tu quoque intelligas velim de Revermo. Gandavenſi *Antonio Trieſt*; quem nos quidem Nobilis, ac perantiquæ apud Flandros Familiæ Illuſtriſſimum Decus fuiſſe meminimus, munificâ pietate in Templa, & paternâ in pauperes elargitione, quotidianâ, gratâque memoriâ celebrem.

In Gallias aſcendimus: *in Gallia*, inquit, *Epiſcopos irreverenti audacia perſecuti ſunt* FERE *omnes*. (*a*)

Tanto hiatu nihil fert dignum: ad duos caſus res omnis delabitur, 1. Ad eos qui librum de *Frequenti Communione*, ut quidem titulus præfert, ſuâ approbatione dignati ſunt. *In hos*, ait, *Immodeſtiſſimis declamationibus velut adversùs hæreticos*, *Statûſque & Religionis peſtes inſurrexerunt*. (a) Injuſta eſt hæc Accuſatio, quia non eſt ſtabilita: dicterium eſt omni probatione deſtitutum. 2. Ad illos deſcendit, qui de *Formula* ab Alexandro VII. præſcripta, aliter ſenſerant, ac reliqui per Gallias

[a] pag. 138. [b] Ibid.

Gallias Episcopi : longæ sunt ambages, & præter hanc rem, quam nunc agimus. Ait Illmos. illos Episcopos à nobis *Calumniis*, *Imposturis*, & *criminationibus falsis* impeditos fuisse: nos item Clementem IX. & Ludovicum XIV. *Malignis Informationibus* & *Molitionibus* adversùs illos *prævenisse*, Pontificem, & Regem in illos *exacerbasse*, (a) & quæ sunt alia desperatæ rabiëi ultima effugia.

* *Liberius* nihil scripsit, quo horum omnium vim aliquam imminueret : unum hoc ait pag. 143. *Flocci me facere* quibus *Clangorem* IX. ipse efformaverat : hoc equidem fateor, illa flocci facio, quia non alio pretio digna sunt. Addit me *omnia* hæc aspernari, *quasi dicteria omni probatione destituta*; poteram id jure fecisse ; non scripsi tamen, nisi de uno casu, cur dicor scripsisse de omnibus? nihil umquam audiemus sinceri? quid juvat in re tantilla fefellisse? *

Proximus in eamdem rem *Clangor X.* varias Episcopales Censuras promittit, *quarum contemptum in Jesuitis nuntiat esse reformandum.* (b) Ipse interim accusator antiquum obtinet, & cui se totum credidit, infidum navigat æquor.

Sola iterum accusat Epistola Angelopolitana, cui se sociam adjungit *Practica Moralis* : sex casus ex Indiis refert in quibus Jesuitæ, de lata in alios excommunicatione, arbitrati esse feruntur, eam ex jure pronuntiatam non fuisse, nec validam. Duo ex tota Europa atque ex sola Gallia exempla commemorat;

(a) Ibid. (b) pag. 139.

morat; alterum ex Diœceli Appamienli, alterum, cui Occalionem fecilſet *Apologia Caſuiſtarum*: utrumque ſuâ fide, nullo accuſationis ſuæ teſte, momento nullo: aliàs ad criſim revocatum eſt utrumque exemplum: *Apologia Caſuiſtarum* adeò noſtra non eſt, ut plures è Societate Theologi varia in ea notaverint, & meritò: Romæ proſcriptam omnes proſcribimus, omnes damnamus. Graviſſimæ injuriæ, quibus impudentiſſimè garrit noſtrorum aliquem affeciſſe Summos Pontifices *Alexandrum VII.* & *Innocentium X.* bene habet quod allatæ ſint à mendaci, quo nomine ſi ſe poſsit liberare, perſonam Societatis indicet, quam hujus criminis ream eſſe demonſtret.

Noluit nos tamen ſine ſingulari caſu dimittere." Contra eoſdem Epiſcopos, *inquit*, Jeſui-„ticæ modeſtiæ debitæque Eccleſiæ Princi-„pibus obſervantiæ inſigne ſpecimen exhi-„buit *Honoratus Fabri* Jeſuita Lugdunenſis, „dum in Apologetico Societatis Tom. 1. ita ſcripſit: *vah! quid non potis ſum de illis Epiſcopis efferre, abſtineo tamen præ modeſtia, & cultu etiam immeritis debito.*

Numquamne ergo licebit tria verba audire ſincera? ſinè fraude, & dolo malo?

Quem tu ô homo eruditè *Tomum primum* commemoras Apologetici *Fabriani*? unus eſt *Tomus* ille, nec de illa materia alter eſt, aut ſecundus: unus ille *Tomus* Apologeticus Lugduni excuſus eſt anno 1670. Editio Colonienſis, in duos Tomos diviſa, multis aliorum opellis aucta, & quæ Lugdunen-

ſi

ſi poſterior eſt, *Honorato Fabri* non debet attribui; lege ibi Typographi Monitionem ad Lectorem, & errores tuos corrige.

✱ Ad hæc iterum mutus hæſit *Liberius.*✱

Quanto autem Lectoris commodo tu indicaſti verba hæc legi poſſe *Tomo primo*; de Parte, Libro, Capite, Paginâ indicandâ nihil ſollicitus? idem enim viſus es agere, ac acum oſtendere, quam qui vellet in horreo quæreret: ✱ Ad hæc reponit urbanè pag. 149. „Inveniſſes, inquit, acum in horreo illo, ſeu „potius putida cloaca, laxitatum veſtrarum „ſi probè quæſiviſſes." Mitte nenias tuas de cloaca laxitatum: ſi quid alicubi oſtenderis, quod diſciplinam morum laxare meritò dicendum eſt, ibi illud rejicimus, ibi repudiamus. Tu cùm ſcriptorem aliquem appellaveris, eum maximè quem accuſas, aut indica ubi habeat, quæ carpis, aut tace: ne nunc quidem *Fabrum* apto loco nos legere juſſiſti. ✱ Reperi tamen, ubi de Epiſcopis illis, ut tu loqueris, ſermonem inſtituat: facit id *Fabri* in *Apologetico* parte 2. cap. 8. pag. 337. Editionis Lugdunenſis quam ſolam autor agnovit. Sed ibi quæ tu objectas planè non habet, ore tuo ſcriptorem illum loquentem induxiſti, non ſuo: verba ejus hæc ſunt. "A cauſa (cur ab aliquibus „Jeſuitæ malè habeantur) prudens abſtineo; „publica eſt, notoria eſt, & innumeri ferè „libelli in hanc rem ſcripti numquàm ita il„lam obſcurabunt, quin palàm ſemper, & „comperta ſit; intelligenti pauca: *Latiſſi„mus certè ſcribendi campus patêret, ſed præ*

„reve-

„*reverentia stylum contineo*, & *sisto.* Hæc inquam, Patris *Fabri* propria verba sunt.

An non hæc longissimè abeunt ab iis, quæ tu illi affingis? * Tametsi res hæc se ipsâ sit clarissima "nihil, inquit pag. 149. affingitur Honorato *Fabri*, quod non dicat in Apologetico Societatis." Ubi ergo, in quo Apologetico? quâ parte? In *Coloniensi* ait, in Confutatione *Præloquii tertii*, *Wendrochii*, ipsi pag. 665. verum ego jam monui Apologeticum *Coloniensem* spurium esse, citari non posse alium præter *Lugdunensem*. Moneo jam præterea Confutationem *Wendrochii*, editaque alia sub nomine *Stubrochii* neque à *Fabro* agnita esse umquam, neque à Societate: notavit id pridem P. *Alegambe* in Bibliotheca. Sed demus quod non est; fuerit horum autor P. *Fabri* ipsius propria verba à *Liberio* non accepimus, sed longè alia, & fraude indignâ composita; atque id quidem de verbis agnovit *Candidus* & correxit se, de hoc egi in *Responso Prævio.* Ait nunc, se prius sensum dedisse, & modò addere P. Honorati *Fabri* ipsissima verba. Utrumque falsum est: proprium sensum dedi supra propriis verbis P. Honorati *Fabri*; quæ nunc affert ne quidem is habet, qui se *Stubrochium* nominavit. Paucis evincam, quod assero. Affirmat *Liberius*, *Stubrochium* in indicata ante Confutatione, exclamare in hæc verba *quàm multa super his* (Episcopis) *dicere valerem*, *sed præ modestia*, & *cultu etiam minus dignis debito abstineo.* Hìc denuò dolus malus est, quem Parenthesi suâ significat apertissimè:

Libe-

Liberius enim hac interjectâ Parenthesi *Relativum* ad *Episcopos* transtulit, quo incautum Lectorem falleret, duceretque in eam opinionem, quasi hoc loco *Episcopi* agnoscerentur *minus digni : Stubrochius Relativum* ad *Episcopos* non transtulit ; indicat siquidem se ipso clarissimus sensus, *Relativum* ad *Notas* referri debere, de quibus proximâ antè lineâ mentionem injecerat.

Itaque mi *Candide* ad te revertor, atque ut dicebam à biennio, nullâ tibi à me illatâ injuriâ, sed ex propriis meritis tuis, tibi respondi in hæc verba : * *Impudentiam tuam nemo est qui non videat, & qui non unà intelligat, quod tibi sit cerebrum, quæ mens, quàm vilis animus, & humano commercio indignus.*

Atque hoc est tandem toto Orbe quæsitum, ex tot Jesuitarum voluminibus excerptum *Insigne specimen*, quo demonstres in Jesuitis reformandam esse adversùs Illmos. Episcopos insolentiam, & Censurarum Episcopalium contemptum. Vah ! quid non potis es tu effutire, quid non meritus es ? quamquàm si tecum judex meritorum tuorum rationes inire voluerit, in pœnas non satis unus eris.

Sed age, quia hac viâ nocere maximè cuperes, & Illmos Ecclesiæ Præsules, quorum Patrocinio Societas obsequia sua optaret esse utilia, in nos velles excitatos, & à nobis animo esse alienos ; cape sedem, & si potes, tantisper impera tibi, ut auscultes ; paucis te volo.

Tametsi nullum à te allatum est instrumentum

tum, cui credere quiſquam debeat, & illis tua interjeceris tu quidem inverecundè, permitto tantiſper hæc alienis narrationibus allata, & Summo Pontifici, aut Regi Catholico expoſita fuiſſe: quid tandem evincunt hæc omnia? Ill^mus. Angelopolitanus queſtus eſt irreverenter ſe habitum fuiſſe: de hac ipſa querela controverſia erat inſtituta, cauſa delata ad Pontificem, examinatumque, an is læſam Reverentiam rectè allegaret, & læſam à Jeſuitis tum Angelopoli commorantibus: quæ lex alicui integrum fecit in propria cauſa pronuntiare judicium?

Pauci per *Indias* Epiſcopi, nunc in aliquos è Societate, nunc in alios plures excommunicationis ſententiam tulerant: iidem queruntur quoſdam Societatis in ſuis Diœceſibus Theologos judicaſſe Cenſuras illas in iis caſibus non tenuiſſe, nec eſſe validas: eſſentne legitimè latæ an ſecus, apud Eminentius Tribunal eſt inquiſitum: fuitne integrum Ill^mis. Viris ſibi jus dicere? & damnare ſibi non conſentientes?

Diſceptatum fuit non ſemel, acriter quoque, quæ juriſdictio, quod Tribunal foret adeundum, quod de ſubortis litibus definiret; aliud Epiſcopis, aliud Jeſuitis aliiſque viſum eſt eſſe deligendum; Pars, Partem ex qua Juris Regula bene condemnat?

Ad hæc tamen omnis devolvitur Declamatio.

Jam verò in his quoque *Indicis* Controverſiis, eſtne una, quam in iis Indiarum Regionibus Jeſuitæ habuerint ſingularem, ſoli,

&

& in ſua cauſa? ut eos potiſſimùm poſſis appellare, reos agere, & condemnare? fac omnem litem omnibus Epiſcopis eſſe adjudicatam (id factum non eſt, pluribus enim articulis exciderunt) & intelligere poteris, non tam Jeſuitas, quàm *Judices Conſervatores*, Capitula, Clerum, Regulares, Vice-Reges, Gubernatores, Magiſtratus causâ ſuâ excidiſſe. In communi oppoſitione, non dicam quæ jura, ſed etiam quæ inter Barbaros uſitata humanitas, paucos aliquos & ſolos, cæteris prætermiſſis, advocavit in crimen? ad hæc petulanter occinere, omnes à Jeſuitis eſſe corruptos, omnes eorum conſiliis duci, obtemperare eorum voluntati, non niſi eorum causâ agere. Id quidem verius eſt nos abſolvere, & ſtultam accuſationem in omnes omnium Ordinum homines transferre, ut qui Deum, animam, atque omnem humanam Poteſtatem poſthabeant Jeſuitis.

Hæc de iis quæ facta ſunt, nunc de illis quæ pronum eſt fieri. Quid magis obvium, quàm, ut ſunt rerum humanarum viciſsitudines, in vaſto hoc Orbe Catholico, in longè diſſitis Regionibus, in Eccleſiis Orientalibus controverſias excitari de uſu, atque exercitio Poteſtatis Epiſcopalis; Character, Dignitas, Poteſtas Epiſcopalis ubique eſt eadem, quia una: unius hujus, & communis poteſtatis non ubique idem eſt exercitium, hoc ſæpe variant perſonæ, locus, tempus, Miniſtri, in quibus omnibus quantopere diverſa plerumque ſunt omnia? hinc tam variæ, tam multiplices illæ contentiones, de quibus

quibus cognoscunt Sacræ Congregationes *de Propaganda Fide*, de *Episcopis*, *&* *Regularibus*, de *Mente Concilii Tridentini*, de *Immunitate Ecclesiastica* &c.

Non est ergo irreverentia in has controversias incidere, quibus sæpe invitos implicat proprii juris tuendi necessitas, qualem nulla Religio, nulla Urbs aliquando non experitur.

Posteaquam autem ad publicum Forum delata contentio est, ut est ingenium humanum, quisque se ferè in *Judicem* erigit, & *Causas* defendit, aut damnat, quas parùm habet perspectas: nemo est, qui non velit ab alterutrius *partibus* stare; apud hoc privatorum Tribunal majoribus animis agitur *Causa*, quàm aut rei æquitas postulet, aut prudentia: zelus sensim se prodit inconsideratior, & nisi clamoribus sapienter concedas, vix aberit, quin gladius in litis definitionem sit advocandus.

Si quis in Pugillares conferre voluerit, quæ sunt eâ tempestate à privatis tumultuariè aut facta, aut dicta, ut alterutrius partem condemnet insolentiæ, is quidem animum suum prodet malevolum, ac injustum, sed aliud nihil erit quod evincat.

Neque igitur hæc quemquam meritò condemnabunt, quæ sunt ab aliis gesta occasione controversiarum:

Hæc rumina, & tecum attentè perpende cùm iterum in Indias navigare volueris.

Præter hæc pauca Orientalia, ac pleraque aliena, nihil habuisti quod adduceres ex Italia,

lia, nihil ex Hispania, aut Germania: in Gallias te recepisti: equidem in manibus habeo, & publica sunt, quæ in casibus ibi subortis omittere non voluerunt è Societate nostra moderatores, ut Ill.mis Episcopis nulla supereſſet ratio querelarum, quæ si rectè examines, & tamen volueris nos arguere, nescio an in illis defectum potius, an excessum, si is in ea re esse posset, meritò liceret accusare; enimverò quos tu irreverentiæ postulas, eosdem alii damnant adulationis. Ita quisque pro affectu contraria vitia nobis affingit.

Ipse *Honoratus Fabri*, quem hoc loco appellasti, rerum Gallicarum apprimè peritus scribere non dubitavit in *Apologetico* pag. 337. *Jesuitæ vix centesimâ Privilegiorum suorum parte utuntur in Gallia; Episcoporum verba, & nutus adorant.*

✱ Hæc ipse refers, interpellat *Liberius*, „quàm acri judicio dicant alii: mihi certè „videris in hoc, sicut & in multis aliis pro-„dere tuam Societatem." Sic est, hæc ipse retuli, certa sunt enim, qualiter scripta sunt, & falsum te probant: Tu repete quàm acri judicio *Honorato Fabri*, aliisque quamplurimis tam turpiter imposueris, ut persuaderes quæ neque sunt, neque fuerunt umquam: de his dixerunt alii, qui *Vindicationes* meas volvere sunt dignati: de stulta proditione jam pridem monui te, & si de his sileres, te proderes minùs. ✱

De B[illegible]icis exemplis intellexisti, quàm ea essent extra rem. Et hæc sunt, quæ ex omni retrò ætate, ex Orbe Universo, ex omnibus

accuſatoribus noſtris tanto ſtudio collegiſti : noli expectare ut tibi iraſcar, nobis potius de te gratulor, quod cùm omnia eructaveris, nihil dixeris.

Ad extremum, fac tibi non excidat obvium in jure titulum eſſe, *De Exceſſibus Prælatorum*: à quibus, & abſunt longiſſimè Illmi. Epiſcopi, & iis vexari nolunt innocentes, nec vexari vult Sedes Apoſtolica, quæ ad eam meritò appellantes, juri ſuo ex meritis cauſæ reſtituit.

Religio Societatis ſibi certum habet fixumque omni ſollicitudine adlaborare, ut Illmis. Eccleſiæ Principibus omnis à ſuis Reverentia ſemper habeatur : optat eos exiguis quibus poſſumus obſequiis prævenire, offerre ipſis adjutores miniſtros, qui ex eorum beneplacito in promovenda Dei gloria, ſtudium atque operam conferant, quantum omnia permittunt diligentem : de noſtro potius, quod fas eſt concedere , quàm ad eorum curas partem aliquam adjicere : conſiliis reverenter auſcultare, obſequi quoque; Epiſcopalem denique Dignitatem pro tenuitate noſtra tueri, defendere, ac propugnare.

Particularium, aut privatorum linguam, calamumque nullus Magiſtratus ſatis continebit, tametſi ex Platonis Regulis ubique ſurgat Reſpublica. Ob privatorum vitia quiſquis traduxerit *Corpus* univerſum, aut communem Familiam, is ſe quidem accuſat, & inhumanæ criminandi libidinis damnat, ſed apud alium nihil perſuadet, niſi fortè apud eum, qui nos omnes totidem *Adamos* eſſe exiſtimet

met, ut singulorum peccata omnibus attribuat.

Da igitur operam ut in medium aliquem adducas, quem reum esse commonstres irreverentiæ erga Illmos. Episcopos, & scies pro merito pœnas laturum. ✱ *Tubicen* talem adduxit neminem, silentio omnia hæc tacitus præterivit.

✱ Videorne nunc tibi, quod asseris pag. 149. nimiùm festinanter Epinicium cecinisse? non existimo: at tu, quem sedere jussi tantisper, cùm de his omnibus, atque universim paucis te commonefacerem, cur scribis te hac ratione citatum fuisse, cùm de sola Accusatione *P.Fabri* te convenirem? Cur ad singulare refertur, quod ego generalioribus præmisi? Cur veluti in unum contextum cogis, atque ad unam rem refers, quæ ego variis locis sum prosecutus? semperne tibi constitutum est fallere? ✱

Ad *Clangores* revertor: Proximus auditur XI. *Rerformandam esse Jesuitarum Inobedientiam, & contumaciam adversùs Ecclesiæ Summorumque Pontificum Decreta sociorum votis adversantia.* (*a*) Atrocissimam hanc calumniam hoc loco denuò instaurat lacinia ex damnato libello, *Artes Jesuiticæ*, hæc totum Clangorem absolvit: Religionem nostram ab his mendaciis vindicavi anno superiore. Quàm primùm de hac contumelia intellexit Societatis nostræ Præpositus Generalis *Michaël Angelus Tamburinus*, cum assistentibus Nationum, & Procuratoribus Provinciarum ejus-

[a] pag. 144.

ejusdem Societatis Romæ Congregatis, apud S. D. N. Clementem XI. P. M. humiliter exposuit 20. Nov. 1711. "Lacerari Societatis universæ nomen indignissimâ hac accusatione, quæ illi majorem inurit dolorem, quàm innumerabiles aliæ accusationes, obtrectationes, & calumniæ contra eamdem fabricari, & disseminari solitæ; & quâ se fatetur ad vivum vulnerari, & pupillam oculi sui tangi.

Eodem libello erga omnes omnium Summorum P. P. Constitutiones amplissimam, & Christi Vicario probatam obedientiæ declarationem subjungit, ac Præpositus Generalis Nomine totius Ordinis "Quocumque optimo ac certissimo modo potest, cum omni asseveratione, ac sinceritate, profitetur ac declarat suæ Sanctitati & Sedi Apostolicæ constantissimum obsequium, reverentissimam submissionem, & obedientiam cæcam in amplectendis, & exequendis quæcumque per eamdem sanctam Sedem Decreta fuerint, & imperata.

Additque: "quod si quis nihilominùs è nostris esset ubicumque terrarum (quod avertant superi) qui aliter sentiret, & loqueretur aut locuturus esset: nam id omnino prævenire, aut impedire nulla satis potest humana prudentia, in tanta subditorum multitudine: declarat, asserit, ac profitetur Præpositus Generalis Nomine totius Societatis, se jam nunc illum reprobare, repudiare, ac meritâ castigandum pœnâ, neque agnoscendum pro vero, & genuino Filio

„ Filio Societatis, illum tamquam degene-
„ rem, & non suum habebit; uti tales sem-
„ per habuit, & modò habet Socieras, &
„ quantum poterit semper comprimet, & con-
„ teret.

„ *Idem vero S. D. N.* ut habet Romæ impressa hæc Declaratio, quam servo, *Supradictos P.P. Præpositum Generalem, nec non Assistentes Nationum, ac Procuratores Provinciarum ejusdem Societatis, quam Sanctitas sua in visceribus gerit Paternæ suæ Charitatis, benignè excepit, oblatamque sibi Declarationem præmissam, typis mandari, ac pervulgari posse permisit.*

Duodecim pòst diebus 2. Dec, 1711. Iterum & singulari Decreto, libellus ille famosus *Artes Jesuiticæ* fuit Proscriptus: vetitum quo-
„ que, ne quis cujuscumque sit Statûs & Condi-
„ tionis, ullo modo, seu quocumque prætextu
„ iterum imprimere, neque imprimi facere,
„ neque jam Impressum apud se retinere, &
„ legere audeat, sub pœnis in Indice Libro-
„ rum Prohibitorum contentis.

Autoritate Apostolicâ emanatam Prohibitionem nihil hic homo reveritus est, qui sedens meditatus est iniquitatem in cubili suo, ut colligeret, & imprimi faceret, omnia imprimi vetita, & omnium oculis iterum subjiceret, quæ utraque Potestas jam dudum omnibus voluit esse erepta. Equidem furori suo exlegem illum permitto, qui omne frænum excussit:

Qui hoc loco nos accusat, postulo, ut unam proferat Definitionem Apostolicam, cui non steterit Societas, quod si eam proferre non potest, ut certè potuit nullus, * (Quo


mutus

par les faussetez dont il se trouve remplis, par le ramas qui a eté malicieusement fait d'une infinité de memoires inventez à plaisir, & de pieces supposées, il est aisé de juger, aussi bien que par les termes d'aigreur, & les mots injurieux dont l'autheur s'est servi, qu'il a eu dessein de decrier la Societé, & la conduite des Jesuites.

Quartus Decimus affirmat (a) Reformanda esse *Secreta Jesuitarum Monita, utpote Vulpinas Instructiones.*

1. Divulgata illa Monita non vulpinæ, sed Impiæ sunt Instructiones, has omnes Societas execratur & damnat, neque cum iis plus aliquid habet commune, quam cum Mahometis Alcorano, aut si quid est illo aliud Christiano magis indignum. ✱ De his dixi pluribus in *Responso Prævio.* Ad cætera *Candidus* tacuit. ✱

[a] pag. 172.



CA-

§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Excutiuntur Clangores *Reliqui*, *& Plurima eorum vitia Exhibentur.*

EXtra Europam evocat nos *Clangor* XV. Ibi, inquit, *Reformandus in Jesuitis Modus Prædicandi Infidelibus Evangelium, parùm Apostolicus.*

Miror equidem hanc Confessionem, quâ nos *Evangelium* Infidelibus prædicare fatentur, hoc enim faciunt præter usitatum, *Modum* igitur Prædicationis arguunt, & tribus ex Instrumentis, quibus omnem accusationem stabiliunt: Instrumenta hæc sunt.

1. *Memoriale R.P. Didaci Collado.*
2. *Theatrum Jesuiticum.*
3. *Moralis Practica*; *Tom.* 2.

Hæc Folia pridem Authoritate Apostolicâ proscripta sunt, & Regiâ Autoritate punita: contumaciæ reus est, quisquis ea pergit allegare, quorum fidem elevavit publicum supplicium.

Vesanas horum contumelias brevibus complexus est *Jurius* Minister Hæreticus: *Les Jesuites*, ait ille, *vont dans l'Orient, non pour conquerir des Royaumes à Jesu Christ, mais pour y faire leur fortune, pour s'avancer dans les Cours des Roys, pour être Vice-Roy, & Gouverneur des Provinces, pour s'enrichir par le*

plus.

plus grand trafic qui se fasse dans l'Orient, pour y vivre délicieusement, & dans les plaisirs.

Fidem hæc facilè inveniunt apud eos, qui se furori suo totos permiserunt. Cæteri, quorum rabies necdum omnem rationem extinxit, intelligent hæc admodùm stultè esse excogitata, neque toties vitam ultimo discrimini exponi debere, ut quis scelerum monstrum evadat: si quibus Religiosa vita, & Jugum Domini grave esse cæpit, non illi ad Barbaras, & longè dissitas Nationes anhelant, non Oceani periculis se illi objiciunt, habent viciniores Regiones, in quas se recipiant, ubi minori compendio, majori licentiâ mollescunt, & luctuosissimo genio indulgent, donec qui Deum spreverunt *misericordem*, ipsi *Justum* tandem miseri experiantur.

Omnes, quibus integra mens est, neque præoccupata, compertissimum habent, deliros nos fore, si humanis omnibus nuntium remitteremus aliam ob causam, quàm uni Cœlo adipiscendo: fatuos autem, si Patriæ, Consanguineis, Notis omnibus æternùm vale diceremus, ut omnibus tempestatibus erepti, in ignoto Orbe, turpi crimine, Cœlum nobis volentes occluderemus: qui enim nostratia non planè ignorant, sciunt ad Missionum Apostolicos labores neminem admitti, nisi qui eos bene postulaverit.

Amens sim si his contumeliis aliud reposuero: nemo à me impetrabit, ut Controversiis Chinensibus me implicem: de iis Silentium indixit summus Pontifex, hoc certum est observare: Accusatores non imitabor, qui Chris-

ti Jesu Vicarios tanti faciunt, quanti lubet, & eorum authoritatem quotidianis libellis, quibus nos lacerant, rident atque contemnunt: Declarationi, quam Nomine Societatis illius Præpositus Generalis *Michaël Angelus Tamburinus* apud Sedem Apostolicam exhibuit, & quæ volente Summo Pontifice publica est, omnes Societatis subditi subscribimus. Una hæc Societatis voluntas est, ad infallibilis judicis Definitionem actiones suas accomodare, atque hanc Regulam habere in omnibus ad Fidem spectantibus, in quorum terminatione, ex Divina Promissione certum est Pontificem non aberraturum, aut Orbem Catholicum falsa docturum esse.

Jurium Hæreticum, & ei in hoc negotio consentientes, tametsi hìc calumnientur impudentissimè, non redarguam: possem id quidem nullo negotio, si de Dei Beneficiis, de Apostolico in novo Orbe laborantium zelo, de exantlatis laboribus, de itineribus ad inhospitales montes, per ardentes arenas, de inedia, & nuditate in specubus, & tuguriolis, de frequentia in Nosocomiis inter viva cadavera, de perpessis carceribus, de atrocissimis Persecutionibus, de sanguine largè profuso, de inhumanis tormentis, quæ cùm aliter non possent, morte denique superarunt, si de his Dei gratiis ex innumeris paucas excerperem: sed multis hoc voluminibus præstitum est, nequè hæc omnes Hæretici ignorant: non tamen hoc agam, quia non ita desipio, ut Margaritas Porcis objiciam:

Quæro ex Monitoribus.

1. Quinam de his criminibus, quibus nos onerant, intelligere debuerunt magis è vicino? quinam singula magis habere perspecta? Summi Pontifices, credo, ac Reges, Catholicus, Christianissimus, & Lusitaniæ: in horum enim Ditionibus, si paucissimos excipias, omnes degunt.

Quin igitur legunt nobis punitiones, quibus hi omnes, ut par erat, atque ex officio, in operarios illos iniquitatis, quales describuntur animadverterint? ubi prohibuerint, ne his prævaricatoribus ex eadem Societate se alii adjungerent? quo tempore indicaverint nos suspicionem eorum scelerum apud eos incurrisse?

Imò horum omnium Testimonia prostant, quæ quanti facerent Religionis nostræ heroicos illos labores probè commonstrant: prostant Brevia Urbani VIII. anni 1616. prostant literæ Alexandri VII. 1655. *Decretum* datum anno 1656. & *Breve* 1664. item Decretum Clementis IX. Item *Breve* Innocentii XI. datum 3. Dec. 1681. ad *P. Ferdinandum Verbiest*: antiquiora in Historiis nostris sunt obvia: plura, aliâ opportunitate sunt indicata. Integra volumina excerpi possunt ex Annalibus Conciliorum Indicorum, ex his cognosci potest, quo loco ibi consistamus; quæ sint munia nostra, quos fructus, quàm uberes, Dei gratia in agro illo suscitaverit, & conservet.

Quæro 2. Quandonàm magis inutiles, & perniciosi operarii traducti fuimus, ac cùm agitaretur controversia illa Angelopolitana? atqui

atqui hoc ipſo tempore, de ea cauſa Inſtituta Congregatio S. R. Eccleſiæ Cardinalium, Romæ 16. Aprilis 1648 ſcribebat in hæc verba, quæ ipſa antè atque alia ex cauſa iterum attulimus. „Cæterum S. Congregatio ſeriò in Domino hortatur, ac monet Epiſcopum, ut Chriſtianæ manſuetudinis memor „erga Societatem Jeſu, *quæ laudabili ſuo* „*Inſtituto in Eccleſia Dei tam fructuosè labo*„*ravit, ac ſine intermiſsione laborat*, Paterno „ſe gerat affectu, eamque in Regimine Ec„cleſiæ ſuæ perutilem adjutricem agnoſcat. Ac iterum in eodem negotio nomine Pontificis Bernardinus Cardinalis *Spada* Kal. Jan. 1652.

"Te etiam, atque etiam hortatur (ad Illm. Epiſcopum Angelopolitanum verba ſua dirigit) ut eâ, quâ decet tam laudabilem proficu„umque Ordinem exiſtimatione Religioſam „hanc Familiam in vinea Domini ſummo cum „fructu, ac labore deſudantem Paternâ chari„tate amplectaris ac foveas.

Quis vehementiùs has criminationes aut Inſtituit ipſe, aut paſſus eſt urgeri, ac notiſſimus adverſariis in *Paraquaria* Epiſcopus? quæ tamen retractari potuerunt apertius? accipe Retractationis monumentum ex reſipiſcentis voluntate vulgatum; Gallicum profero, quia aliud ad manum non eſt, ſic habet:

Re-

Retractation de *D. Gabriel de Cuellar & Mosquera* Secretaire de *D. Bernardin de Cardenas.*

JE Dom Gabriel de Cuellar, & Mosquera *Capitaine, Bourgeois, & Tresorier de la sainte Croisade en la Ville* De l'Assomption *Capitale de Provinces, & Gouvernement du* Paraguay, *& de* Rio de la Plata, *pour rendre temoignage à la Verité pour décharger ma Conscience, & pour faire reparation à tous les Peres de la Compagnie de Jesus, qui ont esté, & qui sont dans cette Province de* Paraguay, *fais à sçavoir à tous ceux qui verront la Presente declaration, que toute ma vie j'ay Pratiqué ces Religieux tant en Espagne, que dans la dite Province, & me suis toujours confessé à eux: parce que je les ay trouvé d'une doctrine saine, d'un grand Zéle du salut des ames, & d'une vertu exemplaire. Parmi ceux que j'ay connu dans ces Provinces, il y en avoit d'etrangers, d'autres Espagnols, quelques uns natifs du Pais: mais les uns & les autres sont entierement devoüez au service de Dieu & tres-fidelles au Roy, augmentans par le grand nombre d'Indiens idolâtres, q'uils convertissent, & qu'ils instruisent, non seulement la Religion Chrestienne, mais aussi l'Empire de sa Majesté. Aussi est il vray de tous ces Peres en general, & de chacun d'eux en particulier, qu'ils édifient extremement par leur modestie, leur sagesse, & leur pieté tous les habitans* de

de ces Provinces, qu'ils y accommodent tous les differends, qu'ils empeschent les crimes, & les scandales publics: qu'ils visitent les malades, & pourvoient avec beaucoup de charité à tous leurs besoins Spirituels, & temporels, qu'ils aiment, & qu'ils protegent selon leur pouvoir les gens de bien, qui ont soin de leur propre salut, & de celui de leurs familles: tel qu'est le Mestre de Camp Sebastien de Leon *avec ses parens, ses amis. Tout ce qu'on à publiè au contraire touchant les Jesuites ne sont que de calomnies de Personnes aveuglees par leur passion.* Pour *moy, le Seigneur Evesque N. m'a fait ressentir les rigoureux effets de la sienne, en me faisant perdre mes biens & mon repos par ses excommunications, & par les amendes à quoy il me condamnoit. Je luy voyois encore traitter de la mesme maniere d'autres habitans de plus considerables: & ainsi l'extreme crainte que je conçeus de ses violences, jointe à ce que j'en avois desja éprouvé, m'ayant fait consentir à le servir en qualité de Secretaire, & de son Procureur General contres les Peres de la Compagnie, je me suis soumis à faire, à dire, à écrire, à deposer contre eux tout ce qu'à voulù le dit Seigneur Evesque; & qui plus est, à engager d'autres Bourgeois de la Ville de* l'Assomption *à en faire de mesme, tout à l'aveugle & sans examiner si ce qu'ils signoient estoit vray ou faux: quoyque je sois persuadè en Conscience qu'on imposoit à ces Peres des choses qui ne furent jamais, & que cé n'estoit qu'un effet de la Pas-*

Passion dudit Seigneur. Car pour tout ce qui s'est dit & écrit de ces Peres, qu'ils manquoient de fidelité envers le Roy nostre Maistre, qu'ils avoient usurpé des mines dont ils tiroient de l'or, pour l'envoyer dans les Pais étrangers, qu'ils vouloient soustraire ces Provinces à la Domination de S. M qu'ils estoient Schismatiques, Heretiques, Perturbateurs du repos public, scandaleux, & préjudiciables à l'état : ce sont de tres-grandes faussetez : & je voudrois avoir la voix assez forte pour me faire entendre de tout l'univers, & pour detruire les calomnies, que je leur ay faites par les actes publics, que j'ay soucrits, & que j'ay fait soucrire dans la Ville de l'Assomption *à trente-cinq Personnes, qui ont signé sous le nom d'autruy, comme j'ay moy même signé au Lieu de mon Fils* D. Joseph de Cuellar & Mosquera *qui estoit âgé seulement de sept ans. Tout cela & tout le reste qui paroist sous mon Nom à été fait par l'ordre dudit Seigneur Evesque, qui me l'a commandé en qualité de Gouverneur & de Capitaine General de la ditte Province* Du Paraguay, *& au nom de S. M. sous peine de la vie, & d'être puni comme traistre. Ainsi il est plutôt coupable que moy de tout le mal que j'ay commis, puisque je n'ay fait que luy obeir comme Sujet du Roy mon Seigneur: mais je voudrois presentement avoir perdu les biens, & la vie, & n'en avoir pas usé de la sorte, sçachant que toutes ces Procedures estoient contre la Loy de Dieu, contre la verité, & contre une Sainte Religion. C'est ce que j'at-*

te-

ſte avec Serment devant le Crucifix demandant humblement pardon au R. P. Provincial, à tous les Peres Jeſuites, & à tous les autres que j'ay ſcandaliſez par cette conduite, & pour decharger ma conſcience, je ſouhaite qu'on faſſe plusieurs Copies de la preſente Retractation, pour en envoyer dans tous les Païs, & devant tous les Tribunaux, ou la dite Compagnie en aura beſoin. Et afin de donner toute l'autorité neceſſaire à cette Declaration, je l'ay ſignée devant Notaire, & en preſence des témoins ſouſſignez. Thomas de Medina, Valentin d'Eſcobar Becerra, & Antoine Amorin *Clercs. A. Corduë (de Tucumam) le 8. Nov. 1651. J'ai écrit de ma propre main la preſente Declaration, & ay Signé*

D. Gabriël de Cuellar & Moſquera.

Si quis in hunc ſenſum plura deſiderat habeo ad manum.

Quæro 3. tametſi compertum haberemus juſtas eſſe has Criminationes, quas nunc Bonis omnibus certum eſt vix ullâ parte fuiſſe ſinceras, quo ſpiritu, quo Apoſtolico exemplo, Aſiatica illa, & Americana; apud Europæum vulgus occinitis? Quid hi tandem de longinquis illis poſſunt arbitrari, quid ſtatuere de incognitis,quâ æquitate damnare non auditos? Quid ipſi de peregrinis illis intelligunt? tantumdem nempe, ac *Malabarici* poſſunt arbitrari de juſtitia *Cambii Genuenſis*, aut de æquitate *Montium Piëtatis* in Belgio. Sed ex longinquo tutius eſt mendacium; hinc merces illæ ex novo Orbe advehuntur, ut in Europa minore veneant diſcrimine, ac timore.

Cur tamen iis admiſcentur tam inepta, tam falſa? an non enim eſt ineptiſsimum Miſsionarios ex Religione noſtra arguere, quòd à modo prædicandi Apoſtolico defecerint, quia artes Mathematicas populos illos docuerunt, quas Apoſtoli non explicarunt? quamquàm ego me met fallo, non eſt hoc ineptum, ſed planè aptiſſimum, ut ignorare non volentes, non dicam intelligere, ſed integrâ manu palpare poſſint eorum genium, ſpiritumque, qui nos condemnant.

Eumdem luctuoſiſſimum genium demonſtrat Pronuntiatum hoc falſum, quod in hæc verba ſubjungitur: *Jeſuitis Summus Pontifex commendavit, commendavit, inquam, ut linguâ Sinicâ Miſſas ibi celebrarent.*

Sub oculis habeo inſtrumenta authentica, Romæ manu Notarii Apoſtolici ſignata, & Sigillo ſuo munita 12. Junii 1712. Hæc demonſtrant Anno 1658. ex Parte Epiſcoporum ex Regno Galliæ quæſitum fuiſſe de permittendo, ut in Imperio Chinenſi Divina Officia patrio eorum idiomate peragi poſſent: hanc Quæſtionem pluribus diſputationibus fuiſſe diſcuſſam. Pro affirmativa ſtetiſſe *P. Honoratum Fabri* ex Societate Jeſu aſſumptum Theologum; pro Negativa *P. Chriſtianum Lupum* ex Ord. S. Auguſtini. Huic adſtipulatum eſſe Cardinalem *Albizium*: Sacram denique Congregationem ſuper hujuſmodi negotio reſolutionem capere non voluiſſe. Igitur ediſſerant quo tempore, & à quo Pontifice legitima nobis tradita ſit facultas Sinicum idioma adhibendi in Divinis Officiis, qui tam inconſideratè affirmant id nobis à Pontifice fuiſſe

commendatum. ✱ Sed *Tubicen* noſter non ſaltat, ubi Rhodus eſt. "Faſtidiosè, inquit pag. 191. hæc rejicit *P. Huylenbroucq* : non magis ipſum feriunt quam color aliquis cæ„cum, adeò obtuſa ipſi mens, ne dicam de„pravata." Rejicio fateor, quia demonſtravi eſſe rejicienda : faſtum odi, dico quod res eſt, & ita dico, ut quid reſponderit, non viderim : quæ mihi mens ſit dicent alii : quæ *Liberius* collegit, me planè non feriunt, atque hoc etiam fateor, quia quo feriτent non habent, & evici non habere; ſi cui ſana mens eſt, aut Reſponſionibus meis ſtudebit occurrere, aut deſinet accuſare : *Liberius* neutrum præſtitit; cùm nihil ipſe habeat, ad alia me mittit : "Adeat, inquit, ſcripta à quinde„cim annis edita à Miſſionariis, & ſi fieri „poteſt intelligat." Adeat illa cui integrum eſt, & quæ hinc inde emanarunt perpendat: unam Partem nemo umquam audivit bene. Ego meis inſiſto, hæc iterum legat *Liberius*, & oſtendat ubi deficiant, quod ſi non poteſt, reddat gloriam Deo, & æmulatus Cariſmata meliora, fateatur ſe idoneos prædicando Infidelibus Evangelio Miniſtros immeritis accuſationibus oneraſſe. ✱

Clangores duos proximos prætereo, ordine decimum ſextum, & decimum ſeptimum : priori titulus eſt, *In Jeſuitis reformanda eſt effrænis mentiendi, & alios ſibi inviſos calumniandi licentia.* Alteri : *Reformandam eſſe in Jeſuitis mentiendi calumniandique Licentiam, pluribus aliis exemplis demonſtratur.*

Tria Imprimis faciunt ne phræneticum illum

lum furorem aliquâ digner attentione.

1. Ipsius met Buccinatoris ipso in limine, & primis lineis malignum mendacium: *Jesuitæ*, inquit, *In Scholis, Libris, & Thesibus suis docere ausi sunt, esse probabile, quod mortaliter non peccet, qui in defensionem honoris injustè læsi, falsum alteri crimen scienter Imponit.* Ostendat si potest, se non Imponere: Scholas, Libros, Theses indicet, quæ universalem illam propositionem, & qualiter affertur, tamquam in praxi licitam doceant, aut defendant: nominet, qui illam propugnent singulares, & contra aliarum Scholarum Patronos, aut autores. Accedit eâdem paginâ 186. ab ipso distinctis literis indicari Sententiam *P. Thomæ Tamburini* quam is tradere affirmatur *Lib.* 9, *In Decalogum. cap.* 2. §. 8., hoc loco delinquit in multis: 1. Non est in eo Capite ullus Paragraphus octavus: 2. Sententia prout *In Tuba Magna* recitatur, exstat nullibi: alia addita sunt, alia dempta: 3. Interpretatio est contra expressam mentem Autoris: 4. *Tamburinus*, de casu, quem sibi proponit, & qui longè alius est, ac hìc explicatur omninò respondere non voluit: *Tamburini* verba sunt, *Libenter nodum hunc in aliud tempus evolvendum reservo.*

* Ecquid ad hæc *Liberius*? Num fortè horum aliquid ita se non habet? minimè, nihil horum ausus est attingere, & Paragraphum non amplius citavit 8m., sed 2m. Verùm quid ad rem ipsam; quid? Nihil uti debebat. "Consulat, ait, P. Huylenbroucq *Gasparem Hurtado*, *Tamburinum* „apud *Caramuelem*." Ne hoc lepidum est?

autores ego apud se lego, non apud alios. Honoratum *Fabri* apud *Quenellum* nullius facio. Consulat *Liberius* ipsum *Tamburinum*, & desinat eum accusare falsò. Apologiam Casuistarum Societas suam non agnoscit; quam ipsa doctrinam hoc loco tradiderit, demonstravit *P. Joannes Pollenter*. In opere ante indicato. ✱

2. Ejusdem Buccinatoris fraus Luctuosa, quâ subdolè tentat evadere, & illudere incautis, dum multis contendit, hæresis Jansenianæ suspicionem incurrere non posse eum, „qui palàm profitetur, & jurat, toto se corde „damnare non solùm V. Propositiones dam-„natas, quocumque in Libro existent, etiam „Si Exstent in Jansenio; nec ad ullum de-„veniunt signum externum Professioni illi „contrarium." Fallit, & decipit se homo inconsideratus: speciosa illa Professio est maligna, & fallax: Qui negat, Calviniani Libri sensum damnatum ut Hæreticum se uti talem velle damnare, ille Hæreticus est, ille Calvinista est. Qui negat, Janseniani Libri sensum damnatum ut Hæreticum se uti talem velle damnare, ille Hæreticus est, ille Jansenista est. ✱ Contra hæc verbum hiscere *Tubicen* ausus non fuit. ✱

Omnes Hæretici profitentur damnare se omnes errores, omnem Doctrinam Sancto Christi Evangelio contrariam, quocumque in Libro exstent, etiam in Luthero, & Calvino, Si Exstent in Luthero errores, aut in Calvino: hac Professione, infelicissimam Notam Hæreseos à se non avertunt. Quoties negant

negant Lutherani, aut Calviniani Libri sensum, damnatum ut Hæreticum, se uti talem velle damnare, toties deveniunt ad signum externum Professioni illi contrarium. Prætexent igitur quotquot voluerint, jurare se, toto se corde damnare, non solum V. Propositiones damnatas ab Innocentio X. Alexandro VII. Clemente XI., sed & alias Hæreses omnes ab Ecclesia damnatas, quocumque in Libro exstent, etiam in Jansenio, SI EXSTENT in Jansenio; neque tamen Hæresis crimine se liberabunt, si pertinaciter recusaverint, Janseniani Libri sensum damnatum ut Hæreticum, se uti talem velle damnare: quoties hoc recusaverint, toties devenerint ad signum externum Professioni illi contrarium.

Huc omnis res redit: Janseniani Libri sensus damnatus ut Hæreticus, aut pariter uti talis debet damnari, aut ista damnatio recusari. Qui Janseniani Libri sensum damnatum ut Hæreticum, uti talem sincerè condemnat, ille hâc parte Catholicus est, ille Jansenianus non est. Qui Janseniani Libri sensum damnatum ut Hæreticum, uti talem damnare recusat, ille Hæreticus est, ille Jansenianus est. Quemadmodum, & qui Calviniani Libri sensum damnatum ut Hæreticum, uti talem damnare recusat, ille Hæreticus est, ille Calvinianus est. Dicam de hoc iterum Parte 2. Cap. 1.

3. Ne ad duos illos Clangores responde-am, facit audax Declamatio Apologetica pro exautorato Antonio Arnaldo adversùs Sorbo-

Sorbonam : de illa curare poterunt qui debent; punienda illa Parerga, uti dixi, prætereo : primis lineis mendacem, quibus alios mendacii postulat, responso non dignor.

Clangor Decimus octavus monet *Reformandam, seu potius deprimendam nimiam Jesuitarum Potentiam.*

Causa iisdem actoribus agitur : Accusant *Epistola Angelopolitana, Theatrum Jesuiticum, Juniperus de Ancona, Moralis Practica*, & qui ex his fontibus alii easdem recinunt semper, & rauco repetunt clamore querelas.

Equidem quoties apud me repeto, atquè invicem omnia compono, quæ Adversarii de nobis divulgant, tam sunt inter se pugnantia, tam absona, ut ipsos met testes habeam, se illa minimè in animum inducere, quæ tam liberaliter effutire non reformidant. Quid enim? si illos audimus, Jesuitæ tam sunt potentes, *Ut & Episcopis, & ipsis met Romanis Pontificibus, & Regibus, ac Principibus, & hominibus universis formidabiles sint.* (*a*) Horum item judicio Jesuitæ tam sunt scelesti, ut doceant licitum esse in defensionem honoris sui injustè læsi falsum crimen scienter alteri imponere. Licitum esse occidere injuriosa publicantem de Societate : In Hispania, in Indiis neminem sibi non timere à Jesuitarum veneno, & oppressione. *Il n'y à personne*, inquiunt, *Et en Espagne & aux Indes, qui ne craigne leur poison, & leur violences.* (*b*)

An ergo etiamnum aliqui liberè respirant, qui

[a] pag. 256. (b) Mor. Prat. Tom 2. pag. 200.

qui adversùs nos hiſcere audeant? an non contabeſcunt, aut jacent perempti? profectò ſi vivunt illi, qui tela ſua in nos dirigunt aperto marte, qui omnem aciem intendunt, ut nos feriant, ipſis teſtibus, aut Potentes non ſumus, aut non ſumus Scelesti, alterutro nos liberant, aut ſcelere, aut potentiâ.

SI tales nos verè exiſtimant, quales nos eſſe deblaterant, quis Impugnatoribus noſtris vivit fortunatior, quis audentior? fortunatior inquam, utpote qui tantæ potentiæ tam vaſtæ, tam latè diffuſæ ſubducere ſe potuerit; audentior quidem, qui tam numeroſam cohortem, tam impiè obfirmatam, cui ludus ſit homines tollere & mille necandi artes, cujus Inſignia clament ubiquè, *Omne licet quidquid lubet*, laceſſere non pertimeſcat.

An totum corpus æs triplex eis ita defendit, ut vulneri non pateat locus? an ipſi de vita ſua tam parum ſunt ſolliciti? quando undiquè conjurati ipſos circumſtant, & intenti momentum exſpectant, ut involent in prædam, comprenſamque dilacerent miſerrimè?

Quin tandem fatentur quod res eſt, aut ſenſibus ſe eſſe deſtitutos, qui ex hac Pharetra telum emendicant, aut veſanâ ſe agi intemperie.

Ventum eſt ad Poſtremam Criminationem: Inſonat *Clangor* Decimus nonus, *Reformandam eſſe in Jeſuitis nimiam opinandi Licentiam.*

Unus hoc loco teſtis adducitur, qui de nimia illa opinandi licentia teſtimonium deponat; unus ille teſtis damnatus eſt, & publi-

câ

câ punitione famosus *Magister Franciscus Roales*. In auxilium advocatur *Christianus Aletophilus*, ad hujus *Artes Jesuiticas* remittitur, tamquàm quæ rem in titulo propositam sint evicturæ: Satyram illam, qualis erat, omnium oculis exposui mendacem, & calumniosam: eamdem Sedes Apostolica semel damnavit, ac iterum: eamdem Universitas Lovaniensis flammis adjudicatam proscripsit, & singulari Decreto perstrinxit.

Profertur ex damnata *Morali Practica* lacinia centies decantata Epistolæ *Mutii Vitelleschi* Præpositi Generalis: item altera ex eadem sentina toties repetitæ Epistolæ *Angelopolitanæ*, quæ hoc solo opere propemodum tertiò est recitata, nunc integra, nunc membratim. Hæc omnem officinam exhauriunt, aliud quod objiciant, non afferunt.

Duo de hac Reprehensione subjungam, alterum de Accusatoribus, alterum de nobis.

Ac primò. Ingemiscit Orbis Catholicus ad multorum nos accusantium non opinandi modò, sed operandi luctuosissimam licentiam: nisi enim Deum non pertimescant, opere suo, & usitatâ praxi docent licitum esse.

Proscriptos, & Damnatos Libellos legi, retineri, imprimi vetitos, iterum typis edere, vulgare, eos tamquàm testes adducere, & eorum suffragiis pronuntiata sua stabilire.

Ecclesiasticas, & Regias Leges liberè calcare, & spernere; in edendis, disseminandisque Libris nullas curare.

Non

Non alios ferè magis laudare, aut majoris facere, ac illos in quos suprema Autoritas animadvertit, aut quarum fidem publico Instrumento elevavit.

Omnem potestatem injuriosè perstringere, quoties ab ea in eorum Sodales Decretum aliquod, aut Mandatum emanavit.

Constitutionibus Pontificiis, nunc his, nunc aliis effugiis illudere: alias ex aliis interjicere Quæstiones: Ecclesiasticam Potestatem cum Regia Potestate committere: tandem nulli obedire, sed ad proprium Spiritum appellare, & hujus dictamini contumaciter inhærere.

Procul, & ex ultimis Orbis finibus evocata facta, nullis aptis testibus comprobare, fabulas fabulis agglomerare; easdem pro arbitrio fictas apud vulgus occinere: sæpius dilutas calumnias continuò repetere; integræ Religioni adscribere, quæ pauci, & privati alicubi deliquissent.

In Accusatis virorum Religiosorum scriptionibus alia adjungere, alia subticere, immutare, invertere, quæ displicuerint: ipsis autoribus sententias attribuere ab eorum sensis multùm sæpè alienas: rescindere quæ sensum explanant, præterire adjuncta, & opinionem comitantia: non numquam ex integro falsa effingere, atque affirmare illa ab iis propugnari, à quibus constanter abhorruerunt.

Post hæc omnia in Delictis illis sordescere, Censuras Ecclesiasticas minimè curare, omne jugum excutere, ac denique turmam componere, cujus Characterem Rex Christianissimus

ſimus Regio Decreto 30. Jan. 1705. his verbis expreſſit.

1. *Gens de Caballe.*
2. *Attachez à des Nouveautez dangereuſes.*
3. *Indociles aux avertiſſements des Superieurs.*
4. *Rebelles à ſes Ordonnances.*

Nunc quod ad nos attinet, ita habeto.

Summum Pontificem, Controverſiarum, quæ ſpectant ad Religionem, Infallibilem judicem agnoſcimus: quamcumque Propoſitionem Damnavit, omnes Damnamus, in quocumque Autore doctrina aliqua fuerit proſcripta, (non dicam *Si ibi exſtet illa doctrina*) ſed in quocumque fuerit proſcripta, in eodem eamdem omnes proſcribimus, & eo modo, ac ſenſu deteſtamur, quo id definitione Apoſtolicâ fieri jubetur,

Si quis ſemel à Romano Pontifice condemnata, poſt Pronuntiatæ hujus ſententiæ notitiam, eadem tradere, probare, aut propugnare temerè præſumpſerit, id eum ſinè peccato tacere non poſſe, omnes ſentimus.

Religio Societatis Jeſu, ne qui ſubditi ſui peccent nimiâ opinandi licentiâ Legibus ſuis inculcat, ac cavet: per Moderatores, alioſque in eam rem conſtitutos invigilat: Legum tranſgreſſores, ſi qui tales probentur, pro delicti gravitate repræhendit, & emendatis ne relabantur, omnem, quantum in ipſa eſt, eripit occaſionem.

Scriptores Societatis tanti facimus, quanti valent; tantum perſuadent, quantum impetrant momenta: nullius placitis alligamur: ex illis quiſque defendit, quæ probat, quæ minùs

minùs arrident, aut præterit, aut impugnat; in unius veritatis inquisitionem incumbimus: nihil sentimus coacti.

De Accusatoribus Scriptorum nostrorum non pauca meritò queri possemus; Censores sunt enim minimè justi: neque emendandi, sed nocendi causâ aliena volumina perscrutantur: accusant fide non bonâ neque sincerè; veriùs componunt, quæ reprehendant, quàm bene commonstrent quæ debeant castigari: si quid alicubi intra Scholasticas contentiones securiùs fuerit pronuntiatum, aut fortè etiam oscitanter, aut minùs circumspectè, tametsi de docentis Catholico sensu nemini possit esse dubium, per universam Europam ex omni angulo personant clamores: prosilit in medium Jesuiticæ Hæresis denuntiator: prodeunt è scriniis accusationum loci communes, Libelli, Epistolæ, judicia sparguntur, quasi de summo negotio res fuerit, quam si per otium licuerit ad originem suam referre, senties ex ridiculo Mure subitò natum Elephantem.

Postulo equidem ut qui tam apertè omnem operam eò conferunt, ut nos divertant, edisserant tandem aliquando & doceant Orbem Catholicum.

1. Quo jure, quo dictamine Conscientiæ post tot Superiorum prohibitiones, in Testimonium contra nos pergunt nominari, qui publico judicio sunt Infames.

2. Tanto tempore, vix intermisso furore acerrima undique in nos tempestas desæviit: ubique est inquisitum, si quid fortè se offer-

ret quod arguerent; Quæ tandem expressa Propositio nominati alicujus scriptoris, aut libri, à Sede Apostolica, in illius libri sensu, & quem ipsa met verba præ se ferunt, publicatâ Constitutione fuit damnata? Quæ alicubi damnata est à Sede Apostolica, quam non proscripsit Universa Societas?

3. Quâ fronte tamquàm perniciosis libris annumerantur, qui sanctorum elogio sunt commendati? Scandalosa Satyra *Artes Jesuiticæ*, primo loco accusat librum *Valerii Reginaldi*; contrà *S. Franciscus Salesius* Tom. 1. pag. 1315. *Le Pere Valere Reginald*, inquit, *de la Compagnie de Jesus Lecteur en Theologie à Dole, a nouvellement mis en lumiere un Livre de la Prudence des Confesseurs, qui sera grandement util à ceux qui le liront.* Alibi arguitur *Toletus*; de hoc idem Sanctus Episcopum instruens ita sunjungit. *En tant qu'Evêque, pour vous aider à la conduite de vos affaires aiez le livre des cas de Conscience du Cardinal Tolet, & les voiez fort, il est court, aisé, & assuré.*

4. Autores cum Autoribus conferant, Religiosos Societatis cum aliis Scriptoribus sed cum antiquioribus, aut coætaneis: ostendant quibus assertionibus recesserint à Doctrina, *tunc cùm scriberent*, magis communi, & aliis magis probatâ: quam Doctrinam Moralem, aut primi induxerint, aut defenderint singulares. Conferant cum antiquioribus Theologis *Franciscum Suarez*, cum Canonistis *Thomam Sanchez*, uterque & meritò antecessoribus suis rigidior est habitus.

Poste-

Posteris sensim multa innotescunt, quæ aut Majores latuerunt, aut minùs habuerunt perspecta, hæc faciunt ut verustiores desere-re possimus in multis; ut nunc desinant esse magis communia, quæ tamquam hujusmodi superiore ætate fuerant affirmata. Sed de inani maledicorum Clangorum strepitu dictum est satis. ✱ Neque *Liberius* attulit, quod refelleret. ✱

Extremo halitu novam stultitiam effundit, *Responsionem Adversùs ea*, inquit, *quæ Jesuitæ objiciunt ut Societatem nullius reformationis indigère persuadeant.* (a)

Objiciunt, ait ille, *Primò*, *Secundò*, *Tertiò*. Sed Qui, quando, apud quem illa objiciunt? Nihil horum omnium est indicatum : numquamne igitur non recurretur ad mendacia? Nemo è Societate Oppositiones illas interjecit, nec res tulit, nec materies, ut quisquam aliquas interjicere deberet.

Sua cuique instauratio curæ est, in hanc incumbit, eò dirigit media, quæ Religio Societatis subministrat, quotidiana, multa, & opportuna : sibi quisque gratulatur se illi Ordini adscriptum esse, quem in viridi Instituti sui observatione Divino beneficio consistere experiuntur; cognoscunt enim quotidie à quibus, quam ob causam, quo fine impeti pergat, & impugnari. Non priùs enimverò seriò verendum erit ne Societati nostræ veræ materia instaurationis inn[illegible]atur, nisi cùm contra se falsæ obtrecta[illegible]nis libidinem extinctam senserit. Nimirum nulla tutior

(a) pag. 278.

tutior Innocentiæ custos, quàm Calumnia.
✱ Hìc steti à Biennio : quæ contrà *Liberius* attulit, suis locis singula indicavi, præterivi nihil, quod equidem sciam : ad cætera quæ plura sunt singulis paginis *Candidus* obmutuit. Tu Lector utrimque omnia perpende & judicio tuo, si æquus fueris, stabo libenter. Accedo nunc ad alia, quibus alterâ suâ Editione *Tubam* suam extendit, quam à sordibus, quibus illam undique infecit, nequaquàm satis studuit purgare. ✱

Finis Partis primæ.



EDI-

EDITIONIS PRIMÆ
Vindicationum adversùs *Tubam Magnam*

Facultas R. P. Provincialis.

EGo Infrascriptus *Societatis Jesu* Præpositus Provincialis per Provinciam Flandro-Belgicam Potestate mihi facta à Reverendo Admodum P. N. *Michaële Angelo Tamburino* Præposito Generali ejusdem SOCIETATIS JESU Concedo *Michaëli Graet* Typographo Gandavensi Facultatem Imprimendi Librum cui titulus *Vindicationes Alteræ* &c. à Patre *Alphonso Huylenbroucq* Societatis nostræ Theologo compositum, à deputatis ejusdem Societatis Theologis examinatum, & Approbatum, in quorum fidem has propriâ manu subscriptas & consueto Officii nostri Sigillo munitas dedi Gandavi 24. Septembris 1712.

JOANNES BRAZE.

Locus ✠ Sigilli.

EDITIONIS PRIMÆ

Vindicationum adversùs *Tubam Magnam.*

Approbatio Censoris Ordinarii.

VAldè utiliter Imprimentur *R. P. Alphonsi Huylenbroucq* S. J. VINDICATIONES ALTERÆ *Adversùs Famosos Libellos quàm plurimos, & novam eorum Collectionem sub titulo* Tuba Magna *mirum spargens sonum* &c. In quibus Author non modò insignem ostendit eruditionem, sed & summo labore conquisitis undique monumentis egregiè refellit quidquid ferè calumniarum, aut dicteriorum in Societatem ejus hactenùs jactum fuit. Quodque ad id plurimum habet momenti, *Fontes* ipsos aperit, quàmque *Impuri* sint ostendit, unde pleraque hausta fuerunt. Breviter nihil omittit quo penitùs obtundat sonum novæ illius *Tubæ*, quæ in unum collegit, quidquid malevoli ulli adversùs dictæ Societatis *Progressum* potiùs, quam *Vitia* umquàm personuerunt. Sic tandem detectis mendaciis, pudore, ut spero, cohibebuntur, ne ultrà tam illustrem Cœtum, & in illo ipsam quoque Ecclesiam Catholicam Hæreticis nostris deridendam propinent, qui nullo pietatis, aut Religionis intuitu à tam nefario opere deterreri potuere.

Gandavi hâc 8. Maii 1713.

JOANNES VANDEN HOVE
Canon. Thesau. Cath. & Exemptæ Ecclesiæ S. Bavonis librorum Censor Epis.

VINDICATIONUM
PARS
SECUNDA.

CONTINET *Vindicationes* adversùs *Clangores*, quos *Tuba Altera*, ad priorem Compilationem adjecit; Qui nunc ſunt in Editione ſecunda

Clangor,

XVIII. XIX. XX. XXII.

§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§

CAPUT PRIMUM.

Refutatur Clangor XVIII. *à* Liberio *2dâ. Editione adjectus.*

Elevantur argumenta petita ex damnato Libro Artes Jesuiticæ, *& ex damnatis Epistolis* Montaltii.

Ostenduntur plurima Liberii *peccata. Proponitur* Casus *de legentibus sine legitima facultate easdem Epistolas* Montaltii, *& Theologorum ad illum* Casum *Responsio.*

VEnio nunc ad pauperiem tuam pauperrimam, ad *Clangores*, quos ad priorem Compilationem adjecisti, aliunde iterum emendicatos. Hos inter Primus occurrit, qui nunc est in *Tuba Altera* decimus octavus, cujus Summarium his verbis complecteris. "Reformandæ in Je-" suitis fallaciæ, & doli mali in repræsentan-" dis, sub odiosa larva, aliorum sibi adver-" santium sententiis, Christianæque sincerita-" tis defectus in palliandis suorum defecti-" bus. *

Enimverò næ tu tintinnabulis tuis amplissima labara appendis, vastissimi oris vir, & magno hiatu dives promissor. Dic, amabo, qui-

* Pag. 269.

quibus momentis, quibus testibus, liberrimam accusationem tuam instauras? Exultas, opinor, cùm hæc interrogo: respondes enim pro fiducia tua Thrasonicè, hæc omnia ita se habere, *exemplis innumeris demonstrativè probat Christianus Aletophilus in Artibus Jesuiticis.* *

Scilicet & tu quoque in exemplum adduceris, quia *Peccator, cùm in Profundum venerit, contemnit.* Quis enim est ille institutæ à te reprehensionis testis? quæ sunt illæ appellatæ *Artes Jesuiticæ*, ad quas remittis, quas adire nos jubes, & legere, quarum omnia propemodùm Capita iterum colligis in pugnum, in quibus exempla mones esse videnda? Quæ est deniquè hæc farrago, cujus testimonio fidem tuam cuperes liberatam? Scilicet tuus ille testis, præter quem alium non allegas, libellus famosus est, larvato adscriptus autori, typos suos mendacio occultans, destitutus omni Approbatione, spretis omnibus impressionis legibus, projectus in publicum, in Universitate Lovaniensi omnibus interdictus; Censorum, Apostolici, Regii, & Archiepiscopalis judicio publicâ ignominiâ, etiam combustionis afficiendus, Supremâ, id est Pontificiâ Autoritate damnatus. Doleo super te Frater, quia impudens nimis est contumacia tua: utinam aliquando intelligeres quid agas, quas pœnas incurreris.

Autoritas Apostolica testem tuum singulari Decreto proscribit, prohibet & damnat; tu probas, tu laudibus extollis, tu ejus fidem commendas. Ea-

* Pag. 169. & 170.

Eadem ſumma Autoritas damnatum illum libellum legi vetat, ac retineri; tu volvi mandas, & jubes, utrumque publicè, & apertè: mones videri, quæ novo crimine ex eo allegas, *Videantur*, inquis, *exempla* &c. Et artificia enumeras quàm plurima. Autoritas Apoſtolica eumdem libellum reimprimi cavit, tu curaſti reimprimi, tu omnium oculis objeciſti, ne hoc quoque contumaciæ tuæ publicum deeſſet teſtimonium. Eo Decreto conceptis verbis exprimitur, hæc omnia prohiberi atque vetari, *ſub pœnis in* INDICE *librorum prohibitorum contentis*.

Promulgatæ ſunt illæ pœnæ; refert has INDEX autoritate Pii IV. primùm editus, auctus à Sixto V. juſſu Clementis Papæ VIII. demùm recognitus, & publicatus. Sic habent. *Si quis libros Hæreticorum, vel cujusvis auctoris ſcripta ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata atque prohibita legerit, ſivè habuerit, ſtatim in excommunicationis ſententiam incurrat.*

Si verò libros ALIO NOMINE *interdictos, legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Epiſcoporum ſeverè puniatur.*

De his ego non illubenter apud te repeto, quia reſipiſcentiæ tuæ ſpem omnem planè non abjeci, cùm gratulatus tibi ſum antè, quia ſcripſeras paginâ XXIII, admittere te ſcilicet, *quæ in Decreto proſcribente exprimuntur*. Verum homine maledico nihil eſt inconſtantius, nunc ſervum frugi ſe ſimulat, ut inveniat Fidem, pòſt iterum redit ad vomitum

tum, tu quidem hìc rediisti ad turpissimum. Quid enim tu non eructas de infamis testis tui Prohibitione Pontificia? Accipe sordes tuas, & erubesce.

Cùm eo libro, Artes Jesuiticæ, ais tu, *Jesuitæ plurimùm redarguerentur de sua inobedientia erga Pontificia Decreta, ad istamque invidiam à se repellendam, ad suæ Sanctitatis Pedes provoluti solemniter protestarentur, ac pollicerentur* (UTINAM, votum tuum est quod pietatem tuam mirificè exhalat, *utinam*, ais, *sincerè, & absque fallacia ulla ac simulatione*) *omnimodam submissionem suam erga Pontificium de Ritibus Sinensibus Decretum, Sanctitas sua, ut ipsos in sua illa submissione firmaret, volens ipsis parcere & gratificari, in consolationem aliquam ipsorum prohibitionem libri illius permisit, sed extra Urbem publicari non jussit.* *

Dic sodes, est ne horum aliquid in Decreto prohibente expressum? Quis hæc tibi nuntiavit? Quo teste, quibus tabulis hæc annuntias? Quis horum est autor? Dicam quod res est, impudentia tua; hæc autor est turpis dicterii tui, hæc testis, nec alium habes quem appelles, in Summum Pontificem irreverens quàm qui maximè. Ecquis fictè Catholicus, si te hìc imitari studuerit, eâdem viâ omnia Sedis Apostolicæ Decreta negligere non poterit, ludere, & vilipendere? Et tu post hæc, tua dirigis ad Sm. D. N. Clementem Papam XI., hunc appellas? obsecro fac coràm accedas, & provolutus ipse ad Pedes Sanctissimi, hæc apud eum enuntiès

* Pag. 270.

ties, quæ in tenebris tuis grunnis larvatus.

Verùm mi bone, ubi attentio tua? nihilne afferes aliquando veri, aut ficti, minùs indignè? Solemnis hæc *Proteſtatio* Jeſuitarum, quæ prohibitionem illam obtinuerit, ut tu garris, quo die eſt inſtituta? Inſpice inſtrumentum, ſi placet, intelliges eam oblatam, factamque eſſe 20. Novembris 1711. & prohibitio libri *Artes Jeſuiticæ*, quandonam Romæ eſt publicata? Conſule Decreta Apoſtolica Romana, & ſcies *Damnationem* illam emanaſſe 4. Martii 1709. Biennio integro atque octo menſibus, anteaquam illa Jeſuitarum *Proteſtatio* publica eſſet. Næ tu ſtolidè amœnus es, qui *Proteſtationem* cantas, quæ *Damnationem* impetraverit tribus propemodum antè annis emanatam. Mendacem aptiùs fingere oportuerat; fac poſthac minùs inſipias.

Videris quoque damnati teſtis tui, curtam licet genealogiam, aut neſcire, aut ſimulare; noli erubeſcere ſobolem tantopere tibi dilectam. Primùm illa nata eſt anno 1703., ejus embryo apparuit in Tomo 1°. 12. Sept. 1714. Romæ damnato Theologiæ *Henrici à Sto. Ignatio*. Ibi vagit infans ille à pag. 4. uſque ad pag. 12. De hoc ſcriptore Patriâ Athenſi plura innotuerunt, quàm nunc affirmem: habet gentiles, viciniores que quibus debet multa: quamprimùm auras aſpexit Lovanium allata, ibi in cunis ſuppreſſa eſt 7ª. Septembris 1713. Decretum dedi integrum in Vindicationibus *ad Artes* pag. 334. Inde crevit idiomate Belgico, & vernaculè prodiit

diit A°. 1709., ne quis verna, aut nauta, ne quæ garrula mulier margaritas ejus in obvios ſinus non facilè effunderet, ne quæ taberna ſuffitum illius non exhalaret. Eodem anno Decreto Romano prohibita eſt atque damnata 4ª. Martii, ut ante memineram, A°. 1709. Debuerat tum perpetuis tenebris occultari omnium oculis, auribuſque obtrectatio indigna: ſed parentem habuit exlegem, qui omne frænum excuſſerat: itaque mediâ ferè parte auctior, infelici arrogantiâ, & luctuoſiſſimo Superiorum contemptu prodiit A°. 1710. innotuit apud Sedem Apoſtolicam de inſolenti iſthac audacia, ibi alias pœnas tulit, atque alio Decreto damnata eſt iterum 2. Dec. 1711. ita tum denuò inſtaurata eſt prohibitio, quæ triennio propemodum antè emanaverat. Novo peccato novam medelam adhiberi voluit Pater communis, ſed tu callum obduxiſti, & poſt hæc omnia, nihil horum reveritus, ad fœtidam illam cloacam impudentiſſimè nos remittis, tum more tuo vociferaris præterea; *Libro, Artes Jeſuiticæ, Fidem non ſuſtulit Romana Probibitio, quidquid dixerit Huylenbroucq*, utpote *non declarans eo libro contineri Propoſitiones à veritate alienas:* * Marcum Tullium Ciceronem, neſcio ubi à te repertum extra cauſam loquentem inducis alterâ pòſt paginâ, poteras apud eum legiſſe opportuniùs, *Quoniam ſemel cœpi eſſe impudens, pergam eſſe gnaviter.* Id enim tuo nomine admodùm pronuntiavit ex vero.

Quid

* Pag. 270.

Quid ego dixerim, mi *Candide*, habes in Vindicationibus editis A°. 1711. Si de hoc ex aliis intelligere volueris, habes adversùs *Leideckerum* Acatholicum, Opus Polemicum, Belgico idiomate hoc anno Publicum Autore Eximio P. *Du Jardin* ex Ord. RR. PP. Prædicatorum in Univ. Lovan. S. T. D. Inspice illius Voluminis Paginam 1043, illâ, posteaquàm *Leideckerus* edoctus est injuriam quâ affecit Illm. *Malacitanum*, in hæc verba subjungitur: *Ghelijck te sien is by* Alphonsus Huylenbroucq *in syne* Vindicatiönes *gedruckt tot Ghendt in't Jaer* 1711. *waer in de andere valsche lasteringhen, die den haet teghen de* Jesuiten, *onsen* Domine, *teghen hun heeft doen uytspouwen in syne aenmerckinghen over de* Jesuiten, *klaerelijck* wederleyt, *ende* verydelt *zijn.* Quæ latinè sic sonant: "Prout videre est apud Alphonsum Huylenbroucq in „ejus Vindicationibus Impressis Gandavi „1711. in quibus falsæ aliæ obtrectationes, „quas odium in Jesuitas, *Ministrum nostrum* „adversùs illos coegit evomere in suis Ani„madversionibus de Jesuitis, dilucidè re„futatæ, & inanes redditæ sunt. Triennium & ultra modò exspecto, quid illis opponere possis: explicavi tertiùm tuorum propaginem, illustres Heroas, publicis suppliciis Clarissimos, Natos Natorum, & qui nascuntur ab illis; quorum quotidie obvia sunt documenta quâ sitis origine nati. Accipe nunc iterum sub unum aspectum, quæ ibi sum prosecutus.

In-

Index Capitum.

Vindicationum ad *Artes Jesuiticas.*

tulus, Theatrum Jesuiticum; & Epistolarum ad Provincialem. *Tum item gravissimi errores Scriptorum sub titulo*: Factum pour les Curez de Paris, Rouen &c. & *alterius*: Recueil de diverses Pieces concernant la censure de la faculté de Paris, &c. *Et Accusationum Sinnichii in* Saule ex Rege. *Pag.* 70.

Caput VI. *Convincuntur Gravissimæ*, & *multiplicis Calumniæ damnati libelli*; la Morale des Jesuites. *Et*, la Morale Pratique des Jesuites, *Et* le Catechisme des Jesuites. *Pag.* 143.

Caput VII. *Proscriptis pluribus Propositionibus à Summis Pontificibus*; *Scriptores Societatis*, *horum Constitutionibus obtemperantes*, *erroneis Accusationibus*, & *vernaculè sparsis sunt impetiti. Pag.* 175.

Caput VIII. 1. *Damnatas Constitutionibus Pontificiis Propositiones præcipui Societatis Scriptores priùs rejecerunt ac impugnarunt.* 2. *Post damnationem nullam ex damnatis admiserunt*, *omnes rejiciunt constanter.* 3. *Falsas hic quoque ab adversariis patiuntur Accusationes. Pag.* 199.

Caput IX. *Ex pessimis his accusationibus nova hæc compilatio*, *ineptas*, *falsas*, *ac studio fabricatas corradit reprehensiones*, *quibus impetit.* 1. *Theologiam Scholasticam*, *seu Theoricam quam appellat.* 2. *Illam quæ præcipuè de Moribus tractat.* 3. *Quæ de utraque objectat*, & *accusat*, *temerè*, *ac inaniter* Artes Jesuiticas *appellavit. Pag.* 239.

Caput X. *Exponuntur per summam fraudem appellata* Jesuitarum Artificia, *eorum*

An-

Autores, *momenta*, *& contumeliæ*. *Pag.* 303

Singulis hisce Capitibus demonstravi equidem abundè, quæ fides obtrectationibus vestris sit adhibenda, experieris idem tu, si positâ larvâ, proprio nomine apud legitimum Tribunal, & coràm, causam tuam agere non erubescas, huc ego te provoco, quod si recuses, tanti semper te faciam, quanti debeo, erisque mihi constanter maledicus calumniator.

Quamquam neque ullæ *Vindicationes* exspectandæ fuerunt ut de fide illius farraginis innotesceret: quam primùm ad manus pervenit, publicum Judicium tulit Lovanii 6. Sept. 1703. Censorum ibidem Apostolici, Regii, & Archi-episcopalis. Ipsi in hæc verba pronuntiarunt.

„Attentè, & maturè legimus libellum, cui „titulus *Artes Jesuiticæ* &c. ac deprehendi„mus præfatum libellum sub ementito no„mine *Christiani Aletophili* quasi Autoris, & „*Amatoris Kerckhove* quasi Impressoris abs„que ulla approbatione editum, nullam or„dinatæ Denuntiationis speciem continere, „sed sub ejusdem Denuntiationis prætextu, „non esse quàm studiosam collectionem, si„vè farraginem omnium ferè odiosissima„rum materiarum, quæ Ecclesiæ pacem as„siduè perturbant, totumque autoris, sivè „autorum Scopum in hoc collimare, ut *per* „*Enormes Detractiones*, *Calumnias & male*„*dicentias*, *& quidem adeò notorias*, *ut à* „*mendaciis excusari nequeant*, Damnatam „*Baii*, & *Jansenii* causam, exquisitâ & ar„tificiosâ pertinaciâ tueantur. Cer-

Cernis quem teſtem adduxeris, cujus fidem celebraveris? garrulitas tamen tua, cordâ ſemper oberrat eâdem. "Romana Prohibitio, inquis tu, fidem illius libri non ſuſtulit, quia non declaravit eo libro contineri Propoſitiones à veritate alienas." Quid ſi declaraſſet, quanti faceres eam Declarationem? Quanti nempe Decretum ipſum, quod nunc eſt: quid enim vos naſo veſtro ſuſpendere non didiciſtis, ludere docti omnem Poteſtatem? Declaravit Innocentius X. P. M. 17. Apr. 1654. aſſertis quibuſdam actis Manuſcriptis & forſan typis excuſis Congrationum habitarum coram Clemente VIII., & Paulo V. ſuper quæſtione de Auxiliis Divinæ Gratiæ tam ſub Nomine *Franciſci Pegnæ* olim *Rotæ* Romanæ Decani, quàm F. *Thomæ de Lemos* Ord. Præd. aliorumque, & autographo aſſertæ Conſtitutionis Pauli V. *nullam omninò fidem eſſe adhibendam*, neque ab alterutra parte, ſeu à quocumque alio allegari poſſe. Ecquis Partium veſtrarum eſt, qui hanc Declarationem Pontificiam non rideat, & vilipendat? aut certè qui non incumbat, ut perſuadeat, cum ratione illam ſe minimi facere? Non tamen huic mari me committam, neque ſi integrum eſſet otium, integro volumine complecterer, omnia peccata veſtra in Declarationes Apoſtolicas. Dicam, quod luctuoſiſſima exempla nos docent annis jam amplius ſeptuaginta; Dicam quod res eſt, pauciſſimis verbis utrumque abſolvitur.

Nulla prodiit adversùs vos, Declaratio

Roma-

Romana, cui vos ô miseri! ut par erat, obtemperaveritis. Hoc breve eſt, neque obſcurum, ut exiſtimo. Allêga ergo, allêga, inquam, ejuſmodi Declarationem unam, & evince apud bonos omnes, quantâ alacritate, ac veneratione, quantâ animi demiſſione, ſinceritate, atque conſtantiâ Declarationi illi ſteteritis; quod ſi tam juſtæ Poſtulationi ſatisfacere non poteſtis, quo uſque tandem Catholicorum patientiâ abutemini, ſemper rebelles, ſemper contumaces, atque ut ignaris, & inexpertis, minùs Rei eſſe videamini, Accuſatores effrontes, iniqui?

Pœnè exciderat aliud tuum effugium ingenio tuo digniſſimum. Pontifex, ais, Prohibitionem libri *Artes Jeſuiticæ*, extra *Urbem* publicari non juſſit. Belle, enimverò! nùm hoc, amabo, præter uſum ſtyli Romani, præter exempla, præter id ac tot retro temporibus eſt uſitatum? an non in Epiſcoporum noſtrorum Archivis relatæ ſunt Publicationes Decretorum, Libros damnantium ac Propoſitiones, quæ tamen in Inſtrumento Romano publicari non jubentur extra *Urbem*? Damnatio Alexandri VII. Propoſitionum XLIV. Propoſitionum LXV. ſub Innocentio XI. Propoſitionum XXXI. ſub Alexandro VIII. Propoſitionum tot item aliarum *Michaëlis Molinos* ſub Innocentio XII. Decreta S. D. N. Clementis XI. in Controverſiis Chinenſibus, alia pœnè innumera, an extra *Urbem* publicari juſſa ſunt in Europa? Lege nobis, ſi potes, juſſionem illam. Cur igitur loqueris tam inſulſa, cur eò divertis?

Scili-

Scilicet tua tibi semper adhæret cauda, & in cauda venenum. In hoc toti incumbitis, ut peregrini aliquid officina vestra propinet, quo cæcis saltem tantisper fiat fucus.

Intereà testem tuum recuso, librum, quem allegasti inverecundè, Autoritate Apostolicâ damnatum, damno: eumdem damnant Catholici omnes; tu fac similiter, & quod de Publicatione extra *Urbem* hìc meministi inconsideratè, atque abs re, ut te decet, emenda.

Possum equidem hoc loco te dimittere, qui inanem Clangorem tuum dissipavi plus satis, atque huic consilio acquiesco. Ad lectorem tamen tuum me converto, ne autore te miserè fallatur, ne dicteriis tuis citò credens, de *Societate* sentiat inclementer, ac præter æquum.

Igitur paucis te volo, Amice lector, quisquis mecum incideris in *Liberii Candidi* Clangorem hunc XVIII. meministi hujus initio Societati objectas esse fallacias, dolos malos, odiosas larvas, & Christianæ sinceritatis defectum, vides hæc affirmari quidem, stabiliri minimè, atque remitti nos ad *Artes Jesuiticas* ad explicata ibi *Artificia:* autor ille inquit *Liberius* „ Jesuitis nihil tribuit, nisi in„ victis probatum argumentis certisque ex„ emplis;" age ergo accedamus ad primum Artificium, quod ex eo libro pro causa sua evocavit. Illud, ut cernis, est in eo libro sextum; liber in promptu est, locus apertus, legamus. Titulus sic habet.

"Post crudelissimè laceratam omni men- „ da-

"daciorum genere, virorum integerrimorum "famam, ipsosque palàm sugillatos, velut "scandalosos & hæreticos, eò quod contra "sociorum aliquem quidpiam dixisse vel scrip- "sisse putarentur ; eosdem deinde, absque "ullâ prætensorum errorum retractatione, "scandalorumve reparatione, orthodoxâ fide, "pietate, doctrinâ, moribus insignes palàm "declarare, ob id solùm quod ipsi declaras- "sent, de lacessenda se Societate non cogi- "tasse. *

Index oblongus hic est, & gravia in speciem promittens; utrumque ex more gentis, ei os amplum, & hians : commodè interea ita orditur.

"Nihil solemnius ad id demonstrandum af- "ferri potest, quàm illa contentio, quæ Je- "suitas inter & Clarissimum virum *Puteanum* "*S. Nisieri* Lugduni Parochum intercessit.

Intelligamus obsecro de contentione illâ tam singulari, & qua nihil ad rem titulo exhibitam demonstrandam afferri potest solemnius : prosequitur itaque in hæc verba: "Anno 1649. librum egregium *Puteanus* è latino in vernaculum sermonem transtulit, cui titulus: *Officia boni Christiani erga propriam Parochiam; adversùs eos qui Fideles à Parochiis abstrahunt*.... Auctore Capucino. Caverat *Puteanus* ne quid acerbitatis huic libro admisceret, neve ullus Religiosus, aut omninò ulla Societas nominatim describeretur. Se tamen hoc libello peti, Jesuitæ putaverunt. Itaque continuò P. *Albius*

* Artes Jesuiticæ pag. 198.

" *bius*, *Puteani* antiqui Paſtoris, in Primatiâ
"Galliæ Judicis, magnâ in urbe & auctori-
"tate, & honore pollentis, canos ac virtu-
"tem nihil reveritus, mordaci illum libello
" omnibus probris cooperuit,quaſi *vitæ licen-
" tiâ ſcandaloſum*, *impietatis ſuſpectum*, *hæ-
" reticum*, *excommunicatum*, *ac remediis cau-
" ſticis dignum*. Vel ergo Jeſuitæ profeſſi ca-
" lumniatores erant, vel iſta de bono illo Pa-
" rocho credebant. Itaque, niſi depoſitis er-
" roribus, ille amicitiâ Jeſuiticâ dignus fieri
" non poterat. Videamus ergo quid in ipſa
" reconciliatione geſtum ſit, cui interfuerunt
" Lugduni Primores, ſcilicet *D. de Ville* Vi-
" carius Generalis, *Scaron*, *Margat*, *Bou-
" vaud*, *Seve*, *Aubert*, *Dervieu* Canonici *S.
" Niſiëri*, *du Gué* Quæſtorum ærariorum Præ-
" ſes, *Groſter* Præfectus urbicus, *de Flechere*
" Præſes & Prætor, *Boiſſat*, *de ſaint Romain*,
" & *de Bartoli*, viri nobiles, *Bourgeois* pri-
" marius Regis Advocatus... *de Cotton* Pater
" & Filius, *Boniel*: qui omnes *P. Albii* de-
" clarationi ſubſcripſerunt. Cùm enim hoc
" tantùm *Puteanus* declaraſſet, *libro ſuo Je-
" ſuitas omninò non impeti*, *generatim ſe de iis
" locutum*, *qui fideles à Paræciis avertunt*; *de
" laceſſenda Societate numquam ſe cogitaſſe*,*quæ
" contrà animo ſuo egregiè chara eſſet* : *iſto ver-
" borum faſcino*, *momento ex apoſtaſia*, *ex
" excommunicatione*, *ex ſcandalis nullâ abſolu-
" tione præviâ*, *Puteanus* emerſit, ipſumque
" *P. Albius* tum his illum verbis ipſiſſimis com-
" pellavit : *Vir clariſſime*, *cùm in ea opinione
" fuiſſem*, *Societatem*, *cui me cooptatum glorior*,
" à

"*à te laceſſitam, ad ſcribendum me ac-*
"*cinxi, illudque quo uſus ſum defenſionis genus*
"*mihi licitum eſſe exiſtimavi; at nunc certiùs*
"*explorato tuo in nos animo, huc veni coràm*
"*omnibus teſtificaturus, nihil jam eſſe cur te*
"*non habeam ingenii perſpicaciſſimi, profundæ*
"*& orthodoxæ eruditionis virum, moribus in-*
"*culpatum, poſtremò Eccleſiæ tuæ digniſsimum*
"*Paſtorem. Hanc profeſsionem libens edo, eá*
"*ne honeſtiſsimis, qui hìc adſunt, viris exci-*
"*dat, opto & precor.*

"Ex iſta *P. Albii* Declaratione tam ſolemni, "perſpicuum eſt, quòd *Puteanum* antea non "crediderit hæreticum; ipſi tamen crimen "tantum, quod falſum noverat, ideò pa-"làm objectaſſe, quòd in ea opinione fuiſ-"ſet, Societatem ab ipſo laceſſitam fuiſſe, "non ideò tamen ipſum agnoviſſe, menda-"cio tam pernicioſo, calumniâque tam enor-"mi ſe deliquiſſe, quippe qui *iſtud defenſi-"onis genus* (mendacium ſcilicet, calumni-"amque) *ſibi licitum fuiſſe crediderit.*

"Hinc Paſchalis loco citato legitimè con-"cludit, *quod Jeſuiticâ linguâ hæreticum eſſe "idem eſt ac laceſſere Societatem. Lepidam Hæ-"reſim boni Patres! Itàque cùm tot viros Ca-"tholicæ Fidei addictiſsimos paſſim in ſcriptis "veſtris Hæreticos appellatis, hoc demum à vo-"bis ſignificatur, aliqua in re violatam ab ip-"ſis Societatem*, ſeu laceſſitum Sociorum ali-quem.

Hic ſiſtit: nunc ſine me aliqua interroga-re ex te; ac 1.º Quis eſt hujus rei teſtis, quis narrator? Jam, inquis, *Aletophilus* initio il-

lud edixit; *Paſchalis*, ait, *contentionem illam ſic exhibet*: Audio, & fateor, ita ſe res habet: *Nicolius Paſchalem* latinum fecit, apud illum hæc ſunt Epiſtola 15. pag. 437., utor editione quartâ auctiore: *Nicolius* tamen *Aletophilo* noſtro non placuit ex toto. *Nicolius* inſigne *hoc Teſtimonium* eſſe dixit, *Aletophilus* veſicam illam inflavit, ſcripſitque potentiùs, ad Propoſitum *demonſtrandum nihil afferri poſſe ſolemnius*. Sed miſſa hæc faciamus: non ignoras tu quidem, ut opinor de ſententiis, quas Epiſtola illa tulerit unà cum reliquis.

Nunc quæro, ſi ego Parentem tuum Reipublicæ muneribus admotum, apud obvios cives poſtularem de crimine læſæ Majeſtatis, juſſuſque Accuſationis fidem facere, continuò non niſi ſcriptum obtruderem, judicum Decretis infame, Regiâ autoritate proſcriptum, lictoris manu combuſtum, faceſſere, arbitror, me juberes, & rei indignitate motus ſuccenſeres mihi facinus indignum, & pro eo ac meritus eſſem animadverteres in me vehementiùs.

In eumdem locum, ni fallor, incidimus: graviſſimorum criminum hic autor nos arguit, ut liberet fidem, teſtem allegat *Paſchalis* ad *Provincialem* Epiſtolam XV. hæc Epiſtola, hujus reliquæ ſociæ infames ſunt omnes; omnes tales ſunt declaratæ à Senatu *Aquis Sextiis* primo Nonas Februarii 1657. ibi plures cenſuras tulerunt, ibi flammis adjudicatæ fuerunt, & traditæ. Sexto pòſt menſe 15. Sept. 1657. Romano Decreto, ſingulæ ſub

ſub gravibus pœnis ſunt damnatæ, atque iterum anno ponè ſequenti 14. Martii 1658. tum quoque Autoritate Pontificiâ Decretum eſt, eas Hæreſim Janſenianam approbare, & confovere, Sedis Apoſtolicæ Autoritati, Summo Pontifici, ac nonnullis Religioſis eſſe injurioſas. Hoc Decretum Romanum publicatum eſt in Archidiœceſi Mechlinienſi 24. Oct. 1657. tum iterum 18. Febr. 1660. tum in aliis Diœceſibus, in Brugenſi quidem menſe Novembri 1657. Namurcenſi 1658. bis quoque in Univerſitate Lovanienſi. Publicationem illam in Belgio urſit Philippus IV. Rex Catholicus.

Epiſcopi, Doctores, & Profeſſores Sacræ Facultatis Pariſienſis de Epiſtolis illis in hæc verba pronuntiarunt.

Judicium Epiſcoporum, Doctorum, & Profeſſorum Sacræ Facultatis Pariſienſis.

" NOs infrà ſcripti Regis Decreto ſelecti " ad ferendum judicium de libro, cui " titulus eſt, *Ludovici Montaltii Literæ Pro-* " *vinciales*, &c. Præmiſſo ejuſdem libri dili- " genti examine: teſtamur Janſenianas Hæ- " reſes ab Eccleſia damnatas in eo propugnari " atque defendi, tum in dictis Literis *Ludovi-* " *ci Montaltii*, tum in Notis *Willelmi Wen-* " *drokii*, tum in adjunctis Diſquiſitionibus " *Pauli*

"*Pauli Irenæi* : atque id esse ita manife-
"stum, ut si quis neget, necesse sit, vel
"non legisse librum hunc, vel non intellex-
"isse, vel certè quod pejus est, non putare
"id Hæreticum esse, quod à Summis Ponti-
"ficibus, & ab Ecclesiâ Gallicanâ, & à Sa-
"crâ Facultate Theologiæ Parisiensi, dam-
"natur ut Hæreticum. Testamur insuper ma-
"ledicentiam & petulantiam tribus illis Auto-
"ribus adeò esse familiarem, ut nulli homi-
"num conditioni parcant, exceptis Janseni-
"stis, non Summo Pontifici, non Episco-
"pis, non Regi, non præcipuis Regni Admi-
"nistris, non Sacræ Facultati Parisiensi,
"non Religiosis Familiis; ideòque librum
"esse dignum pœnâ Libellis Famosis, & Hæ-
"reticis à jure constitutâ. Actum Parisiis
"die septimâ Septembris anno Domini mil-
"lesimo sexcentesimo sexagesimo.

"*Henricus de la Motthe* Episc. Rhedonensis.
"*Harduinus* E. Ruthenensis. *Franciscus* E.
"Ambianensis. *Carolus* Episcopus Guessi-
"onensis.

"*Chapelas* Cur. S. Jacobi. *C. Morel.* L.
"*Bail* Fr. *Joannes Nicolai* Prædicator. *M.*
"*Grandin. Saussoy.* Fr. *Matthæus de Grancy*
"Carmelita. *Chamillard G. de Lestorcq.*

Post hæc, Regiâ Sententiâ, Concilii Sta-
tûs, aliorumque, Epistolæ Montaltii pœnas
dederunt publico igne consumptæ 14. Oct.
1660. dedi instrumenta integra in Vindica-
tionibus ad Artes Jesuiticas à pag. 98.

Non ignoro te forsan hoc loco me velle
interpellare, atque interjicere, eodem hoc
anno

anno de Epistolis illis aliter esse pronuntiatum : celebrari quippe à *Nicolio* judicium, quod Editione quartâ, in Præloquio item quarto, distinctis verbis retulit in hunc modum.

"Nos Doctores Theologi in Academia "Burdigalensi, Regii Sacræ Theologiæ Pro-"fessores infra scripti; cùm Decreto Amplis-"simi Senatûs Burdigalensis liber, cui titulus "est, *Ludovici Montaltii Literæ Provincia-"les* &c. ad nos perlatus esset, ut bona illius, "vel mala doctrina à nobis expenderetur, & "quæ in eo hæresis contineretur, sententiam "diceremus. Nos, Patre luminum in auxi-"lium priùs invocato, prædictum librum stu-"diosè perlegimus, habitisque inter nos de "hujus libri doctrina deliberationibus, col-"latisque in unum suffragiis, nullam in eo "Hæresim à nobis repertam fuisse declara-"mus. Actum in Æde Carmelitarum die "sextâ mensis Junii 1660.

Est sanè ibi relatum illud judicium, eique subscripsisse notantur,

Franciscus Arnaldus Ordinis Sti. Augustini. *Joannes Baptista Gonet* Ordinis Prædicatorum. *Lopez* Canonicus Theologus.

Hæc si Viri illi omninò senserint, doleo eos aut minùs attentos fuisse, aut minùs perspicaces; poterant Patrem luminum imploraffe efficaciùs. Debuerant Doctores non ignorasse sententiam Pontificiam ultra biennium antè pronuntiatam ; debuerant Catholici non contrà sentire ; cæcum, ut mitissimè dicam, Judicium illud tribus pòst

pòst mensibus Parisiis à selectis Decreto Regis Judicibus gravissimè fuit correctum. De hac correctione aliisque jam allatis quàm plurimis *Nicolius* siluit, tametsi multis annis hæc emanassent, anteaquam quartam suam Editionem novo crimine instauraret, in qua de Patronis Burdigalensibus tam magnificè meminit. Verùm *Nicolium* prætereamus, antiquum obtinet.

Tu, Precor, Judex nunc Sede, pronuntia, si placet, de Accusatore, de Teste. Potestnè adversùm me Accusator assurgere Autoritate Apostolicâ damnatus? *Censorum* Judicio in illud collimans ut per enormes Detractiones, calumnias, & maledicentias adeò notorias ut à mendaciis excusari nequeant, damnatam Baii & Jansenii Causam, exquisitâ & artificiosâ pertinaciâ tueatur? talis est *Aletophilus* in fictitiis *Artibus Jesuiticis*. Potestnè contra me testimonium dicere scriptum, semel, iterum damnatum? Sententiâ Pontificiâ approbans Hæresim Jansenianam, Sententiâ *Censorum* easdem Hæreses ab Ecclesia damnatas propugnans atque defendens, ita manifestè, ut qui negat, necesse sit vel non legisse librum hunc, vel non intellexisse, vel non putare Hæreticum esse, quod à Summis Pontificibus damnatur ut Hæreticum : tum denuò eâdem, & Regiâ Sententiâ, maledicum, petulans, nulli hominum conditioni parcens, exceptis (quod disertè affirmant) Jansenistis; famosum, maledicum, calumniosum, & mihi injuriosum? potestnè, inquam, scriptum ejusmodi contra

me

me teſtimonium dicere? Tale ſcriptum ſunt literæ *Montaltii* ad Provincialem. Edic igitur quid ſentias, pronuntia liberè, & per me licet, audiat Orbis Catholicus judicium tuum.

Quæro 2do, quid ſentias de *Liberio Candido*, de Tubicine noſtro: ille ad Summum Pontificem, ad Principes aſcendit denuntiaturus de Jeſuitis; ibi teſtem ſecum adduxit explicatum modò *Aletophilum*, uterque, apud eoſdem teſtimonium recitavit ex *Paſchalis* Epiſtolis illis ad Provincialem, quæ putas illi homini frons eſt, quod cerebrum? quot Exiſtimas in ea Accuſatione eſſe peccata, quàm gravia? quamquàm ego in vaſtiſſimam ſylvam te cogerem, ſi reſponſum tuum hìc exſpectarem. Ruminabis ergo hæc tecum, & de his pluribus ediſſeres, cùm tulerit otium.

Aliud ex te juvat nunc percunctari: fac Epiſtolas *Montaltii* nullâ notâ eſſe perſtrictas, liberè adduci poſſe, & legi. Tum more humano inſtituere narrationem, referre de contentione *Parochum* inter & *Jeſuitas*. Credisnè tu narratori citò, tum maximè, cùm quemquam condemnat? nullas tu tabulas requiris, nullum momentum, nullum teſtem? cæcus in foveam proſilies, ovis ovem ſequêris? ego de prudentia tua, atque æquitate melius ſentio. Adi ergo *Paſchalem*, quære ex his aliquid, de ſumma rei invenies nihil. Illud quod teſtimoniis niti affirmatur, accuſationis punctum non efficit. *Paſchalis* refert, aſſerit, condemnat, *Paſchalis* narrator eſt, teſtis, & judex, *Paſchalis* eſt omnia: quod eſt hoc

hu-

humanum commercium; quis vir frugi, quis non dicam æquus, sed non iniquus, ejusmodi fabulis patientes præbeat aures?

Agam præterea liberaliùs, demus hanc contentionem optimis monumentis esse certissimam: quo existimas delabi rem tantis verborum phaleris, tanto apparatu adornatam? quantopere arbitraris eam esse opportunam ut evincat Jesuitas crudelissimè lacerare omni mendaciorum genere virorum integerrimorum famam? tantillum attende, & manibus tuis palpabis ex musca subitò natum elephantem.

Puteanus, propriò nomine *Du Puys* apud Lugdunenses Parochus in *S. Nisieri*, librum quemdam è latino vernaculum fecit; *Albius*, sive P. *Albi*, è Societate Sacerdos, credidit eo libro impugnari concessa à Sede Apostolica Religiosis Ordinibus, atque adeo Societati Privilegia: igitur se adversùs illum defendit, eaque in ipsum ursit, quæ sunt autoritate Pontificiâ Decreta in Privilegiorum eorum Impugnatores. Contrà *Puteanus* negavit se ulla Privilegia Religiosis concessa impetere: igitur quod proximum erat, etiam coram testibus *Albius* fertur declarasse, nihil sibi negotii esse cum *Puteanò*, ad eum non dirigi, quæ feriunt Impugnatores Privilegiorum, nihil esse ex hac causa cur dignissimus Pastor non habeatur. Hæc res fuerit, huc redit omnis declamatio: quæ voces, putas tu, satis essent illis Præconibus, si solidum crimen haberent, quod objicerent.

Ultimum est ut de *Albii* personali pecca-

to intelligamus prout à *Paſchali* eſt adornatum, ut peccatum eſſe videretur. *Albius*, inquit *Paſchalis*, *Puteanum* Hæreticum excommunicatum eſſe ſcripſit, & accuſationes novâ rurſus ſcriptione confirmavit; cauſa cur *Hæreticum* pronuntiaret, fuit hæc ſola, quia Jeſuitas petiiſſe *Albio* viſus fuerat *Puteanus*. Quamprimùm hic negavit ſe ad Jeſuitas reſpexiſſe, nullâ aliâ prævià declaratione aut retractatione, *Albius Puteanum* digniſſimum habuit Paſtorem. "ergo ait *Paſchalis*, Jeſuiticâ linguâ Hæreticum eſſe, „idem eſt ac laceſſere Societatem. Lepidam „Hæreſim boni Patres. Enimvero ne ſales illi ſunt acutiſſimi! non quæro modò an *Albius* tantopere ſibi met ipſi exciderit, ut hanc conſecutionem faceret, *ille Societatem laceſſit*, *Hæreticus eſt ergo*, *excommunicatus*, *& remediis cauſticis dignus*, neque enim autor ille tantopere fuit peregrinus, ut ſuâ ætate, & inter gentiles ſuos Catholicos eſſe ignoraret, qui pro genio ſuo Religionem noſtram laceſſerent; cur abſona loqueretur? de facto principali interrogo: quæro an *Albius* priori ſcriptione ſuâ *Puteanum* Hæreticum eſſe ſcripſerit, an hanc accuſationem novâ ſcriptione confirmaverit? niſi utrumque ita ſe habeat, in auras abit compoſita omnis declamatio; utrumque aſſerit *Paſchalis*; huic aſſerto innititur omnis accuſationis fundamentum.

Ego, duo de hac *Paſchalis* aſſertione pronuntio. 1°. Hoc dicterium ab *Albio*, *Puteano* impactum fuiſſe, affirmat, & teſtatur ſolus

lus *Paschalis*; tum, quasi hoc factum esset indubitatum, *Albium* solus damnat *Paschalis*, atque ita, ubi cardo rei vertitur, solus *Paschalis* narrator est, testis, & judex.

20. Aio assertum hoc falsum esse, aio, inquam, falsum esse, *Puteanum* ab *Albio* Hæreticum scriptum fuisse, atque id *Albium* alterâ scriptione confirmasse. En quò sales illi evanescunt! Videris id mihi afferenti minimè credere : scito igitur me id minimè postulare : admodùm serus hæc nunc pronuntiarem; in antiquis næniis versamur, de mendacio hoc citiùs innotuit; Anno 1657. vivo *Paschali* repositum fuit in hæc verba.

" Vous faites dire au P. *Albi* que Monsieur " *du Puys est heretique, excommunié, digne du* " *feu.* Vous citez son premier, & son second " livre, & vous asseurez, qu'il confirme en " celui-cy, ce qu'il avoit dit en celui-la. " C'est une fausseté toute visibile, car il se " trouve que dez la troisième page du second " livre, il declare au contraire, *que c'est à* " *tort qu'on l'accuse* d'avoir *appellé ce Pasteur* " *Heretique*, *qu'il n'y a personne de jugement* " *qui examinant les termes de sa premiere Apo-* " *logie* (car il n'attaque pas, il ne fait que " defendre) *ne juge que cette glosse est trop* " *violente & cette plainte fort delicate.* Vous " estes donc manifestement un Imposteur " insigne. Mais que me sert de vous en avoir " convaincu, & de vous presser de me re- " pondre ? Comme votre accusation n'est " qu'une mensonge, votre Apologie ne sera " qu'un dementy. Vous n'avez point fait con-

"conſcience de mentir en impoſant à ce Pe-
"re, vous n'aurez point de honte de me dé-
"mentir en vous juſtifiant, & de dire, *men-*
"*tiris impudentiſsimè.*

Phraſi nempe uſitatâ, quando, quo eluderet vim Reſponſionum, nihil ſatis occurreret. Hæc inquam, vivo Paſchali repoſita ſunt, atque aliquot pòſt menſibus, ac Epiſtola illa prodierat inter ſocias XV. data ſeptimo Kal. Dec. 1656.

Paſchalis ad hæc ſiluit: at, occurres tu forſan, *Nicolius* Epiſtolis *Notas* adjunxit, iis, Societatis, ut appellat *Apologiſtam*, ex quo ego priora verba recitavi, refutandum ſuſcepit: *Notas* illas percurri, incidi quoque in Præloquium primum, ibi ita legebam: "hu-
„jus *Apologiſtæ* Cavillationes omnes, vel in
„ipſo *Montaltio*, vel in *Notis* videbis obtri-
„tas." Tum in opere ad Epiſt XV. *Notâ* 11. Pag. 455. præmiſit hunc titulum "Ex-
„empla calumniæ Jeſuiticæ à *Montaltio* com-
„memorata, fraudulenter excuſari ab Apolo-
„giſta. Hìc locus fuerat ut *Albium* ex merito accuſatum eſſe probaret, ut pro *Montaltio* contra Apologiſtam ſuppetias ferret; ſed ſatis habuit magnificis verbis incedere tumidus, recitatis à me antè nihil replicavit, de *Albio* ſiluit. Adi etiam, ſi vacat, multis pòſt annis editam alteram Apologiam pro Epiſtolis *Montaltii*, neque hìc aliquid occurrit quod *Montaltium* hoc loco liberet impoſturæ.

Itaque in hunc locum tota res rediit: *Liberius* accuſavit liberrimè: multiplici crimi-

ne

ne teſtem appellavit *Aletophilum*, hic nullam poteſtatem reveritus citavit *Paſchalis* Epiſtolam; *Paſchalis* calumniatus eſt, de calumnia monitus tacuit, tacuerunt ejus defenſiones omnes, nemo quod effutierat probavit. Cætera de genere hoc, tam ſunt multa, non proſequor; neque ſi multis annis conſuetudine tuâ uſus fuero, gentis illius inhumanum nos impetendi modum ſatis te doceam; tu plura doceberis uſu. Illud tamen oro ne excidat, hanc, quam vidiſti calumniam, eorum hominum idiomate, *invictum* eſſe *argumentum*, *certum exemplum*, *nihil ad demonſtranda ſcelera noſtra afferri poſſe ſolemnius.* An nos iterum laudet, qui ſic accuſat, cæteri dixerint. Nolim tamen te vacuum dimittere, quem pluribus detinui ac initio conſtitueram. Accipe Caſum, aliàs propoſitum cum res ferret; habes ſodales tuos, qui *Montaltii* Literis delectari feruntur, ipſis illum communica; poteris quoque ab hoc argumentari ad Caſus ſimiles, & quàm plurimos: tibi *Copia* ſatis erit, Autographum & Theologorum, quorum Reſponſionem ſubjicio, Nomina mihi aſſervo apud me, declaraturus ubi fuerit expediens. Vale.

Casus. *Titius* in Confeſſione indicat *Sempronio* Confeſſario, ſe in materia Fidei conſtanter aſſeruiſſe plures Propoſitiones, eaſdemque pluribus rationibus defendiſſe: ſingulis apud *Sempronium* explicatis, rogat an rectè eas aſſeruerit, & Catholicè defenderit.

Sempronius Confeſſarius reſpondet *Titio*, illas

illas omnes Propositiones, & earum Probationes petitas esse ex Epistolis *Ludovici Montaltii* sivè *Paschalis*, maximè ex duabus primis, & ultimâ. *Titius* fatetur, se ex earum Epistolarum lectione hæc omnia habuisse.

Sempronius quærit ex *Titio* an sciat eas omnes Epistolas Autoritate Apostolicâ prohibitas esse, & omnibus Catholicis earum lectionem esse interdictam; & si sciat, an habuerit legitimam facultatem legendi libros Prohibitos? *Titius* respondet scivisse se de Prohibitione, neque tamen habuisse, aut habere facultatem, legendi libros prohibitos, quia, inquit, *ejusmodi Prohibitiones non obligant sub gravi.* *Sempronius* reponit, non est ita: & ne multis te morer in re certa, exstat hac super re Declaratio Universitatis Lovaniensis, quæ ex vero docet Prohibitionem librorum prohibitorum graviter obligare. Hæc Declaratio ostendi potest. Esto, inquit *Titius*, licet graviter obligaret illa prohibitio, non fuit ipsa in Belgio debitè promulgata.

Falleris, inquit *Sempronius*, Confessarium hìc ago, non disputo: certum est, eam Prohibitionem debitè publicatam esse in Belgio, imò sciri potest mensis, & annus.

Sempronius exhibet *Titio*, Prohibitionem Pontificiam, Declarationem Universitatis Lovaniensis, tempus Publicationis in Belgio.

Titius restituit hæc omnia *Sempronio*, addit à se lecta esse, & intellecta: petit prosequi Confessionem suam, & absolvi.

Sem-

Sempronius rogat *Titium* an seriò proponat in posterum abstinere ab ea lectione, nisi habuerit legitimam facultatem.

Titius Respondet se non posse, neque velle illud proponere; rogat hoc permitti suæ conscientiæ. *Sempronius* reponit *Titium* non esse rectè dispositum, eum non habere voluntatem non peccandi de cætero: non licere sibi administrare Sacramentum indigno. Quare *Titium* tamquam indispositum, & adhuc indignum, sinè absolutione dimittit, & paternè hortatur ut resipiscat.

Quæritur.

An in hoc Casu suprapofito Sempronius *rectè judicaverit* Titium *esse indispositum*, *&* indignum, *ac propterea* debuerit *eum sine Absolutione dimittere.*

Respondemus *Sempronium* prudènter valdè judicasse, nec non rectissimè practicasse, idemque in facti contingentia practicaremus, cùm certissimum sit ex allegatis à *Sempronio*, & admissis à *Titio*, *Titium* mortaliter peccasse sine legitima autoritate & facultate legendo librum omninò pestiferum, & quidem judicio plurium Episcoporum Galliæ, aliorumque Doctissimorum Virorum, manifestè propugnantem Jansenianas Hæreses ab Ecclesia damnatas, & per consequens sæpius damnatum per Decreta variorum Pontificum in Belgio abundè promulgata, & constanter ab ommibus Catho-

tho-

tholicis admissa, & idem *Titius* patenter insinuando se habere propositum adhuc repetendi & iterandi illam lectionem sub peccato mortali eidem *Titio* interdictam, clarè manifestat se hìc & nunc esse indispositum ad legitimam Absolutionem Sacramentalem percipiendam, justissimè, & quidem Obligatoriè ei Absolutio denegatur. Datum in Conventu nostro 7. Nov. &c.

CAPUT SECUNDUM.

Refutatio Clangoris XIX. Reformandum esse in Jesuitis Chino-Jansenismum, *&c.*

1. *Indicatur quæ sit hæc objectio, unde petita, & à quibus instaurata.*
2. *Ostenditur contumacia Adversariorum; obedientia Societatis.*
3. *Hæc accusatio calumniæ convincitur: Multiplex Adversarios inter, & nos esse intervallum, demonstratur.*

FAvete linguis: carmina non priùs audita *Liberius* canit. O *Tubicen* quid affers? est, inquit, in Jesuitis *Chino-Jansenismus*; non assequor quid velis. Id est, ait, Jesuitæ in imperio Chinensi iisdem artibus ludunt Decisiones Sedis Apostolicæ, quibus in Europa Janseniani, iisdem Constitutionibus quotidie refra-

refragantur. In me nulla mora eſt, nec in Catholico eſſe poteſt. Qui Janſeniani ſunt, hæretici ſunt, & ideò *Hæretici*, quia hæreſes ab Apoſtolica Sede damnatas cum pertinacia propugnant, ideò *Janſeniani*, quia damnatum Janſeniani libri ſenſum ut hæreticum, hæreticũ eſſe inficiantur. Qui in Imperio Chinenſi, ſeu Jeſuitæ ſeu alii quicumque, ſimiliter errores damnatos cum pertinacia propugnarent, hæretici ſunt illi Schiſmatici ſunt, aut idololatræ, pro eo ac fert error ipſorum, quem pari ratione à Sede ApoſtolicaDamnatum pertinaciter tuentur. Neque enim Catholico eſſe poteſt Pondus, & Pondus; & vel ubique quoties de Fide res agitur, & Chriſti Vicarius ſuâ Definitione docet Eccleſiam, Petrus per Pontificem loquutus eſt, aut nullibi. Eorum tamen me miſeret magis, qui tanto diſcrimine tot maria trajiciunt, & procul exules, in ignoto orbe, poſt damnatam praxim abeuntes declaratamque idololatricam, ſuis laboribus ſupplicia emerent æterna.

Verùm hæc tu ita non accipis, unum præfers te urgere hoc loco, Jeſuitas ſcilicet Sinenſes, ea planè opere præſtare, quæ Europæi Janſenianis objectant, verène an falsò, hìc ais, te non inquirere, ac propterea in Parallelo poſitas eſſe vis, veras actiones Jeſuitarum Chinenſium, & in Europa Janſenianis objectas unde non immerito Jeſuitas appelles *Chino-Janſeniſtas*.

Hìc videor cogitationem tuam eſſe aſſecutus. Sed dic, amabo, quis Architriclinus Bellaria iſta ſubmiſit? digna ſunt enim, quæ, po-

positis secundis mensis, convivas tuos Sodales alliciant: dic unde hæc accepisti? subministrant hæc inquis, *Sapientissimi Missionum Peregrinarum Domini*: titulos suos nemini invideo, nihil ex his velim decerptum; vobis tamen adeò sunt familiares, cùm salutatio ad vestros dirigitur, ut consuetudine quodammodò vilescant, & toties celebratis *Sapientissimos*, ut nesciam equidem quos numeretis *Sapientes*.

Quos indicasti, illi vernaculè sunt appellati *les Messieurs des Missions Etrangeres*, Parisiis notissimum habent Seminarium; iis autoribus scriptum prodiit, alteris quoque typis editum A.º 1711. & eodem anno adjectum est ad calcem alterius lucubrationis, cui titulus est, *Advertissement sur les Pretendues Retractations des Religieuses de Port-Roial des Champs.* Ibi exstant quæ tu repetis.

Igitur cum illis mihi res est: quoniam verò te eorum interpretem constituisti, non recuso eorum Personam sustineas, atque ad eos fidelis nuntius referas, quæ ego responderim. Nunc quoniam convenimus,& vacat, conclave subeamus hoc proximum, ibi supellex literaria ad manum est, si quâ quis fortè indiguerit, tu ne statio te senem fatiget, sedile hoc occupa, ego locum hunc humilem capescam.

Velim primò *Candide* intelligas, me ad controversiam Chinensem redire non velle, cur hoc mihi iratus succenses? quid ergo, reponis, disceptabimus nos inter nos, si nodum initio scindis? ausculta: nodus ille solutus

lutus eſt, ſcindi non debet: in ea controverſia ſummus Judex Pronuntiavit, huic Pronuntiato Societas acquieſcit: vetuit Pontifex eam litem denuò ſuſcitari, non impetrabis ut renovem, de ea Pontifex ſilentium indixit, clamabis ut voles, de illa verbum non proferam; mihi certum eſt obtemperare, neque propterea loco tuo te moveas, aut abitum pares, quaſi nunc nihil ſit quod agamus, erit fortaſſe aliquid, & ne te morer diutiùs, accipe quid te velim.

Omnibus illis prætermiſſis, de quibus me loqui minimè fas eſt, tametſi res ipſa, & Conſtitutiones Pontificiæ apertiſſimum diſcrimen conſtituunt vos inter ac nos; mihi tamen ſumo oſtendere, immenſum nos à vobis differre, longiſſimum eſſe inter utroſque intervallum, & veluti Antipodas contraria invicem veſtigia premere; adeò nullum hìc eſſe, quod obtruditis *Parallelum*, nullum quem excogitaſtis *Chino-Janſeniſmum*.

Rem ipſam aggredior: vide ibi in unum collecta, Conſtitutiones Pontificias, Decreta Apoſtolica, *Breviaque*, Accipe quæ Cauſam veſtram reſpiciunt: 1.ª eſt S. Pii V. ſuccedit hujus Confirmatoria Gregorii XIII. proxima ſunt Mandata Pauli V., Urbani VIII. hujus Bulla *In Eminenti*, *Brevia* ad Archiepiſcopum, & Epiſcopos Belgii &c. ejuſdem aliud Decretum. Ponè ſequuntur Innocentii X. *Breve* ad Marchionem *Caſtelli Rodrici*. Item varia Decreta, & Conſtitutio *Cum occaſione*, *Brevia* ad Regem Chriſtianiſſimum, ad Epiſcopos Galliæ, ejuſdem

aliud

aliud Decretum. Inde eſt Alexandri VII. Conſtitutio *Ad Sacram*. *Breve* ad *Joannem ab Auſtria* Belgii Gubernatorem, Reſcriptum ad Clerum Gallicanum. *Breve* ad Vicarios Archiep. Pariſienſis, aliud ad Epiſcopos Galliæ. Conſtitutio *Regiminis Apoſtolici*, & multiplex Decretum. Proximum locum occupant *Brevia* & Decreta Clementis IX. tum multiplicia Decreta Innocentii XI. & Alexandri VIII. viciniora ſunt *Brevia*, & Conſtitutio Innocentii XII. Finem imponunt S.D.N. Clementis XI. præter Decreta *Breviaque* quamplurima, Solemnes Conſtitutiones, *Vineam Domini Sabaoth*, &, *Unigenitus Dei Filius*.

Accedamus ô *Candide* ! vivit Dominus à quo Claves Regni *Petrus* accepit, qui ad hoc uſque tempus, & ſemper in ſuis Succeſſoribus vivit, & judicium exercet : dedit Eccleſia Catholica Judicium : cauſam hanc maternâ lenitate ſuſtinuit, & judiciariâ ſeveritate, vel potiùs medicinali neceſſitate damnavit, qui huic Damnationi ſubſcribere recuſat, Hæreticus eſt. Ecce ego Confiteor coràm Deo, quia omnia, & ſingula hæc demiſsâ veneratione promptus accipio, qualia ſunt Sanctiſſima habeo, omnibus acquieſco, Damnatam Doctrinàm conceptis Alexandri VII. verbis Anathematizo. Corde ſincero, Quinque Propoſitiones excerptas ex libro, cui titulus *Cornelii Janſenii Auguſtinus*, in ſenſu ab Antore intento damnatas ut Hæreticas, & Janſeniani libri ſenſum damnatum ut Hæreticum, uti talem damno, & execror : ita me Deus adjuvet. Cape

Cape ſtylum, tu ſcribe tantumdem. Cur reluctaris, quid hæres, quas oſtentas effugiorum membranas, & volumina cavillationum?

Ecce tibi hoc alio loco collectam *Cauſam, Sinenſem*, quam tu, multis licet communem noſtram appellas: vides longo ordine diſtributa, propoſita olim in ea cauſa Dubia, Quæſitaque, & Sacræ Congregationis, Summorumque Pontificum Reſponſa, tum Mandata atque Decreta: per me licet omnia pervolve; commodo tuo omnium ſyllabum habes, & per ætatem diviſum. Ad calcem extra hunc ordinem adjunxi elegantiſſimas tabulas, Sinico opere, à Sinenſibus, in Imperio ſuo elaboratas; eaſque perantiquas: ſingulæ referunt Chriſti Patientis Myſteria, flagella imprimis, ſpineam Coronam, & Crucem, Barbaris ignominiam. Docebunt te illæ, aliorum poſthac mendacia non referre, quibus ſomniant *Societatis* Miſſionarios iis populis non annuntiaſſe Servatorem Patientem, ſed exaltatum ſolummodò & Glorioſum.

Accede denique ad poſtrema, ibi eſt Decretum S. D. N. Clementis XI. datum 20. Nov. 1704. Præmittuntur ea omnia, quorum Decretum mentionem inſtituit. Proximum eſt aliud Decretum datum 25. Sept. 1710. cui annectitur Mandatum datum *Pekini* 25. Jan. cujus in Decreto Pontifex meminit. Inde eſt Epiſtola Ill^mi. Aſſeſſoris S^ti. Officii data 11. Oct. 1710. eorumque, ad quos de Mandato Pontificio fuerat deſtinata, ad illam Reſponſio. S. D. N. Clementis Divinâ Providentiâ

Papæ

Papæ XI. Præceptum unà cum Formula juramenti præstandi. Datum Romæ 19. Martii 1715. affixum 20.

Habes Romam, verbis utar *Tertulliani*, unde Autoritas præsto est: ista quàm felix Ecclesia! cui totam Doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Vidimus quid dixerit, quid docuerit. Igitur, inquis, acquiesce: imò tu urges currentem: in hac causa, in qua nos contumacibus Jansenianis pares esse velles, perenne erit hoc Societatis monumentum, perpetua erit hæc declaratio.

"PP. Procuratorum Postulatis obsecun-
"dans Præpositus Generalis Societatis JESU
"ad Sanctitatis vestræ Pedes humillime pro-
"volutus, quocumque optimo, ac certissi-
"mo modo potest, cum omni asseveratione
"ac sinceritate, suo ac totius Societatis no-
"mine profitetur, ac declarat Sanctitati ve-
"stræ & Sanctæ Sedi Apostolicæ constantis-
"simum obsequium & reverendissimam sub-
"missionem, & obdientiam cæcam in amplec-
"tendis, & exequendis quæcumque per eam-
"dem Sanctam Sedem, Decreta fuerint &
"imperata; iisque potissimum, quæ circa Si-
"nicos Ritus edita sunt, tum anno MDCCIV.
"die 20. Nov. tum anno MDCCX. 25. Sept.
"Quæ quidem Decreta etiam prout à Sanc-
"titate vestrâ explicata, & exposita fuerunt
"in literis Sanctitatis vestræ nomine, eidem
"Præposito Generali scriptis ab Illmo. &
"Revmo. D. Assessore Sti. Officii sub die 11.
"Oct. 1710. inconcussè, & inviolabiliter,
"sub Censuris & pœnis ibidem expressis, si-
"nè

"nè ulla contradictione, tergiversatione, aut "cunctatione, quovis contrafaciendi quæsito "colore, aut prætextu penitùs sublato, sibi "ad amussim observanda, & exequenda, "spontè & ultrò admittit, & amplectitur So-"cietas universa. &c. Vide reliqua Cap. III.

Intelligis, opinor, nos aliquid egisse, tametsi ad Controversiam Sinensem contra Mandatum Summi Pontificis minimè redierim. Vides nos immensùm à vobis differre? Nos *omnia* Sedis Apostolicæ Instrumenta accipimus, omnibus stamus, ad quamcumque causam pertineant: vos *Nullum* accipitis, quod causam vestram redarguat. *Nullum* inquam, aut, si potestis, legite ejusmodi nobis *Unum*, cui, ut par erat, steteritis. Hoc primum est, vos inter, & nos intervallum. Scio, repones tu quidem, nos fallere, nos decipere, nos restrictionibus uti, nos mentiri: sed hæc *vos* dicitis, hæc *vestra* encomia sunt: vobis judicibus, non homines sumus nos, sed erebi infamis propâgo, quæ nec animam se sciat habere, nec timeat Deum. Ego responsis, & Constitutionibus Apostolicis adversùs vos pugno, vos armis paribus pugnate, ostendite ubi nominemur, aut obmutescite.

Pergamus porrò pacatè.

Septuaginta, & amplius annis, Summi Pontifices, Episcopi, Reges, Principes contumaciæ erga Sedem Apostolicam vos arguerunt; dic quando, aut ubi declaratio vestra emanaverit, qua vos tam immani crimine liberaretis? aut si quæ umquam emanaverit, quam

quam Summo Pontifici obtulistis, ipsi Christi Vicario probatam, ipso permittente publicam, atque ut talem orbi exhibitam? Quam primùm innotuit famoso libello, *Artes Jesuiticæ*, Societatis submissionem, atque obedientiam erga Caput Ecclesiæ tantis calumniis negari, nullâ interpositâ morâ Societas solemniter est Protestata, sententiam suam declaravit, suæ Sanctitati demissè obtulit supplici libello; purgavitque se palàm. Sanctissimus Dominus offerentes benignè excepit, oblatamque sibi Declarationem præmissam, typis mandari, ac pervulgari posse permisit. Ubi pares passus, ubi Parallelum? imò apertissimum est hoc alterum discrimen, & longissimum Vos inter, ac Nos intervallum.

Tanto tempore nullum vestrum instrumentum ex Permissione Pontificis publicum est, qua aliquam reverentiam vestram Sedes Apostolica probare potuerit, tale publicum dedit servatque minima Societas nostra. Repetet proinde jure meritissimo ex libello Fidei ad Innocentium I. olim transmisso, "Si hæc "nostra Confessio Apostolatûs tui judicio "comprobatur, quicumque me maculare vo-"luerit, se imperitum vel malevolum, vel "etiam non Catholicum, non me *ab obedi-"entia deficientem* comprobabit.

Superest aliud: quam Definitionem, aut Constitutionem Apostolicam, quod Decretum Religionis jam promulgatum, publico scripto, ex professo, quod aiunt, & directè, Societas, impetiit, & oppugnavit? quod oppugnari permisit? Inquire in hanc rem sedulò, pro-

duc

duc tabulas aptas, si potes, da proprios libros, certosque: Nomina Testes non recusandos: spuria instrumenta nihil moror; infamibus nihil credo. Damnatæ opellæ, Epistolæ Montaltii, harum Apologia, Moralis Practica, evocatæ ex his *Artes Jesuiticæ*, te quidem criminis arguunt, & condemnant: cùm illas adducis, contra accusatos nihil evincunt. Rei sunt illi; *Actores* evadere studuerunt; illâ viâ non successit, *Rei* damnati sunt, pænas tulerunt, Damnati causam dicere non possunt.

Jam verò respice, si placet, à læva; ibi literaria supellex per Pontifices divisa est, sub unoquoque Christi Vicario in ordinem sunt digestæ Oppugnationes, quæ adversùs Constitutiones, aut Decreta cujusque Pontificis emanarunt. Dextrum latus è Regione occupant eâdem serie, & ad tempora sua revocati, qui pro Sede Apostolicâ adversùs oppugnatores illos steterunt. Conficiamus nunc quidem brevissimè, quàm multiplicibus, & publicis scriptis Sedes Apostolica, vobis autoribus palàm, datâ operâ, directè, fuerit impetita, turpiter lacerata, insimulata falsi, & ne ultrà pertinacia haberet quo ascenderet, accusata erroris.

Initium ducamus ab Urbano VIII. Hujus Constitutio *In Eminenti* & cùm viveret Summus Pontifex, & cùm diem suum obiisset oppugnata est publicis scriptionibus, amplius centum viginti, quorum aliæ Bullam ipsam perstringunt, aliæ propugnant, quæ sunt illâ Constitutione damnata.

Ad-

Adversùs Definitionem Fidei Innocentii X. & Bullam *Cum occasione*, aliudque ejusdem Decretum libelli prodierunt pro eadem causa ultra triginta quinque spatio unius triennii.

Contra Constitutionem *Ad Sacram* Alexandri VII. & alteram *Regiminis Apostolici* sparsa sunt opuscula non minùs octoginta.

Sub Summis Pontificibus Clemente IX. & X. Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. pro causa Janseniana typis edita sunt scripta plus quàm centum viginti.

Tum Sola Causa *Sebasteni* Vicarii Apostolici in Provinciis Fæderatis, ab Apostolicâ Sede suspensi complectitur pro *Sebasteni* adversùs Summum Pontificem defensione aliisque incidentibus eò facientibus, lucubrationes supra trecentas.

Constituito S.D.N. Clementis XI. *Vineam Domini Sabaoth* aliæque eâdem Constitutione repetitæ, oppugnationes numerarunt ultra centum.

Bulla *Unigenitus Dei Filius*. Data 8. Sept. 1713. jam nunc, usque in hunc diem, qui est pridie Kal. Nov. 1714. libellis amplius quadraginta, unius anni spatio elaboratis veluti permissis omnibus inverecundiæ, & contumaciæ habenis impetitur & laceratur.

Adde non omnia ad manus meas pervenisse, neque me alia enumerare, quàm quæ asservo ad materiam suam revocata, in ordinem Chronologicum reducta; aliorum numerum hoc loco prætereo.

Redeo ad Parallelum: vos innumeris scriptis, Definitiones, Constitutiones, iisdem

Sta-

Statuta, atque Decreta, eorumdem defensores oppugnastis, lusistis, omni calumniarum genere traduxistis: nemo vestrum surrexit qui editam à Sede Apostolica Constitutionem aliquam, quæ ad Religionem attineret ab ullo Societatis oppugnatam fuisse commonstrare potuerit.

Estne quod amplius desideres, ut quantùm distemus, etiam illi videant, qui hoc nollent intelligere? Consule nunc prætereà à sua Sanctitate, confirmatum, approbatumque responsum ad Articulum septimum: ipsum sic habet. "Laudanda est Declaratio in "calce ejusdem Mandati adjecta, quâ dicitur "culpandos non esse illos Missionarios, qui "aliam praxim ab ea, quæ in ipso Mandato "præscribitur, sequi hactenus duxerunt; cùm "mirum videri non debeat, quod in ejusmodi materia tot annis discussa, & in qua juxta diversas Sedi Apostolicæ exposita circumstantias, diversa itidèm ante hac emanunt ejusdem Sedis Responsa, concordes "omnes non fuerint in eadem sententia. Ita "proindè in hac re agendum fore, tum à "præfato Domino Patriarcha Antiocheno, "tum ab aliis, quibus superiùs Responsorum executio injungitur, ut omnis quidem "Ethnicæ superstitionis species, ejusque afflatus juxta *Tertulliani* monitum etiam de "longinquo evitetur: in simul tamen Operariorum Evangelicorum, in vinea Domini "strenuè ac sedulò operantium, qui priusquam supra relata dubia ex solita hujus Sedis Providentia, ac rectitudine dirimeren-"tur,

„tur, aliter senserunt, honori, ac famæ con-
„sulatur, nec tamquam idololatriæ fautores
„traducantur; præsertim quia pleraque ex
„illis, quæ Christianis permittenda non esse,
„sicut præmittitur, responsum fuit, ipsi quo-
„que se numquàm permisisse declararunt, nec
„dubitandum sit, ipsos finitâ jam causâ præ-
„fatæ S. Sedis mandatis eâ qua decet humi-
„litate & obedientiâ esse obsecuturos.

Lege nobis tantumdem pro Causa Janseniana. Sed res apertior est, quàm ut urgere te debeam, & vos callum obduxistis jam pridem, atque id unum constanter habetis præ oculis, *Refragari Sedi Apostolicæ*; ita etiam hoc loco quæ ipsa non improbat, vos Damnatis, quæ prohibet, facitis. Jesuitas seu idololatras plenis buccis, onustis libellorum plaustris per Europam imperitis, & mulierculis obtruditis, quos Apostolica Sedes tamquam idololatriæ fautores vetuit traduci; quorum honori, ac famæ consuli imperavit.

Ad extremum post hæc omnia, hoc summum habeto nos inter discrimen, hoc intervallum.

Quæ vobis objicimus, & objiciunt boni omnes, singula sunt Constitutionibus Apostolicis definita.

Quæ recriminatione nobis objicitis, nullâ de nobis sunt constitutione Pontificiâ promulgata.

I nunc, per me licet, & de PARALLELO *Dominis tuis* laturus hæc Nuntius ibis.

§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§

CAPUT TERTIUM.

Refutatio Clangoris XX. Reformandam esse in Jesuitis insinceritatem. &c.

Proponuntur, 1º. Declaratio R. Adum. P. Michaëlis Angeli Tamburini Præpositi Generalis S. J. 2.º Rationes, ob quas fictus Liberius *meritò esset contemnendus. 3.º Quæstiones ejusdem, & observationes aliæ, atque ad illas Responsa.*

CONsueta in Societate PP. Procuratorum Congregatio indicta fuit in mensem Novembrem Anno 1711. quo tempore quoque ipsa est habita. Exhibito eâ occasione Congregatorum Postulato, Præpositus Generalis Summo Pontifici Declarationem humiliter obtulit; ipsa his verbis expressa est.

Die xx. Novembris M. DCCXI.

R*Everendissimus Pater Michaël Angelus Tamburinus Præpositus Generalis* Societatis *Jesu, provolutus ad pedes Sanctiss. D. N. D. CLEMENTIS Divinâ Providentiâ Papæ XI. in Palatio Apostolico Quirinali, unâ cum PP. Assistentibus Nationum, ac Procuratoribus singularum Provinciarum dictæ Societatis, obtulit Sanctitati Suæ per modum supplicis Libelli scripturam tenoris, qui sequitur, videlicet:*

Foris

Foris:
Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTI Papæ XI. Pro Præposito Generali Societatis JESU.

Intus verò:
Inter postulata, quæ Patres Procuratores missi Romam è singulis Societatis JESU Provinciis ad consuetam Congregationem Procuratorum indictam in hunc mensem Novembrem Anni M. DCCXI. proposuêre, unum fuit præ cæteris summâ oblatum contentione, & acerrimis omnium studiis, votisque commendatum, tanquam longè maximi ad suarum Provinciarum pacem, & existimationem momenti.

In hoc postulato significant Præposito Generali lacerari Societatis universæ nomen indignissimâ accusatione, quæ illi majorem inurit dolorem, quàm innumerabiles aliæ accusationes, obtrectationes, & calumniæ contra eamdem fabricari, & dissеminari solitæ; & quâ se fatetur ad vivum vulnerari, & pupillam oculi sui tangi.

Accusationem hanc vehementiores Adversarii his verbis informant.

Erga Decreta Pontificia præ cæteris exactam submissionem, cæcamque obedientiam buccinant Jesuitæ; ab ea tamen præ ceteris deficiunt, dum ad salivam Decreta non sunt..... Religiosos Societatis præ cæteris inobedientes esse Constitutionibus Apostolicis. (a)

Eam

[a] In Lib. Artes Jesuiticæ pag. 537.

Eam ob rem prædicti Patres Procuratores ad refellendam omni ope tàm probrosam, quàm à veritate alienam accusationem, simulque ad declarandum Societatis dolorem, cum se tàm gravi, tàm acerbo vulnere petitam sensit; unâ voce postularunt, ac faciendum judicarunt, ut solemni, & legitimâ quadam actione, quæ vim, & locum obtineret cujuscumque Apologiæ, Præpositus Generalis Societatis, nomine totius Ordinis, confirmaret, contestaretur, ac declararet, provolutus ad Sanctitatis Suæ pedes, & coram Ecclesia universa, constantissimam, immutabilem, invictam totius Societatis JESU fidem in amplectendis, obeundis, & ad ultimum usque spiritum exequendis, quæcumque fuerint à Sede Apostolica præscripta, constituta, & imperata, & nominatim quod spectat ad Decreta per Suam Sanctitatem edita de Ritibus Sinensibus tùm anno M.DCCIV. die 20. Novembris, tùm anno M.DCCX. die 25. Septembris; Quæ quidem Decreta, etiam prout à Sanctitate Sua explicata & exposita fuerunt in literis ejus nomine scriptis ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Assessore Sancti Officii ad Reverendum Admodum Patrem Præpositum Generalem Societatis sub die 11. Mensis Octobris anno 1710 inconcussè, & inviolabiliter, sub censuris, & pœnis ibidem expressis, sine ulla contradictione, tergiversatione, aut cunctatione, quovis contrafaciendi quæsito colore, aut prætextu pe-

penitùs ſublato, ſibi ad amuſſim obſervanda, & exequenda, ſpontè, & ultro admittit, & amplectitur Societas univerſa: atque ita obloquentium ora obſtructum iri confidit.

Huic poſtulato unà cum Patribus Aſſiſtentibus iidem Patres Procuratores Romæ convocati propriâ manu ſubſcripſêre.

Michaël Dias *Aſſiſtens* Luſitaniæ.
Andreas Waibl *Aſſiſtens* Germaniæ.
Joannes Vincentius Imperialis *Aſſiſtens* Italiæ.
Guilielmus Daubenton *Aſſiſtens* Franciæ.
Ludovicus de Monteſdoca *Aſſiſtens* Hiſpaniæ.
Mathias Karski *Procurator* Lituaniæ.
Richardus Plowden *Procurator* Angliæ.
Stephanus Sczainecki *Procurator* Poloniæ.
Joſeph Vicecomes *Procurator* Provinciæ Mediolanenſis.
Carolus Franciſcus Demachault *Procurator* Campaniæ.
Carolus Dauchez *Procurator* Franciæ.
Joſephus Preiſl *Procurator* Germaniæ Superioris.
Jo: Baptiſta Spinula *Procurator* Provinciæ Romanæ.
Antonius Mileſius *Procurator* Provinciæ Venetæ.
Andreas Dehmaz *Procurator* Rheni Superioris.
Joannes Petrus du Fornel *Procurator* Provinciæ Toloſanæ.
Gaſpar Buhon *Procurator* Provinciæ Lugdunenſis.
Balthaſar Weiman Rheni Inferioris *Procurator.*

Ga-

Gavinus Silvester Lecca *Procurator* Sardiniæ.
Joannes de Bruyn *Procurator* Flandro-Belgicæ.
Franciscus Reschalli *Procurator* Austriæ.
Joannes Capeta *Procurator* Bohemiæ.
Dominicus Viva *Procurator* Neapolitanæ.
Joannes Baptista de Fourmestraux *Procurator* Gallo-Belgicæ.
Antonius Franciscus Joseph Provana *Procurator* Sinensis.

Beatissime Pater.

Tam justis, tàm gravibus, ac necessariis PP. Procuratorum postulatis obsecundans Præpositus Generalis Societatis JESU ad Sanctitatis Vestræ pedes humillimè provolutus, quocumque optimo, ac certissimo modo potest, cum omni asseveratione, ac sinceritate, suo, ac totius Societatis nomine profitetur, ac declarat Sanctitati Vestræ, & Sanctæ Sedi Apostolicæ, constantissimum obsequium, reverentissimam submissionem, & obedientiam cæcam, in amplectendis, & exequendis quæcumque per eamdem Sanctam Sedem decreta fuerint, & imperata; iisque potissimùm, quæ circà Sinicos ritus edita sunt, annò MDCCIV. die 20. Novembris, tùm anno MDCCX. die 25. Septembris. Quæ quidem Decreta, etiam proùt à Sanctitate Vestra explicata, & exposita fuerunt in literis Sanctitatis Vestræ nomine eidem Præposito Generali scriptis ab Illustrissimo, & Reverendissimo Do-

Domino Affeffore S. Officii fub die 11. Octobris anno 1710. inconcufsè, & inviolabiliter, fub cenfuris, & pœnis ibidem exprefsis, finè ulla contradictione, tergiverfatione, aut cunctatione, quovis contrafaciendi quæfito colore, aut prætextu penitùs fublato, fibi ad amuffim obfervanda, & exequenda, fponte, & ultrò admittit, & amplectitur Societas Univerfa. Teftatur autem idem Præpofitus Generalis hanc effe vocem, hoc votum, hunc Spiritum Societatis Univerfæ: hunc, & futurum effe; ficut procul dubio femper fuit.

Quod fi quis nihilominùs è noftris effet ubicumque terrarum (quod avertant Superi) qui aliter fentiret, & loqueretur, aut locuturus effet: nam id omninò prævenire, aut impedire nulla fatis poteft humana prudentia, in tanta Subditorum multitudine: declarat, afferit, ac profitetur Præpofitus Generalis nomine totius Societatis, fe jam nunc illum reprobare, repudiare; ac meritâ caftigandum pœnâ, neque agnofcendum pro vero, & genuino filio Societatis: Illum tamquam degenerem, & non fuum habebit, uti tales femper habuit, & modò habet Societas, & quantùm poterit, femper comprimet, & conteret.

Ea mens, hoc propofitum, ea conteftatio, Societatis eft, quam ejus totiùs nomine deponit ad Sanctiffimos Pedes Beatitudinis Veftræ Præpofitus ipfius Generalis, ut indè per univerfam differminetur, ac fpargatur Ecclefiam. Quod fi ad exprimendam

efficaciùs Societatis in hac proteſtatione mentem, inveniri verba poſſent clariora, & magis ſignificantia, aut formulæ magis diſtinctæ, diſertæque ad obſtruendum omnem cavillationibus, & ſiniſtris interpretationibus aditum; intendit, optat, Præpoſitus Generalis, ut ea, quæ in hoc ſcripto adhibet, verba vim omnem aliorum quorumcumque magis idoneorum habeant, fateturque ſibi non occurriſſe ulla meliora, & apertiora; quibus veram, & ſinceram totius Societatis mentem declararet.

Ex Domo Profeſſa Romana die 20. Novembris 1711.

Ita fatetur, & proteſtatur

Michaël Angelus Tamburinus Præpoſitus Generalis.

Idem verò Sanctiſſimus Dominus Noſter ſupradictos Patres, Præpoſitum Generalem, necnon Aſſiſtentes Nationum, ac Procuratores Provinciarum ejuſdem Societatis, quam Sanctitas Sua in viſceribus gerit Paternæ ſuæ Charitatis, benignè excepit: oblatamque ſibi declarationem præmiſſam Typis mandari, ac pervulgari poſſe permiſit.

Prodiit ergo, vulgataque eſt hæc declaratio Summo Pontifice permittente: poſſem equidem benignam hanc conceſſionem, Summæ nobis conſolationi, atque apud non ignaros

naros summi ponderis semper futuram, possem, inquam, securus contemnere, quidquid malevolentia, aut effrænis nos accusandi libido adversùs perpetuum hoc Societatis monumentum objiceret; quod, tametsi minimè facere constituerem, non esset profectò, undè larvati hujus *Liberii* obtrectationes movere me deberent; sunt enim in Sedem Apostolicam irreverentes, & constantis pertinaciæ, publica sunt testimonia. Sine Lector Catholice, hæc pauca tibi exponam, non erò pro tanta rei gravitate prolixus.

Singulis *Clangoribus*, ut appellat, Accusationum suarum testimonia adducit libros à Sede Apostolica proscriptos, hos allegat & recitat sæpiùs, ex eorum laciniis opus illud coaluit, indicantur autem hi libri ibidem.

1. *Discursus Joannis Marianæ* Damnatus 23. Aug. 1634.
2. *Consultatio Juniperi de Ancona* Damnata 23. Aug. 1634.
3. *Relatio Alphonsi de Vargas* Damnata 22. Aug. 1665.
4. *Theatrum Jesuiticum* Damnatum 26. Feb. 1654. atque aliàs iterum.
5. Epistola Andreæ *Trevisii*, & *Pistorii Niddardi* in *Mercurio Jesuitico*, Damnato in *Indice* pag. 192.
6. *Journal de St. Amour* Damnatus in Indice pag. 159. Decreto item singulari 28. Martii 1664.
7. *Artes Jesuiticæ* Damnatæ 4. Martii 1709. & aliàs iterum.
8. *Moralis Practica* Damnata in *Indice* pag. 198.

198. ejusdem tomus 2. Damnatus 27. Maii 1687.

9. *Monita secreta Societatis* Damnata 28. Sep. 1616. & 16. Martii 1621. &c.

10. *Epistolæ Ludovici Montaltii ad Provincialem* Damnatæ 15. Sept. 1657. & aliàs iterum.

11. *Apologia Epistolarum Ludovici Montaltii* Damnata 11. Martii 1704.

12. *Causa Arnaldina* Damnata 8. Apr. 1699.

13. *Fortunii Galindi* de causis publici erga Societatem odii Disputatio, composita ex Damnatis 23. Aug. 1634. item in appendicibus ad Arcana *Scioppii*.

14. *Theophili Hugenii Protocatastasis* Damnata 16. Martii 1618.

15. *Danielis Hospitalii consultatio* composita ex Damnatis 23. Aug. 1634. item in Appendicibus ad *Arcana Scioppii*.

16. Epiphaneia *Francisci Roales* & omnes Tractatus de eodem argumento, prorsus prohibentur. In Indice. pag. 422.

17. Scriptum cui Titulus, Ill$^{mi.}$ D. Joannis de Palafox & Mendoza Epistola ad Summum Pontificem Innocentium X. &c. In Indice Inquisitionis Hispanicæ Publicato Anno 1707. lit. I. pag. 745. &c.

Hos inquàm libros omnes Damnatos, prohibitos, aliàs gravibus censuris perstrictos, dicteriorum suorum autores, Patronos, & testes adducit, contrà ac supremâ autoritate est cautum; semel, iterum, ac pluries indicat, recitatque, nonnullos ex integro curavit reimprimi. Acce-

Accedit ad luctuosum hoc in Sedem Apostolicam irreverentiæ argumentum, multiplex ejusdem autoris pronunciatum; ex plurimis, quæ in vasta sylva occurrunt, pauca delibo. Unum sic habet, in priori editione pag. 183. in 2.ª pag. 189.

„ Jesuitis Summus Pontifex commendavit, „ commendavit inquam, S. Scripturæ in Si-„ nicum Idioma translationem, atque ut Si-„ nicâ linguâ Missas ibi celebrarent, Breviari-„ um recitarent, Sacramenta administrarent, „ verùm hoc ipsis superiores ipsorum non „ permiserunt.

Hoc falsum esse copiosissimè demonstravit Franciscus S.R.E. Cardinalis Albitius libro *de Inconstantia in jure admittenda, vel non.* Cap. XXXIV. à pag. 374. ac maximè pag. 390. Dixi de hoc pluribus antè Cap. 14. pag. 335.

Alterum ita exprimitur, in 1ª. Edit, pag. 243. in 2ª. pag. 249.

„ Audi *Rodriguem* de tribus Obedientiæ gra-„ dibus Cap. 13. *Religiosi Professi nostræ So-„ cietatis obligant se quarto, & solemni voto o-„ bedientiæ cæcæ, & extraordinariæ omnibus „ Papæ voluntatibus.* An non eximia quæque „ propterea merentur? quid igitur mirum, si „ tot privilegiis, & exemptionibus, præ cæ-„ teris Societas hæc munita sit. Falsum est tale votum in Societate emitti; Falsum est, ab eo autore scripta fuisse, quæ ex ipso allegantur: sed hoc parum est apud pium Autorem, probatumque Asceticum *Alphonsum Rodriguez* ea verba non legi, res enim immutandæ sunt semper, adornandæque, ut fucus fiat incautis, & fraus lateat imperitos: sed cui sensato homi-

homini venit in mentem, ad ejuſmodi originem revocare conceſſa paternè à Sede Apoſtolica Religioſis Ordinibus privilegia? quis Summos Pontifices reveritus eſt, & cæcis ejuſmodi obſequiis demulceri eſt autumatus? quis in graviſſimis illis conceſſionibus, eos non credit ſummis momentis duci, atque moveri?

Alibi tertium, & brevius eſt. *Pax*, inquit, *à Clemente IX. Eccleſiæ Gallicanæ reddita, per ſiniſtram Jeſuitarum interpretationem brevi rupta fuit.** Ludum ſuum ludit hic homo ſemper irreverentem: in Caput Eccleſiæ peccat graviſſimè, ipſum arguit in rebus quoque ad Fidem pertinentibus, ſubditorum ſuorum falſis expoſitionibus præoccupari, & decipi, deceptumque, pacem ipſam ab Eccleſia tollere, affirmare non erubeſcit.

Inde Quartum occurrit, enuntiatque *Antonium Arnaldum*, in hac ſua Propoſitione, à SS. Patribus exhiberi nobis in B. Petri Perſona juſtum aliquem, cui gratia, ſinè qua nihil poſſumus in ea occaſione defuit, in qua illum minimè peccaſſe nemo dixerit; Sanc-"torum Auguſtini, & Chryſoſtomi ſenten-"tias fideliter retuliſſe... cum ſanctis DD. "iſtis, cumque reliquo SS. PP. choro *ſolùm* "tradidiſſe Primum ex V. Articulis ab *Alex-"andro VII. approbatis.* *

Atque ut compendio plura abſolvam, ipſa Summorum Pontificum Conſtitutionibus definita, nunc Nova appellat, ac *prorſus inſolita, ab Eccleſiæ more prorſus aliena*; nunc *contra*

*266 *137

contra juris ordinem, *& æquitatem naturalem:* ne à Romanis quidem adhuc gentilibus eâ ratione actum fuisse. *

Ab immani illa in Sedem Apostolicam irreverentia, gradum facit ad luctuosissimam contumaciam, atque in propugnandis erroribus, eludendisque Definitionibus pertinaciam inauditam. Eò priusquam ascenderet, visum est homini falcem mittere ad radicem, ipsamque Supremi judicis potestatem arrodere, atque proscindere, & quantum in ipso est, tollere.

Constans est siquidem, atque perpetua Sanctorum Conciliorum Doctrina ex Sacris Literis demonstrata, à Summis Pontificibus, Sanctis Patribus, & Doctoribus stabilita, Christi Vicariis Sti. Petri Successoribus à Deo relictam esse Potestatem, qua infallibiliter probent, aut damnent omnes omnium librorum sensus, sintne illi Sacris Literis conformes, an contrà difformes: ex adverso hic scriptor Promissam illam à Christro infallibilitatem, veluti Jesuitarum quamdam exaltationem impudentissimè traducit, & *librorum sensus*, imperito effugio *Facta* appellat *non Revelata*: genuina verba hæc sunt in 1.ª Edit. pag. 243. in 2.da pag. 249. "Infallibilitatem "Papæ quod attinet, quis umquam altiùs "eam extulit, quam Jesuitæ? an non viris "illis acceptum debet, quod Synodorum "Generalium infallibilitatem supergressa "etiam ad *Facta* non *Revelata* modò porrigi"tur? an non illis tam energicis (scis quid "velim) Sociorum suasionibus, & persuasionibus

*346

"onibus fieri videmus, ut hæc *opinio* ad Cle-
"rum, ipsosque adeò Ecclesiæ proceres us-
"que proveniens, tanta sensim incrementa
"faciat, ut Ecclesiasticorum Dogmatum dig-
"nitatem propè æmulari videatur.

His veluti Regulâ quâdam sibi propositâ, viam suam ingreditur: vidè obsecro quibus passibus; revocabo in memoriam, quæ hoc loco juverit meminisse, ut de re totâ intelligas accuratiùs.

Notissimum est Orbi Catholico Innocen. X. P. M. post Urbanum VIII. & Bullam *in Eminenti* solemni sua Constitutione, *Cum occasione* datâ pridie Kal. Junii 1653. damnasse ut Hæreticas V. Propositiones Libri, cui titulus *Augustinus Cornelii Jansenii Episc. Iprensis*, idque, ut *Brevibus* ad Regem Christianissimum, ad Archiepiscopos, & Episcopos Galliæ 31. Maii 1653. significare dignatus est, *Post longam accurati examinis indaginem, & Spiritûs S. lumen publicè, ac privatim sæpius imploratum.* Agnoverunt id cum Catholicis omnibus Episcopi Galliæ, atque in sua ad Innocentium X. Epistola ita scribebant: *Optata pervênit ad nos tandem Constitutio illa, qua vestræ Sanctitatis autoritate, quid sentiendum sit de Controversis Quinque propositionibus, quæ sunt excerptæ è Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi libris perspicuè decernitur.*

Declaravit id iterum Sacra Congregatio Feriâ V. 23. April 1654. Et Agnoverunt iterum Galliæ Prælati Parisiis congregati in altera Epistola ad Summum Pontificem datâ 28. Martii 1654. aliâque adjunctâ encyclicâ; indicarunt eâ occa-
sione

sione fictam in Gallia suscitari Controversiam, affirmarique damnatas non esse eas Propositiones in sensu, qui ab Jansenio traditus esset, & explicatus. Respondit ad hæc disertissimis verbis Innocentius X. in *Brevi* ad Archiepiscopos, & Episcopos dato 29. Sept. 1654.

Constitutione Nostrâ die 31. *Maii anni* 1653. *Damnavimus in V. Propositionibus Cornelii Jansenii doctrinam ejus Libro contentam, cui Titulus* AUGUSTINUS.

Innocentio X. P. M. ad Superos evocato Idus Jan. anno 1655. Jansenianorum ingenium alias ex aliis trudit cavillationes; de singulis ad Alexandrum VII. retulerunt Episcopi Galliæ 2. Sept. 1656. Alexander VII. *Publicæ tranquillitatis perturbatores* in viam studuit revocare, ediditque Constitutionem *Ad Sacram* 17. kal. Nov. 1656. hæc Confirmavit innocentii X. Constitutionem *Cum occasione*: tum contra *nonnullos Filios iniquitatis* Declarat *eam causam* cujus omnibus Congressibus interfuerat, *discussam esse eâ profectò diligentiâ, qua major desiderari non possit*; & in hæc verba definit.

„Quamcumque dubitationem super præ-
"missis imposterum auferre volentes .....
"V. illas Propositiones ex Libro præmemorati
"Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui Ti-
"tulus est *Augustinus*, *excerptas*, *ac in sensu*
"*ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas*
"*fuisse*, Definimus, & Declaramus, & ut
"TALES &c. iterum Damnamus.

In eumdem sensum exaratum est *Breve* datum

datum 23. Dec. 1656. ad *Joannem ab Austria* Belgii Gubernatorem.

Quantâ sollicitudine adlaboraverint Episcopi Galliæ ut hanc Constitutionem exequerentur, aliis literis suis testati sunt in Comitiis Generalibus congregati 20. Feb. 1661. addiderunt tum quoque, novarum rerum avidos, in alios, & alios sinus se recipere, & nihil relinquere intentatum: Reposuit ad hæc 16. Maii altero *Brevi* suo Alexander VII. & spiritu sanè Prophetico; *Hujus mali vivacitas numquam penitùs extinguetur, nisi contra contumaces, ad pœnas præscriptas in Constitutione Fel. Record. Innocentii X. & in alia nostra seriò procedatur.*

Crevit interea mendax temeritas: publico Decreto dato die 5. Junii Vicarii Em^mi Card. *De Rets* Archiepiscopi Parisiensis ausi fuerunt asserere: tempore Innocentii X. non "aliud actum fuisse, quàm inquisitum, an Pro"positiones illæ V. de Gratia, veræ, & Ca"tholicæ, an potius falsæ & Hæreticæ censen"dæ forent. Quamprimùm Alexander VII. Vicarios illos altero *Brevi* dato 2. Aug. 1661. pro Paterna tamen mansuetudine commonefecit; illo declarat, testaturque, "eo planè "tempore nedum de Propositionibus ipsis "cognitionem habitam fuisse, verùm quod "è Jansenii Libro *Augustinus* nuncupato ex"tractæ essent, & ita in sensu ab eodem Jan"senio intellectæ damnatæ; ut nos ipsi, inquit, "Constitutione nostrâ 27. Kal. Nov. 1656. lu"culenter expressè declaravimus. Post quæ "subjungit gravissimè. *Quod cum adeò fal-*

sum

sum patensque mendacium in re tali asserere minimè veriti sitis, ubique malorum zizaniorum in agro Dominico Seminatores, Ecclesiæ Catholicæ perturbatores, & quod in vobis. est, autores turpissimi schismatis esse deprehendimini.

In eamdem sententiam aliud demùm *Breve* Emanavit 29. Julii 1663. habitisque novis literis Episcoporum Galliæ datis 2. Oct. ejusdem anni, atque intellectis Oratoris Regis Christianissimi in Urbe relationibus, Alexander VII. Constitutionem dedit, *Regiminis Apostolici*, 15. Kal. Martii 1664. eâ, more majorum constituit Fidei *Formulam*, cui Catholici interposito Sacramento subscriberent.

Pertinax contrà *Liberius*, subdolas illas cavillationes, & protervos circuitus instaurat. Negat damnatas V. Propositiones esse exceptas, negat ut tales fuisse examinatas, negat in sensu Janseniani Libri declaratas esse Hæreticas. Ait sensum Janseniani Libri, sensum esse *S. Augustini*, Definita à Sede Apostolica, ipsi artes, & doli sunt Jesuitarum, & circumventiones Pontificum. Accipe propria verba nullo apice immutata. In Edit: 2.a pag. 344. "Et, quibus non dolis, " technis, falsis criminationibus verissimæ Ca-" tholicissimæque S. Augustini de Gratia doc-" trinæ defensores apud Summos Pontifices " persecuti sunt? Primò namque videntes " actum esse de Molinismo suo, si Jansenii " *Augustinus* adjuncto Parallelo inter Mo-" linisinum, & Semi Pelagianismum curreret, " Propositiones quinque ambiguas, æquivo-" cas, pravum sensum primo aspectu præferentes

"rentes, per devotum sibi Doctorem *Cornetum* Exjesuitam fabricarunt, easque totidem verbis in Jansenii Augustino contineri *Annatus*, & alii contra veritatem sparserunt, Christianissimi Regis aulam, Galliarumque Episcopos sibi devotos quàm multos, per ipsosque Romanam Curiam Urbanum VIII. Innocentium X. Alexandrum VII. Orbem denique universum circumvenientes, Propositiones à Jansenio (in libro illo) & ab iis qui se Augustini defensores dicebant, Calviniano sensu defendi; ipsos proinde Calvinistas esse, hæreticosque perniciosissimos, qui Christianæ Religionis fundamenta subvertebant: quod tam frequenter, & tantâ calliditate quaquaversùm Regibus, Principibus, Episcopis, Romanæ Curiæ aulicis, Eminentissimis Cardinalibus, ac per ipsos laudatis Romanis Pontificibus, ipsi etiam moderno Pontifici inculcarunt, ut persuaserint. Et inde factum, quod Innocentius X. illis fidem adhibens eas ex Jansenii *Augustino* decerptas, narrativè, non definitivè dixerit in Proœmio, & clausulâ Constitutionis suæ, nullâ ipsius mentione factâ in ipsarum Propositionum definitiva condemnatione. Nec enim Libri Jansenii examen Censoribus seu Consultoribus injunxerat, sed Propositionum dumtaxat *in abstracto*, id est à quocumque proferente abstrahendo; pro ut ex ipsismet Censoribus nonnulli testificati sunt, nec ex ullo actu authentico ostendi potest, juridicum libri illius examen ab Innocentio X. cuiquam injunctum fuisse.

Atque

Atque iterum, & brevifsimè quidem paulò poft pag. 348.

Jefuitæ, *ab Alexandro VII. per Sub, & Obreptionem obtinuerunt Conftitutionem* AD SACRAM, *in qua S. Auguftini defenfores propterea vocat Filios iniquitatis.*

Tum denique ne cuiquam dubium fit, quo fenfu *Formulæ* Alexandrinæ fubfcriberet, hæc totidem verba fubnectit.

„Jefuiticâ obreptione perfuafum fuit Summo Pontifici quod *Auguftini*, & *Facti Janfeniani* defenfores, nec bonâ, fed peffimâ „fide profitebantur, fe quinque Propofitiones Damnare *in fenfu naturali*, quem fecundum fe ferunt; nec bonâ fed peffimâ fide „proteftabantur, fe Alexandrinam Conftitutionem (Propofitiones illas Janfenii Libro „*Attribuentem*) revereri, atque in Reverentiam, & *in obedientiam ei debitam* contra iftam „*attributionem* [quam *Factum* vocant *Janfenianum*] non obloquuturos, fed *Religiofum* „fervaturos filentium.

Vivere defiit Alexander P. M. 10. Kal. Junias 1667. fuffectufque eft S. Memoriæ Clemens IX. is duo conftituit : 1.° 28. Sept. 1668. in *Brevi* ad Regem Chriftianifsimum.

„Cognoviffe fe quatuor illorum Epifcoporum obedientiam, & obfequium [fed, ut „difertè exprimit atque præmittit] *in fimplici, ac pura fubfcriptione Formularii.*

2.° 19. Jan. 1669. in *Brevi* ad quatuor illos Epifcopos *Henricum Arnaldum* Andegavenfem : *Nicolaum Choart* Bello-vacenfem : *Francifcum Stephanum* Appamienfem : *Nico-*

„*laum*

laum Pavillon Alectensem: illo *Brevi* declarat Summus Pontifex, pronuntiatque Dictorum „Prædecessorum Nostrorum Innocentii X. „& Alexandri VII. Constitutionibus firmissimè inhærentes, *nullam circa illud Formula-* „*re exceptionem*, *aut restrictionem admissuri umquam fuissemus.*

Contrà, *Liberius* exceptionem, aut restrictionem in hoc negotio IV. Episc. Galliæ à Clemente IX. admissam esse contendit, iisque admissis Pacem tandem Ecclesiæ redditam fuisse. Hoc propriis verbis ita affirmat in 2.a Edit. pag. 350. & 351.

„Clemens IX. *Instrumentum pro Episcopis* „*probavit*, quo (ut retulit paulò ante) pro eo „ac ad *Attributionem spectat*, *quâ propositiones* „*illæ adscribuntur Libro Jansenii* iterum præ- „stiterunt jusseruntque præstari S. Sedi om- „nem Reverentiam & obedientiam ..., *quæ* „*in eo posita est*, *nihil ut dicatur*, *scribatur*, „*vel doceatur Pontificum Decisionibus contrari-* „*um &c.* .... *Pacemque Ecclesiæ Gallicanæ* „*concessit.*

Contendit Summo Pontifici persuasum fuisse, Episcopos illos affirmare religioso silentio, ut appellat, satisfieri etiam *quoad Jus*, An scilicet V Propositiones aliquo sensu essent hæreticæ. Contendit eosdem Episcopos nonnisi silentium promisisse *quoad attributionem*, an scilicet essent hæreticæ *in sensu libri Janseniani.*

Contendit Summum Pontificem illi promissioni silentii *quo ad attributionem* acquievisse.

Con-

Contendit conſtitiſſe de impacta calumnia, qua traducti fuiſſent Epiſcopi Galliæ, quaſi ſubdolè promiſiſſent ſilentium *quo ad jus*, ut hìc vocant, ſilentium ſcilicet de ea Quæſtione, an V. Propoſitiones aliquo ſenſu eſſent hæreticæ.

Juvat propria verba ſubnectere, quibus aperta ſint, quæ affirmo. In Edit. 2.ª pag. 348. & 349.

1º. Ergo ſic ſtatuit. "Per ſubreptionum "cuniculos, callidè perſuaſerunt Jeſuitæ.. "perſuaſerunt, inquam, *Janſeniani Facti* defen-"ſores prætendere, quod religioſo illo ſilentio "ſatisfieret Conſtitutionibus Innocentii X. & "Alexandri VII. tam *quo ad Jus*, quàm *quo* "*ad Factum* ... 2º. Certo certius eſt, *quo ad* "*ſolam attributionem* ſupradictam, non *quo ad* "*Jus* ſeu hæreſim V. Propoſitionum ſilenti-"um illud pollicitos eſſe. 3º. à Clemente IX. "dejudicata fuit ipſorum IV. Epiſcoporum in "Gallia Innocentia, plenaque ac perfecta er-"ga Sedem Apoſtolicam obedientia*. 4.º De "iſta Jeſuitarum calumnia manifeſtè conſtitit "tempore Clementis IX. in 2ª. Edit. pag. "349.

Atque hæc quidem ea ipſa conficiunt, quæ paulò ante indicabam; redeunt ea, apud ipſum, non ſemel.

Defuncto Clemente IX. poſt Clementem X. Innocentium XI. & Alexandrum VIII. quibus Pontificibus nihil ſingulare in hac cauſa eſt conſtitutum, Eccleſiæ Regimen ſuſcepit Innocentius XII. P.M. hic miſſo *Brevi* ad Epiſcopos *Belgii* dato 24. Nov. 1696. ſig-

nificare dignatus est "Quod si prætensi Jan-"senistæ internè, & absque eo, quod deveni-"ant ad ullum actum externum, dum jurant "Formularium, non damnent V. Propositio-"nes &c.

Summi Pontificis sapientissimam hanc dispositionem, in hunc modum interpretatur *Liberius* in Edit. 1.â pag. 197. In 2.â pag. 204. "Innocentius XII. ipsos ab eo tempore non "*Jansenistas*, sed *prætensos Jansenistas* appel-"lavit, IDEO, quod etsi totam Societatem, "cæterosque adversarios omnes coram S. Se-"de per totos illos octo annos provocaverint "ad legitimè probandum ejusmodi signum, "in probando defecerint.

De eodem hoc *Brevi* in 1a. Edit. pag. 250. in 2a. Edit. pag. 256. ita subjungit. " In eo "*Brevi* concinnando Romani Proceres, dis-"sidiis semel finiendis intenti, industriam om-"nem, subtilitatemque suam exhauserunt.

Elapsis inde Paucis pòst annis,

Constitutione S. D. N. Clementis XI. *Vineam Domini*, statutum est in hæc verba. "Ut quævis imposterum erroris occasio pe-"nitùs præcidatur... Obedientiæ, quæ præ-"insertis Apostolicis Constitutionibus debe-"tur obsequioso illo silentio minimè satisfi-"eri; sed damnatum in V. præfatis Proposi-"tionibus Janseniani libri sensum, quem il-"larum verba præseferunt, ut præfertur, ab "omnibus Christi fidelibus, ut hæreticum, "non ore solùm, sed & corde rejici, ac dam-"nari debere, nec aliâ mente, animo, aut "credulitate supradictæ Formulæ subscribi li-

"citè

"citè posse &c. eâdem autoritate Apostolicâ
"Decernimus, Declaramus, Statuimus, & Ordinamus.

Contrà affirmat *Liberius*. in 1â Edit. pag. 195. in 2â pag. 201. "Demonstrativè conficitur, "prorsus injustos, calumniatoresque esse tot "Jesuitas, qui prætensos Jansenistas pro hæreticis & habere, & traducere non cessant, "dum palam profitentur & *Jurant*, toto se "corde damnare non solùm V. Propositiones ab Innocentio X. Alexandro VII. & "Clemente XI. damnatas, sed & alias hæreses omnes ab Ecclesia damnatas, quocumque in libro exstent, *etiàm in Jansenio* "SI *exstent in Jansenio*, nec ad ullum deveniunt exterius signum Professioni illi contrarium.

Ita quidem Constitutioni Pontificiæ pertinaciter refragatur, traditque constanter, ad evitandam Hæresim Jansenianam necessarium non esse damnare, & ejurare *Jansenianï libri sensum Damnatum ut Hæreticum*, sed satis esse Damnare Quinque Propositiones Damnatas, quocumque in libro exstent, *etiam in Jansenio*, SI *exstent in Jansenio*. Idque pro sua iterum, & summa in S. Sedem irreverentia, addit ibidem, *Innocentium XII. in Brevi suo ad Episcopos Belgii de die* 24. *Nov.* 1696. *satis declarasse*.

Tum tribus pòst Paginis * pergit subjungere. "Etiam demonstrativè Probatur de Janseniana Hæresi neminem sinè calumnia traduci posse, dum exteriùs profitetur Hære-

 "sim

* 204.

"sim istam à se damnari, nec ullo exteriori signo "notum facit, istam ipsius Professionem simu- "latam esse, ac mendacem. Quo significat, non nisi per calumniam, eum Hæresis Jansenianæ reum dici posse, qui non damnat *Libri Janseniani sensum Damnatum ut Hæreticum*, dummodò externâ Professione damnet V. Propositiones damnatas, quocumquè in libro exstent, *etiam in Jausenio*, *Si exstent in Jansenio*, & non ostendat aliquo signo exteriori, eam externam Professionem simulatam esse ac mendacem. Tum denique ut compendio sententiam suam absolvat, quasi epiphonema enuntiat. "*Jesuitæ per Sub & "Obreptionem* obtinuerunt à S.D.N. Clemen- "te XI. Constitutionem *Vineam Domini Sa- "baoth*.*

Plurima per totum opus occurrunt, aut omninò eadem, aut jam enumeratis perquàm similia; verùm hæc longiùs me abducerent, & nullis lachrymis satis deploranda proterviæ monumenta non vacat exscribere: confeci quod proposueram, larvatum hunc Societatis nostræ Accusatorem gnaviter esse pertinacem, atque indicatis Pontificum Definitionibus constanter rebellem;

Possem proindè quod initio monebam tacitus contemnere, quæ homo tantopere sui oblitus, adversùs commune Religionis nostræ Monumentum oblatum Christi Vicario, ex hujus beneplacito publicum, ausus est effutire, verùm subit nunc etiam ostendere, ipsum positâ omni humanitate, furere, & natu-

ralis

* In 2. pag. 348.

ralis honestatis immemorem, effræni rabiei permittere habenas.

Pervolvisti, Amice Lector, quam superiori loco integram dedi Declarationem Præpositi Generalis, atque ipsius quoque Societatis; hanc, obsecro, si exciderit, tecum repete, tum illam, si placet, quæstionem apud te fac: ipsis Adversariis Societatis, si fieret potestas, ut collatis consiliis instrumentum conciperent, cujus subscriptione dubiam sibi obedientiam nostram erga Summos Pontifices probaremus; quod tandem, amabo, requirent, illâ Declaratione significantius, exactius, ac magis circumscriptum? Quid est, quod in ea abundare meritò dixerint? Quid est, quod adjungi debere jure postulent? Quod erit humanum commercium, si ejusmodi instrumenta non obtineant fidem.

Accede nunc ad *Liberium*, & intellige, quibus humanæ Societatis Legibus ipse ducatur; quærit ergo de hac Declaratione.

"Primum est, inquit * an verum sit, In-"numerabiles accusationes, indignas obtrec-"tationes, & calumnias contra Societatem "fabricari solêre. Quid ni quærit, an feras sylvæ alant, & mare pisces, qui hæc interrogat? Verùm audi hominis Responsum. "Quod "clamant innumeras esse calumnias, adver-"sùs Societatem fabricari, disseminari so-"litas, clamant quidem, sed argumen-"tis omni exceptione majoribus non pro-"bant, nec probare possunt. Satis hæc enim-verò

* Pag. 287.

verò rotundè, imo ſtultiſſimè, ita jugulat ſe. Ad manum ſunt publica Monumenta omnis ætatis, palàm Promulgatæ Sententiæ, & à me ſuo loco, & aliàs plures relatæ Summorum Pontificum, Superiorum Eccleſiaſticorum, Religioſorum Ordinum, Imperatorum, Regum, ac Principum, per Orbem univerſum, Magiſtratuum, atque Univerſitatum, quibus declarant, ſe agnoviſſe de calumniis Societati impáctis, quibus in Calumnias, & indignas obtrectationes meritis pœnis animadvertunt: quod ſi argumenta ejuſmodi, non ſunt omni exceptione majora, ubi gentium illa naſcuntur?

Quærit 2.do "An accuſatio de eo, quod "ſocii præ cæteris inobedientes ſint Decretis "Eccleſiæ, & Summorum Pontificum reve-"rà ſit *indigniſſima*, ſeu calumnioſiſſima, "ID EST adeò fide indigna, ut Jeſuitæ hac-"tenùs fuiſſe credendi ſint, *Præ Cæteris* obe-"dientes, erga Eccleſiæ, & Summorum Pon-"tificum Decreta?

Neſcio, equidem, quod huic ſcriptori ſit cerebrum: hæc illi ſunt eadem: *An indigna ſit accuſatio, quâ arguimur præ cæteris eſſe inobedientes*; & *an credendi ſimus præ cæteris obedientes*: non aſſequor tantam intemperiem. Queritur Declaratio de accuſatione illa inobedientiæ & indigniſſima, atque id jure queritur meritiſsimo: comparationem obedientiæ ſuæ cum aliis planè non inſtituit, hoc extra rem eſt, illud æquiſſimum.

Audiamus porrò ad ineptum quæſitum, quid ipſe reſpondeat, ſic habet: "Accuſatio

„ iſta

,,ista fide prorsus esset indigna, si absque sufficienti probatione fieret; ast cùm veritas ,,ipsius Clangoris X. & XI. certis invictè ,,probetur argumentis, & exemplis quàm ,,multis, fide procul dubio dignissima, non ,,*indignissima* est, pro ut absque probatione ,,Declaratio calumniosè dicit.

Lætor sanè me icidere in tam præclarum Justitiæ Testimonium, scilicet hanc accusationem, omni fide fore indignam, si aptâ probatione destituatur, jam enim ex hoc capite indignissimam illam accusationem nobis gratulor. Ubi enim *certa*, ubi *invictè* probata argumenta, atque exempla, quæ tanto hiatu promittuntur? Decimo, inquit *Clangore*; teneo & Paginâ 148. sic lego. "Jesuiticæ ,,modestiæ, debitæque Ecclesiæ Principibus ,,observantiæ insigne specimen exhibuit *Ho-* ,,*noratus Fabri* Jesuita Lugdunensis, dum in ,,Apologetico Societatis Tom. 1. vah! in- ,,quit, quid non potis sum de illis Episcopis ,,efferre: abstineo tamen præ modestia, & ,,cultu etiam immeritis debito.

Specimen hoc, ad quod appellat, quod *certum*, & *invictè* probatum argumentum esse commemorat, est accusatoris enimverò specimen insigniter imponentis. Non habet verba illa *Honoratus Fabri*, non scripsit: per imposturam hæc illi attribuit *Quenellus* tot Hæreticarum Propositionum autor, per imposturam eadem post *Quenellum*, imò ex ipso, *Liberius* ab *Honorato Fabri* conscripta esse comminiscitur. Dixi de his antè pag.

Reliqua, & Asiatica, aut Americana proprio loco diffi-

diſſipavi. Sed ad Clangorem XI. quoque remittimur, adeamus: at ecce, teſtimonium ſolæ dicunt Damnatæ *Artes Jeſuiticæ*, & nullius ponderis Epiſtola Angelopolitana. Repetamus tamen & hinc aliquod *certum*, *invictè* probatum contra nos Argumentum, demus exemplum ferè domeſticum: id quidem tale fuiſſe perhibetur.

„Dum Alexander VII. Facultati Theolo„gicæ Lovanienſi (inquit) *Breve* reſcripſit, „quo SS.DD.Auguſtini,& Thomæ doctrinam „mirificè commendavit, inconcuſſaque atque „tutiſſima eorum Dogmata declaravit. EX „SOCIIS *nonnulli* in furorem velut acti, in „impias has voces erupuêre, *Laudatum* „BREVE *per Diabolicam Machinationem fu„iſſe impetratum.* An non egregiæ Jeſuiticæ „obſervantiæ ſpecimen erga Apoſtolicam Se„dem? Porrò narrationis iſtius teſtes ſunt „Cardinalis *Noriſius*, *Chriſtianus Lupus*, „*Vincentius Baronius*.

Quid, inquies, an non ſunt impiæ illæ voces? Imò impiiſſimæ, & Diabolo mendacii parente digniſſimæ. Verùm aio totam hanc adversùs nos accuſationem mendacem eſſe fabellam. Aio impias illas voces à nemine Societatis in Belgio, ut affirmatur, fuiſſe prolatas. Aio neminem eorum, qui nominati ſunt, teſtimonium dediſſe, eas quemquam Societatis noſtræ elocutum fuiſſe: mitto libenter eo tempore *Noriſium* procul abfuiſſe, *Piſis* apud Hetruſcos, *Vincentium Baronem* in Galliis, neque tum de vocibus Lovanii apud Belgas prolatis teſtari potuiſſe: aio

aio neminem, hoc dictum alicui Societatis attribuisse. *Christianus Lupus* in Epistola Familiari, Dicterium illud *ab aliquo* dictum fuisse, scriptum reliquit; quis ille fuerit, non scripsit, numquàm attribuit alicui nostræ Societatis: *Norisius* ex accepta Lovanii *Lupi* Epistola Familiari, id *à nonnullis* dictum fuisse meminit, fama crevit eundo; neminem tamen *Norisius* indicavit. Numquam attribuit alicui è Societate; sed neque potuit affingere ex vero: quamprimùm enim illa *Lupi* Epistola prodiit, & de læsa Autoritate Pontificiâ querela; *P. Maximilianus le Dent* è Societate JESU per id tempus S.T. Lovanii Professor, ad eam Epistolam, suas dedit Responsorias, eodem tempore, in eodem loco, Eximio *Lupo* inscriptas: iis Cap. 14. statim initio meminit de querela; tum addit in hæc verba, *Hæc Patris* LUPI *justa querela est, sed quæ me, meique similes nullo modo tangit.* Qui ad hæc verbum reponeret, non fuit. Ubi nunc Accusator? Ubi *certum*, & *invictè* probatum exemplum? Quod ex nominatis fecit nemo, ipse *Aletophilus* impias illas voces attribuit EX SOCIIS, ut ait, *nonnullis*, & quia attribuit falsò, hìc denuò surrexit impostor. Reliquam hominis cloacam non excutio. Damnatas *Artes Jesuiticas* refutavi, & ex *Tubæ* Clangoribus repetita, dissipavi plus satis.

Succedit aliud, atque ita interrogat. "Tertium est, an Accusatione illam inobedientiæ erga Summorum Pontificum Decreta sufficienter diluant Jesuitæ suâ illâ Declaratione? Ad

Ad hæc paucis reſpondet *Liberius*.
„ Ex proximè dictis facilis eſt, ait, Reſponſio ad „ Tertium Quæſitum; utique accuſationem „ illam ſufficienter non dilui à Jeſuitis ſuâ „ illâ Declaratione, ac Proteſtatione; utpo- „ te quam infirmant tot Facta contraria.

Ego ad reſponſionem hanc breviſſimè quoque repono. 1.o Quantum diluat hæc Declaratio, Summi Pontificis æquiſſimo judicio, minima Societas noſtra, ex toto relinquit, & ſe bonorum omnium arbitrio libenter permittit. 2.o Quæ tu, mi homo, appellas Facta noſtra contraria, hæc ego demonſtravi ficta eſſe commenta, falſaque, tu fac ut de illis te purges.

Ventum eſt ad ultimum quæritque ſollicitè. „ An Declaratio illa, ſit Teſtimonium omni „ exceptione majus? Quid reponis *Libêri*? vix enim haberi poteſt à nobis ſolemnius; ſeu Perſonas ſpectes, ſeu Rem, ſeu Modum: „ Ex huc uſque dictis, inquit, tandem con- „ ficitur Declarationem non eſſe Teſtimo- „ nium omni exceptione majus. Actum eſt, nigerrima faba in urnam immittitur, *Liberius* ſententiam pronuntiavit; hæc Declaratio teſtimonium eſt legitimis exceptionibus vitiatum. Liceat tamen hoc quærere, cur ita definis? ecce tibi reſpondet. " 1.o Non eſt „ ait, hæc Declaratio Teſtimonium omni ex- „ ceptione majus, Quia eam ſuſpectam red- „ dit tum Doctrina à *Tamburino*, & tot aliis „ Jeſuitis tradita, de licito uſu Reſtrictionum „ mentalium, & amphibologiarum; quam „ damnavit Decretum Innocentii XI.

O Charitas, quæ non cogitat malum! infelix versutia quid non extundis? quæcumque Doctrina Decreto Apostolico Damnata est, eam omnes jure meritissimo damnatam habemus, damnatam rejicimus: Accedat, licet Siculus *Tamburinus*, accedat quisquis est alius, & Doctrinam nobis propinet damnatam, nobis quidem canet surdis, tametsi eorum nemo Decreto fuerit nominatus: privatis Theologis tantum credimus, aut assentimur, quantum bene persuadent, quod non conficiunt, non obtinent; ubi errant, aut deferuntur, aut revocantur in viam; ubi damnantur, damnati habentur, & quod fuerit damnatum, ut debet, rejicitur.

Tu interim contra Præpositi Generalis & Congregatorum Declarationem excipis, eam ut suspectam traducis, quia Innocentius XI. damnavit Doctrinam aliquam de usu licito restrictionum, quam *Tamburino* attribuis, & tot aliis Jesuitis? dic quod Decretum eos nominavit? Quis Pontifex iis tribuit doctrinam damnatam? quis illam in sensu alicujus autoris proscripsit? Decreta autoritate Pontificiâ emanata, omnia, & singula veneror, his certum est obtemperare; quæ his supperaddis, tanti facio, quantite.

Verùm demus hæc omnia ita se habere: an igitur tu censes omnium Nationum Theologos, unanimi consilio, coràm Christi Vicario, in re gravissimâ Orbem Catholicum fallere voluisse, ac veram animi sententiam occultare contumaci adhæsione Doctrinæ, quam scirent à Doctore Ecclesiæ proscriptam esse atque damnatam? nihil agis, nisi de

nobis

nobis sentias tam crudeliter, frustrà adversùs Declarationem excipis, frustra suspectam vociferaris, nisi eos omnes arbitreris tam perditæ vitæ, tam gnaviter scelestos. Et quis *Tamburinus*, mi *Candide*, ejusmodi se proximo judicium licitum esse pronuntiavit? quis Jesuita? imò quis alius, qui Deum timendum esse intellexerit? sed hi vobis judicibus ambulant viam latam, & spatiosam; carpitis vos, quæ non legistis, & in *Rigidos* inquiritis, id est eos, quorum Theologia, neque Contumaciam in Sedem Apostolicam, neque Detractionem proximi, peccatis placuit annumerare.

Addis tu quidem hoc loco, quasi exemplis fidem liberaturus damnatam illam ab Innocentio XI. Doctrinam post damnationis Decretum, non ita pridem publicis in Thesibus Leodii traditam fuisse à Jesuitis Anglicanis, & Parisiis à *P. Danièl.* Verùm ego te semper mendacem habebo, nisi Propositionem damnatam bene indicaveris, ac tum dederis propria Theologorum illorum verba, non immutata, non truncata, eaque ostenderis eamdem propositionem damnatam enuntiare, & post damnationem defendere.

Superest alia tua ratio, ob quam Societatis Declerationem suspectam esse affirmas.

„Per eam Declarationem, inquis, testan-
„tur quidem hanc esse Societatis *vocem*, *hoc*
„*votum*, *hunc Spiritum*, de constantissimo
„suo obsequio, submissione & obedientiâ cæ-
„câ in exequendis Decretis quibuscumque
„S^tæ. Sedis, *Sicut procul dubio semper fuit.*
„Atqui constantem semper non fuisse ipso-
„rum

„ rum submissionem, & obedientiam cæcam
„ in exequendis Decretis S. Sedis. dum re-
„ bus Societatis faventia non erant, facta, &
„ exempla deducta demonstrant.

Viam relegere jubemur, mittimur iterum ad Facta, ad exempla deducta. Sequar libenter, non ante tamen, quàm de calumniis fueris confessus, quarum exempla illa convici, scribebam à biennio in hæc verba: „ Qui
„ hoc loco nos accusat, postulo, ut unam
„ proferat Definitionem Apostolicam, cui
„ non steterit Societas. Cur Postulato meo
„ non fecisti satis? Idem postulo nunc denuò, incumbe in hanc rem totus, sed certa affer, & clara, qualia adduxi, cum te suprà hæresis Jansenianæ reum, scriptis tuis convictum dedi. Addebam: " quod si nemo potest, ut cer-
„ tè potuit nullus, manum orâ apponit, & de-
„ sinat maledicere.

Igitur hoc tuum esto, & recordare, quia scriptum est, Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. *

Cur tamen imprudens æthiopem lavo, aut hominem revoco, qui littore semper oberrat eodem.

Dum hæc imprimuntur, ait *Liberius*, aut ut phrasiutar ipsius, *dum in er manus literarum fusilium dispositoris calescit opus*, opusculum ad me mittitur gallico idiomate editum sub hoc titulo, *Declaration ou soumission du Reverendissime P. Michel Ange Tamburin; avec quelques Reflexions sur cette soumission.*

Quod hoc opusculum ad te missum fuerit, usita-

usitatum est: norunt enim aves nidum suum; cùm illud è Gallico latinitate donasti atque ita Tubæ tuæ partem esse voluisti, fecisti te dignum. Opusculum illud à te adoptatum, Declarationem Societatis quindecim numeris distinguit, qui singuli in eamdem declarationem, *Notam* aliquam prosequuntur. Has ego planè non excutio, quia ursæ captis catulis furenti, occurere minimè statui: ex singulis Numeris propositionem unam excerpo, tu lector illas attende, & de iis pro æquitate tua arbitrare; ego illas destino ad locum sanctum, quem elegit Dominus, ipsas omnes Summo Pontifici demissè subjicio.

Sunt igitur quindecim illæ Propositiones his verbis expressæ.

1. Jesuitæ in sua obstinatione & contumacia post emanatum Decretum damnatos Ritus sustinendi per septem annos perseveraverunt, à die utique 20. Nov. 1704. ad 20. ejusdem mensis 1711. pag. 295.

2. Sibi persuadent per plurium annorum praxim jus incontestabile sibi acquisitum ad violandas Leges quaslibet sanctas, nec de eo querelam fieri posse. Pag. 296.

3. Si voti transgressio sit, pro ut Theologorum omnium judicio est, Sacrilega, Patres illi haberi possunt palàm Sacrilegi, utpote in Facie Ecclesiæ publici violatores voti sui de obediendo Summo Pontifici. Pag. 297.

4. Publico difficillimè illi persuadebunt verum dolorem suum de accusatione, licet ipsis tam probrosa: ne apparentia quidem est, ipsismet videri credibile, quod id valeant persuadere

suadere, *Dolere se scilicet de accusatione, quâ arguuntur in lib. Artes Jesuiticæ Pag. 527.*
„ præ cæteris inobedientes esse Constitutioni-
„ bus Apostolicis. Pag. 297.

5. Frustrà Jesuitæ sibi blandiuntur quod sub istius Declarationis seu Protestationis Summo Pontifici factæ Prætextu obducentur ora obedientiæ defectum ipsis objicientia. Vanâ spe se pascunt Jesuitæ publico (Jesuitarum characterem cognoscenti) tam facilè non satis fit. Pag. 299.

6: Jesuitæ invincibilem adversùs Decreta S. Sedis obstinationem suam ostendunt, dum ea exequi per obedientiam compelluntur. Pag. 300.

7. Quotidie discimus in Scriptis & Thesibus ipsorum, perniciosa revocari Dogmata ab *Alexandro VII.*, *Innocentio XI. Alexandro VIII.* proscripta.

Constans est apud Jesuitas Regula, vim habens *Constitutionis*, suas non abjicere sententias quamlibet contrarias Decisionibus Ecclesiæ, vel Doctorum communi Doctrinæ, quamdiu Societatis de iis nondum accessit decisio. Pag. 301.

8. Visum hactenùs non fuit Corpus Religiosum, minùs exactè, & submissè Decretis obediens Apostolicis, quàm Societas.

Submissio P. Generalis, universæ Societatis nomine facta à Nationum Assistentibus, & à Provinciarum Procuratoribus subscripta, pura est chimæra, verusque ludus. Pag. 304.

9. Societas, ut ante dixi, prætendit se habere jus, & Privilegium suis præscribendi

di, quod ipſos credere oporteat, ſuper iis quæ Eccleſia, & Doctores communiter ſentiunt. Pag. 313.

10. Sibi ipſis, Jeſuitæ, ſecundùm *Amici* ſui doctrinam, jus tribuunt calumniandi, imò & occidendi eos, qui comminantur ſe criminis objectione Societatem dehoneſtaturos, pro ut ex Alexandro VII. diſcimus. Pag. 314.

11. Hodie viſibile eſt per eas *Proteſtationes Jeſuitarum* Eccleſiam ludibrio fuiſſe ipſius *Eccleſiæ* Capiti imponendo. Pag. 316.

12. Manifeſta docet experientia ſociis perſuaſum eſſe iſtud, *id eſt non ſubmiſſionem S. Sedi* eſſe indubitatum medium ad altiora aſcendendi in Societate. Pag. 317.

13. Opinio eſt in Societate ſat benè recepta, quod in quacumque quis Religione ſalvari poſsit, dummodò Sectarum differentium affectæ (vocem hanc, quæ ita exprimitur in *Tuba Altera* non intelligo) probabilem ſequantur opinionem, ſuamque bene dirigant intentionem. 320.

14. Qui de Jeſuitico genio ſunt inſtructi... prorsùs aliter ipſi cogitant, expreſsiones utique illas *P. Generalis Proteſtatione* ſinceras non eſſe, ſed fictitias, & ſimulatas. Pag. 320. & 321.

15. Ipſius S. D. Clementis XI. *Jeſuitæ* habent confidentiam, & benevolentiam tantam, ut tunc etiam ſileat, cùm neceſſarium videri poſſet quod velut alter Propheta quaſi Tuba exaltaret vocem ſuam. Et quod magis eſt ſtupendum adhuc neſcitur punitio ab ipſo facta

facta de horribili attentato ab ipsis *Jesuitis* commisso in Personam ipsius de Latere Legati in China, quem Captivum detinuerunt, cumque extrema sævitia ad mortem usque persecuti sunt. Pag. 325. & 326.

Hæc pauca excerpsi ex multis; unum ex singulis Numeris quibus Gallico illi scriptori Societatis Declarationem distinguere placuit. Condonet tibi Deus, quisquis es ausus hæc nobis attribuere, scito tamen quia Deus non irridetur; nec narratiunculis pascitur malè consutis, aut historiolis pessimè feriatis; testimonium contra nos loqui non potuisti magis falsum, acerbum, atque crudele. Alia siquidem nobis vicina, & quæ sub oculis nostris sunt acta, quæ pro maledicentia tua attulisti, tam abs re esse scio & à veritate aliena, quam sciam me nunc has literas pingere, alia extra rem esse, adornata, falsaque & veluti furenti impetu, rabieque, in cumulum conjecta, apud æquum judicem evincere paratus sum semper. Fateor non existimavi, me in hominem incidere potuisse qui se Catholicum diceret, & tam perditæ foret conscientiæ, ut Religiosum Ordinem, eumque universum, tantorum scelerum, postularet; ego pronuntiata hæc omnia, judicibus suis libenter permitto, Summo Pontifici imprimis, quantâ possum demissione supplex subjicio; quamprimùm enim ad hæc à *Liberio* sum adductus, sensi me in eum locum coactum esse qui est *Civitas visitationis, omnis calumnia in medio ejus.* *

Subjungo his alia magis singularia, & quæ

de Factis commemorant magis recentibus: Accede *Candide*, & vide, si tua, tuorumque verba ullo apice immutaverim; inspicite vos met ipsos, scietis profectò, quia ex Patre Diabolo estis vos, tam immanes, tam certæ sunt imposturæ, quas evomitis inverecundi.

Non multis te moror: Lege Paginâ 315. Ibi exstant hæc totidem verba.

„ Quid jam dicet (Generalis Societatis) „quando post tam authenticam Declaratio- „nem, in facie Ecclesiæ Vicario Jesu Chri- „sti tam Solemniter oblatam, ut per Orbem „universum spargeretur, ipsi exprobratio fiet, „quod non solùm passus sit, sed & permise- „rit, probaritque typis mandari, sub oculis „suis, coram ipso etiam Pontifice compo- „sitam à P. Jouvencio Historiam, in qua, „plectendâ temeritate (tantâ ut sit absque „exemplo) authorizantur omnes illi Ri- „tus per Ecclesiam toties damnati.

Hæc una est impostura, eaque apertissima. Liber ille, *Historiæ Societatis Partis Quintæ, Tomus posterior* publicè editus est, obvius esse potest, & ad manum, Ipse calumniam illam per se diluit; liber ille ne verbum quidem ullum fecit, de Ritibus Sinicis de quibus est disceptatum. Legat nobis qui volet Ritum aliquem Autoritate Apostolicâ, non dicam aliquoties, sed semel damnatum, tum ostendat qui poterit, ubi damnatus ille Ritus, in eo libro fuerit approbatus. Qui ejusmodi Ritum Damnatum, in illo libro probari, aut ut loquuntur, autorizari affirmat, imponit. Per-

Pergamus : profequitur *Candidus* in hunc modum. "Quomodo juftificabit (Generalis „Societatis) factum audacifsimum celebris „iftius Jefuitæ, per totam Societatem defti- „nati ad componendum opus iftud, aufi „Afferere, quod fuum opus approbatum effet „à Magiftro Sacri Palatii Apoftolici, dum „per Authenticam iftius Magiftri S. Palatii „Declarationem omninò conftat quod P. „Jouvencius ipfum fefellerit, ex iftius volu- „minis quindecim vel fexdecim libris, ipfi „ad examen non offerendo nifi tres, vel „quatuor in quibus nihil invênit quod corri- „geret.

Hæc altera eft impoftura, imò impofturarum centuria : non commutabo tecum verba quifquis es; Refponde pro te ipfo, ubi eft Authentica illa Magiftri S. Palatii Declaratio, quâ omninò conftet Autorem Hiftoriæ Societatis ipfum fefelliffe? Refponde, inquam, quando, quibus verbis eft edita? Magifter S. Palatii, qui hoc loco appellatur eft Reverendifsimus P. *Paulinus Bernardinius* Ordinis Prædicatorum, meritis in Hifpania, atque Italia gravifsimus; Refponde, ubi hoc nomen Declarationi, quam Rever^mo. Viro affingis, legifti fubfcriptum? Ubi declaravit ex iftius voluminis Quindecim vel Sexdecim Libris, ipfi ad examen oblatos non fuiffe nifi tres vel quatuor, in quibus nihil invênit, quod corrigeret.

Totum opus fuum, Totum, inquam, autor Tomi pofterioris Partis V. Hiftoriæ Societatis obtulit Rev.^mo. Magiftro Sacri Palatii; hoc

F per

per annum integrum & amplius ipse habuit penes se: omnia, & singula approbata autori reddidit: Tomi, inquam, hujus Posterioris Libros Quindecim, omnes & singulos approbavit Magister S. Palatii, & imprimenda restituit Solemni Verbo munita *Imprimantur*, *Imprimantur*, quod ejus item manu scriptum pro singulis libris Autor habet; datam ab eo, & ejus manu exaratam imprimendi Facultatem sæpius repetitam, Autor servat.

Non hæc scribo Anonymus, aut sub fictæ appellationis larva; Paginæ meæ nomen meum præ se ferunt, conveniri possum, si quis me roget, præsto sum, exhibebo Autographa de hac re Romæ exarata, & totidem verbis, quæ affirmavi, testificantia.

Necdum hìc finis est, adjunxit *Tuba* mendax.

"Quodque ad decipiendum audaciùs Publi-"cum, Societas curavit duas ejusdem volu-"minis fieri Editiones, in quarum altera De-"cretum Apostolicum impugnatur. Tam re-"strictane est P. Michaëlis Angeli Tambu-"rini prudentia, tam parva notitia, ut nes-"ciat quid Romæ fit, & in domô propria, "usque ad quod tempus fraudes tam paten-"tes conspicientur?

Frater impudentissime (veniam hanc mihi dato, si te semel meritissimo nomine tuo compellem) usque ad quod tempus calumniæ in nos audientur tam enormes? Hæc est tertia tua impostura quæ unâ eâdemque Paginâ occurrit: falsissimum est duas Editiones istius voluminis factas esse, volumen illud non nisi

nisi semel est editum unicâ impressione eâque Romanâ, legitimis omnibus instrumentis munitâ, Superiorum Autoritate Anno MDCCX. in Typographia *Georgii Plachi* apud *Sanctum Marcum*. Vide sis igitur quæras per Orbem Universum, omnes Bibliopolas consulas, ubi, quando, quibus typis altera hujus voluminis editio prodierit, atque ut asseris, curante Societate. Exhibe nobis duas illas Editiones, ostende diversas, vel te semper exhibebis eumdem, semper maledicum, semper Calumniatorem.

Et hæc vivis affingis, qui adiri possunt & interrogari? Quid mortuis facies? hæc audes in ferè hesternis, certè eruditis omnibus notis? Quid non audebis in antiquatis? Quorum apud æquos lectores vix ulla umquam fuit memoria? hæc narras de Europæis? Quid ex Asia tu non referes, aut ex America? Obsecro reforma te met ipsum, dignus es enim, & memento, quia non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum: detraxisti graviter, Universum Religosum Ordinem, ipsiusque imprimis Caput, & Præpositum Generalem infami injuriâ affecisti: hæc animæ tuæ causâ monere te volui. Quod ad nos attinet, gratulandum nobis est, quod adversarios nacti simus, qui tam protervè tam enormiter mentiri, aut falsa affirmare non erubescunt.

Ex Italia in Belgium descendamus, huc nos avocat alia Pagina tua, nempe 307. illâ sic habes. "Alexander VII. & Innocentius „XI. annihilare, & abolêre studuerant scan-

„dalosam

„dalofam Doctrinam Fideles difpenfantem „ab eliciendis Divini amoris actibus tam in „usûs rationis initio, quàm in mortis articulo.

Vidêris tu nihil fcire diftinctè, fed cæco impetu omnia arripere. Summi illi Pontifices, infallibiles Ecclefiæ Paftores quatuor Propofitiones damnarunt quæ ad doctrinam attinent de Eliciendis Actibus Divini Amoris: Hæ funt, *Prima* inter Damnatas ab Alexandro VII. 24. Sept. 1665. item *Quinta*, *Sexta*, & *Septima*, inter Damnatas ab Innocentio XI. 2.i Martii 1679. Nulla ex his Propofitionibus aliquam mentionem facit *De Initio usûs rationis*, nulla de *mortis articulo:* numquamnè tu aliquid referes benè, & fincerè? fcilicet confuetudinem contraxifti jam pridem, omnia pro genio tuo enarrandi, cui cùm minùs reftitifti, tibi facta eft neceffitas res indicandi fecùs ac funt, illas quoque, quæ funt præter propofitum, & de quibus nulla lis eft. Redeo ad verba tua. "Eam „quidem, Doctrinam, inquis, Hæreticam „Solemni Decreto pronuntiavit Alexander „VIII. 27. Augufti 1690.

Dic, amabo, cur iterùm fallis in re minimâ, non eft Decretum illud datum 27. fed 24. Augufti, Romæ publicatum eâdem 24ª. fi error typographi eft, nihil ægrè fero; occurrerunt enim longè plurimi, neque ullum vidi indicatum, quâ ratione effet corrigendus, tametfi id fæpe quæfierim. Cuperem tamen ut qui hìc iterùm accufare inftituifti, Propofitionem Damnatam fuis verbis apud Lectorem expofuiffes, hinc enim æquius, & certius

certius judicium esse poterit, cùm res proferuntur ut sunt, atque perspicuè. Igitur partes tuas supplebo: Propositio de qua tu obscurè meministi, his verbis expressa est.

„Bonitas *Objectiva* consistit in convenientia „objecti cum naturali Rationali, *Formalis* „verò in Conformitate actûs cum Regula „Morum; ad hoc sufficit ut actus moralis „tendat in finem ultimum *Interpretativè*, „*Hunc homo non tenetur amare, neque in Prin-* „*cipio, neque in decursu vitæ suæ moralis.*

Hanc Propositionem Decreto illo Summus Pontifex *Declaravit Hæreticam*, & *uti talem Damnandam esse*, *sicuti Damnat*, & *Probibet sub censuris & pœnis contra Hæreticos*, & *eorum fautores in jure expressis.*

Quorsùm tamen hæc, inquies, respiciunt, quorsùm evadunt? Audi Lector Tubicinem nostrum. *Ast*, ait ipse, *Decretum ipsius* Alexandri VIII. *in Societate receptum non fuit.* Hæc est Sycophantâ impostore dignissima enuntiatio. Calumniatur gravissimè, qui hæc eructat; pergit ipse Dicterii sui rationem suam subnectere; *Cùm*, inquit, *illa ipsa Hæresis à tribus Jesuitis Lovanii die* 24. & 25. *Nov.* 1711. *de novo defensa fuerit.*

Hæc est Quarta Impostura ejusdem *Clangoris* XX. Haberi possunt divulgatæ ex more Theses illæ, ego legi integras. Legat nunc eas qui volet, ruminet, & excutiat, si quis illis lectis affirmat iisdem defendi, quam retuli Propositionem Damnatam, mendax est, mendacissimus, cùm illius defensionis ibi nec vestigium occurrat: si ex auditu & suorum relation:

relatione cæcus cantilenam illam didicit, fallit graviſſimè, & iis Patribus graviſſimè eſt injurius.

Affirmant illi, & diſertis verbis in iis Theſibus hæc omnia enuntiant. *Datur ſpeciale Præceptum eliciendi actus internos Spei & Charitatis. Præceptum Charitatis obligat ut Deum diligamus appretiativè ſuper omnia. Præceptum Dilectionis Dei per ſe obligat... quando quis accepit notitiam Dei ſummè amabilis ſufficientem ad iſtum amorem eliciendum, ut & in extremo mortis periculo, & variis aliis caſibus.*

Eſtne hoc docere hominem non teneri amare Deum neque in Principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis? poteſtne calumnia eſſe apertior?

Accedamus ad Impoſturam Quintam, hæc obvia eſt paginâ proximâ 308. ibi affirmat iiſdem Theſibus traditam eſſe doctrinam conformem Propoſitionibus *Vigeſimæ ſecundæ*, & *ſexageſimæ quartæ* ex LXV. per Decretum Innocentii XI. proſcriptis: legantur ergo jure meritiſſimo Damnatæ illæ Propoſitiones, quas *Liberius* Proponere prætermiſit.

Vigeſima ſecunda ſic habet: *Non niſi Fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate Medii, non autem Explicita Remuneratoris.* Nunc Theſes illas inſpiciamus, ubi tradita eſt Doctrina, Damnatæ huic conformis?

Ego enimverò ibi ſic lego: *Fides unius Dei omnibus adultis eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, uti & Fides explicita Dei ut Remuneratoris eſt.* Suntne tandem affirmatio & Negatio ejuſdem de eodem ſibi invicem conformes?

formes? ubi gentium vivimus, cùm hæc interrogare jubemur? Affirmant Patres illi id ipſum, quod negat Propoſitio Damnata; quæ veſania dictat eos tradere Doctrinam damnatæ conformem? cæterà quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, Theologis diſputare fas eſt, eaque vetuit eodem Decreto Innocentius XI. aut cenſurâ, aut notâ, aut aliquo convicio afficere, ſed hoc quoque Decretum à Tubicine noſtro hâc parte receptum non eſſe, ipſe opere ſuo palàm demonſtrat.

Supereſt audire de alia Propoſitione Damnata inter indicatas penultima, ſive 64ª; Hæc totidem verbis exprimitur.

Abſolutionis capax eſt homo quantumvis laboret ignorantiâ Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. Jeſu Chriſti.

Redeo ad Theſes, quæſiturus quid in illis huic Propoſitioni damnatæ ſit conforme: ego porrò nullum in iis invenio verbum, nec eſt, quod aliquâ ratione materiam illam reſpiciat. Quæ qualiſve ignorantia Myſteriorum hominem reddat Abſolutionis capacem, aut incapacem, ibi nec inquiritur, nec affirmatur, nec ullo pacto, aut minimo ſigno inſinuatur. De illa re ſilent omninò Poſitiones illæ Theologicæ, ubi ergo Conformitas? Accede tu Accuſator, & lege nobis ſi potes, quid in iis Poſitionibus reſpondeat Propoſitioni illi damnatæ: Tu fac interea cures diligenter aliquando tandem te conformes magno Præcepto, *Non loquêris contra Proximum tuum falſum teſtimonium.* Et ſcito quia ſcriptum eſt, *Quia*

ca-

calumniatus eſt.... ecce mortuus eſt in iniquitate ſua. *

Sequitur in eadem periodo impoſtura Sexta : Aſſerit *Liberius* eamdem Doctrinam *Inſuper damnatam eſſe per Decretum Revmi. D. Vicarii Generalis Archiepiſcopi Mechlinienſis Sede Vacante.*

Cur, obſecro, indicatum non eſt, quod, aut quando editum ſit illud Decretum? Semperne lectori fieri debet fucus, ne nihil intelligat? Decretum, de quo placuit *Tubicini* meminiſſe datum eſt 22. Jan. 1712. Proferatur hoc ipſum, inſpiciatur, Decretum hoc, ſeipſo Accuſatorem condemnat.

Nulla Propoſitio illo Decreto eſt indicata, nulla illo Decreto damnata eſt, imponit iterum qui alterutrum eo Decreto factum eſſe affirmat: utrumque quod aſſero, ipſo tenore Decreti clariſsimum eſt.

Cur tamen his immoror; ſub oculis habeo autographam ejuſdem Reverendi Adm. ac Ampliſsimi Domini Vicarii Generalis Declarationem datam in Abbatia *de Foreſto* 23. Junii 1715. ex hâc certum eſt Dicterium hoc tuum, quod verbis tuis excerpſi, eſſe *calumnioſum*. Sed ô he! jam ſatis eſt *Candide*, ſatis eſt ineptiarum, Deus te illuminet.

* Ezechielis 18. v. 18.



CAPUT

§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§*§

CAPUT QUARTUM.

Refutatio Clangoris XXII. Reformandas esse dolosas Artes &c. Molinismum *defendere ac propagare socii à seculo nituntur.*

1° *Ostenditur, Nomen* Molinismus *à nonnullis perperam esse intellectum, varios nescire, quid hic pronuntient: Appellationem* Molinismi *Societatis Scholæ tribui non debere, tametsi ipsa non sit ignominiosa. De* Molina *testimonium gravissimis approbationibus Romanis ibidem vulgatum.*

2° *Referuntur* Tubicinis *mendacia, & excerptæ ex ipsius* Tuba *Propositiones falsæ, in Summos Pontifices, Reges, aliosque graviter contumeliosæ.*

QUæ tibi cogitatio subit, Amice Lector, dum scribi intelligis nos *Molinismum* defendere? neque enim unam omnibus ideam provocat vox illa *Molinismus*. Nonnulli, adolescentes imprimis, ubi fortè graviores disciplinas à limine salutant, si quæ, ut est sæpe crebra, de Jesuitis incidit mentio, ecce tibi alius quisquam pro autoritate interpellat, & facie ad persuadendum compositâ,

Jesuitæ

Jesuitæ, pronuntiat, *sunt Molinistæ*, *Molinismum tuentur.* Tum veluti ad Oraculum hærent, neque quid satis concipiant, sciunt. Monstrum nobiscum habitare existimant, nos veluti totidem inauditi spectri Ministros aversantur, obvios à læva salutant, tacitique secum obmurmurant, *Molinistæ sunt illi*: igitur aut ab iis recedere omninò constituunt, aut non adesse nisi comparati, cautique, ne fors ex ignotis latebris prosilienti monstro pereant præda.

Inde alii quos paulò maturior ætas ad Theologica adduxit, hem, inquiunt, quid rei est *Molinismus*, quem pridem tam sæpe nominari audivimus? tum surgit severior atque ita orditur: fuit olim Monachus, Patriâ Britannus, *Pelagius* nomine. Is erat versipellis Hæresiarcha, eum debellavit S. Augustinus: pòst, superstites fuerunt hujus Hæresis Reliquiæ, quas *Massiliæ* imprimis coluerunt; hi *Massilienses* dicti sunt, & *Semi-Pelagiani*, quia non omnes, sed aliquot dumtaxat *Pelagii* errores sectabantur. Has Hæreses, autore *Molina*, Jesuitæ instaurarunt, hinc *Molinistæ* dicuntur, & *Molinismum* tueri. Mirantur eruditionem viri, & veluti sybillinis foliis edocti, Jesuitas hæreticos proclamant, *Pelagianos*, aut *Semi* certè *Pelagianos*: tum continuò se prodit zelus, quo in Religionem feruntur, & in *Molinistas* omni indignationis affectu se exonerant, *Molinismum* seu teterrimam pestem aspernantur, citiùs omnibus renuntiaturi, quàm ad eum quoquomodo adduci se paterentur: ita comparati

parati, obfirmant animum, & adversùs *Molinistas* constans bellum se gesturos promittunt.

Accedunt tertii, qui nullis disciplinis formati, multa liberè garriunt, neque ullâ hæsitatione fundunt, toti in erraticis libellis pervolvendis, tractandisque. Ibi si interroges de *Molinismo*, extemplò prosilit liberior, qui nescientiæ suæ ignorat se fidere, & oratione sodales suspendens, sic fatur: fuit apud Italos turpis Hæreticus, *Michaëlem Molinos* appellarunt, integrum ejus processum in *Mercurio* legi, & servo notatum, hujus sectam propugnant Jesuitæ, ipsa *Molinismus* dicitur, & Jesuitæ appellantur *Molinistæ.* Hi inter bellaria, &, dissoluta colloquia, de *Molinismo* meminerunt libenter, & Jesuitas seu turpissimæ Hæresis Sectatores dilacerant.

Nec deest quartum ingenium, cui *Molinismus* omnium malorum origo est: apud horum subsellia, quidquid in sacris Disciplinis tradi minùs rectè videretur, aut in circumscribendis moribus minùs consideratum, id totum ad *Molinismum* refertur, & quidquid delirant Reges plectuntur Achivi.

Hæc omnia, una dictat ignorantia, quâ præoccupatus animus, quid, de quo proferat, nescit.

Rem veram narrabo, & qualem ex ipsius ore accepi, qui scenam absolvit, vir in hunc diem vivus, & vegetus, Religioni nostræ numquam adscriptus.

Convenerant fortè non pauci, cùm inter varios sermones oratio ad *Molinismum* delapsa

delapſa eſt: hæc omnes fecit eſſe diſertos. Tum præſtans inter Sodales, quid agimus, inquit, ô viri! *Moliniſmus* omnia peſſumdat, quaquaverſum ſubintrat, & vires ſumit indies: enumerat exinde longo ordine damna, quæ à Moliniſmo Eccleſia, aut pati debeat aut metuere. Ad hæc vir ille, cæteris inſtructior, atque ejuſmodi declamationibus aſſuetus, enimvero, ait, *Moliniſmus* perverſa res ſit oportet: at, amabo, quis eſt ille *Molina*, qui hanc Sectam induxit? quam Theologiam ille conſcripſit? quo idiomate? ubi veneunt ipſius volumina, quâ formâ edita? cedo, eſtne veſtrum aliquis, à quo hunc autorem habere poſſim commodato? Ecquis veſtrum eum legit, aut vidit? quas umquam apud ullum judicem tulit cenſuras? hoc loco, omnis in talos decidit eloquentia, oculiſque in invicem mutuo conjectis, hæſerunt ſinguli piſce mutiores, & meritam viri reprehenſionem taciti devorarunt. Atque hæc quidem quotidie ſunt obvia, juvenes, tyrones, deridiculè eruditi, ſemi docti, *Moliniſmum*, & *Moliniſtas* crepant ampliſſimis buccis, & profuſis ſuppliciis damnant, omnia imperitè, & præter æquum de *Molina*, de ejus operibus, ne tantillum quidem reſcientes.

Dicam propterea quod res eſt, & te quoque, ſi neſcis, docebo.

1º Nulla eſt ſchola Theologica, cujus diſcipuli ab ejus autore appellari poſsint *Moliniſtæ*:

Quia *Pater Ludovicus Molina*, à quo hæc nominatio derivari poſſet, numquam integram Theologiam aliquam conſcripſit, multo mi-

minus ſcholam aliquam aperuit, cui à ſe appellationem faceret.

Ludovicus *Molina* natione Hiſpanus, Anno 1593. edidit in folio duos tomos Commentarios in Primam Partem D.Thomæ; in reliquas Partes edidit nihil: alium librum in 4to Inſcripſit de Concordia gratiæ & Liberi arbitrii editum Antverpiæ anno 1595. ad hanc Concordiam addidit Appendicem: præter hæc, nullum opus Theologiæ ſcholaſticæ à *Molina* accepimus, ita nulla Schola ab eo dici poteſt *Moliniſtica*; tametſi omnia ipſius placita conſtanter defenderet.

2°. Theologi Societatis, ne quidem ratione Sententiæ, quam inter ſe, & cum aliis quamplurimis per univerſum Orbem habent communem, de Concordia gratiæ, & liberi arbitrii, dici poſſunt *Moliniſtæ*.

Quia in hac diſputatione, quæ eſt inter Catholicos ſalvâ Fide antiquiſsima, ea quæ Theologi Societatis, aliique ſtatuunt & affirmant, illa neque quæ attulit *Molina*, omnia ſequuntur, aut probant; ita illius Sententiæ, neque *Molinam* habent Autorem, neque ex integro Socium; adeò ab ipſius nomine nequaquam ſunt appellandi. Exiſtimo præthereà rariſsimos eſſe, aut fortè nullos, qui ſtudioſiùs *Molinæ* opera pervolverint, aut etiam adierint, niſi objecta ab adverſariis in ipſo fortaſſe forent examinanda Suâ autoritate, ſuis momentis pugnat *Molina*, publicum pondus in Theologicis non accepit; apud lectores quos caſus dederit, tantum impetrat quantum perſuadet.

Atque hæc quidem de re prout eſt: quod ſi

ſi tamen aut nos, aut alii, quocumque ex Capite, à *P. Ludovico Molina* ſalutari poſſemus *Moliniſtæ*, neque indecora eſſet hæc appellatio, neque recuſanda. Fuit enim *Molina* dum viveret, vir maximè Religioſus, & apprimè doctus: qui de eo à ſæculo meminerunt (obiit enim 12. Oct. 1600.) Religioſas virtutes, ſanctioris vitæ fundamenta, multis in ipſo celebrarunt; paupertatem imprimis, cum ſingulari animi demiſſione conjunctam, obedientiam, & obſervantiam in ſuperiores, promptitudinem ad communem convictum, & munera conſueta, quibus nullus eum tyro præiviſſet. In Luſitania, in Hiſpania, à peritia rerum Theologicarum eruditorum omnium commendationem comparavit, uſque in hunc diem conſtantem. Edidit ſiquidem præter Theologica, De Juſtitia & Jure, Tomos in folio ſex, & bene ſpiſſos, in quibus Molinæ ingenium, Juris Civilis peritiam, & diſpoſitionem, illi ſoli non ſunt admirati, qui ad hoc opus ubique peritis laudatiſsimum numquam acceſſerunt.

Cæterùm, ut eſt multiplex hominum genus, & ſuo quiſque affectu ſæpe magis, quàm ratione ducitur, notantur nonnulli qui de *Molinâ* ſparſerunt, aut ſpargunt ſiniſtra, juvat proindè hoc loco ſubnectere, quod fortè in hac cauſa non omnibus obvium eſt.

P. Philippus Allegambe patriâ Bruxellenſis S. T. D. à Confeſsionibus Principi Eggembergio à Ferdinando III. Romam deſtinato ad Urbanum VIII. obedientiæ præſtandæ causâ, concinnavit ibidem Bibliothecam Scriptorum

torum Societatis: jussu Pontificis, liber hic traditus est Examinandus Ill^mis ac Reverendissimis Dominis. D. *Cincio* Congregationis Rituum Secretario: *D. Francisco Albizio.* S. Inquisitionis Assessori. *D. Julio Rospigliosio*, Secretario Brevium. Hi duo Eminentissimorum Collegio posteà fuerunt adscripti. *Julius* verò *Rospigliosius* electus exinde in Summum Pontificem, CLEMENS IX. est nuncupatus.

Tenuit examen hoc totis octo mensibus: tum habita est Congregatio in monte Quirinali 24. Aug 1640. in ædibus Reverendissimi & Ill^mi D. *Rospigliosii*, & Ill^mis DD. visum est posse Bibliothecæ istius impressionem permitti. De hac Congregationis sententia relatum est ad Sanctissimum 26. Augusti, addiditque Summus Pontifex placere sibi impressionem permitti. Tantis approbatoribus Bibliotheca hæc primùm publica fuit; & prodiit typis Romanis. Pridem editam auxit ibidem *Nathanaël Sotuellus* ejusdem Societatis, auctamque, approbante Rev^mo *Raymundo Capisucco* Ord. Prædicatorum S. Palatii Apostolici Magistro, alteris typis vulgavit Romæ Anno 1676.

Hac editione utor; ibi pag. 569. legimus in hæc verba. „Cùm non defuerint qui *Molinam* acriore censurâ perstrinxerint, ejus " Doctrinam suo præjudicio damnatam, in jus " ad summum Tribunal vocarint, ipsum acris " Ingenii Novatorem, & nescio quibus aliis " nominibus compellarint; operæ pretium " fuerit, quis de illo sensus sit doctissimorum „ex

" ex uno alterove scriptore externo, omissis
" nostris, *Leonardo Lessio, Joanne Marcheren-*
" *terio, Andræa Eudemon Joanne, Petro Lar-*
" *rico, Valentino de Herice, Hieronymo Fasô-*
" *lo, Francisco Gargia de Valle, Didaco de Ba-*
" *eza* cognoscere. De illo sic ergo *Silvester*
" *Maurolycus* lib. 5. Ocean. Relig. *Cujus eru-*
" *ditus*, inquit, *de Auxiliis partus, positus in*
" *fornace examinis Pontificii, & sæpius igne*
" *probatus, deprehensus est aurum omnibus nu-*
" *meris purgatissimum. Ipse verò Molina in*
" *Theologia Morali tantæ est autoritatis, tan-*
" *tæque æstimationis in Tribunalibus, & apud*
" *juristas, ut sine adminiculo aut copia aliorum*
" *autorum, adferat lumen veritati, decisionem*
" *causæ, terminum litigiis.* Laurentius *Beyer-*
" *linck* in opere Chronograph. ad Annum
" Christi 1599. *Titulo* viri illustres. *Multi-*
" *plice*, ait, *rerum scientiâ præcellens etiam*
" *doctissimos suæ ætatis, eam Theologiæ partem*
" *quam majoribus difficultatum scopulis exposi-*
" *tam longo usu didicerat, elegantioris doctri-*
" *næ lumine peritus illustravit.* Sunt qui ex-
" istimant, & typis etiam nuper Impresserunt,
" sententiam illam *P. Molinæ* de scientia me-
" dia non fuisse approbatam à variis viris doc-
" tis, etiam de Societate, & nominatim, nec
" à Cardinale *Bellarmino*, nec à *Gabriele Vas-*
" *quez* magnis nostri Ordinis hominibus. Sed
" quod ad *Bellarminum* attinet contrarium
" evidenter constat ex Autographo ipsius Car-
" dinalis, quod asservatur in Tabullario ge-
" nerali Societatis Romæ de opinione *Mo-*
" *linæ*, oblato Clementi VIII. P. M. in quo
disertè

" disertè affirmat Cardinalis, Opinionem Mo-" linæ de scientia media, videri sibi verio-" rem, sed nec illam à *Vasquez* fuisse impro-" batam ostendi posset ex variis locis ejusdem, " præsertim in 1. parte S. Thom. ad quæst. 14,, Hactenus *Alegambe*: contra *Molinam*, nemo fuit, qui aliquid tantâ autoritate attulerit. ,, Verùm, inquit ibidem *P. Alegambe*, non est ,, instituti mei hæc enucleatiùs prosequi; præ-,, stabunt id copiosè alii; atque jam præstiterunt. Qui de Congregationibus de Auxiliis Historiam legit *Augustini le Blanc*, illam examinet ad Historiam de iisdem Congregationibus à *Theodoro Eleutherio* pridem conscriptam, qui prioris Historiæ voluit editionem alteram *R. P. Hyacinthi Serrii* adjunctumque ab eo librum V. Historiam *Eleutherii* legat vindicatam. Ibi disces erudite lector, de fabellis quàm plurimis, quas iterum hâc opportunitate de *Molinismo*, Tubicen voluit repetere.

Venio ad illius *Clangorem*; hìc ad mendacia descendit, & redit ad vomitum. Accipe solemne, & propriis verbis. " Jesuitæ, " Gratiæ per se efficacis, moralisque Evan-" gelicæ Defensores, inquit pag. 343. & 344. " velut Jansenistas, Bajanistas, Hæreticos, " S. Sedis contemptores, & Novatores, apud " Principes, & Magistratus, & Populum de-" pingunt, omni calumniarum genere famam " ipsorum proscindunt, suisque illis dolosis " & calumniosis artibus à Dignitatibus, Of-" ficiis, & muniis Ecclesiasticis arcent.

Non est ita mi bone: in medio testium

 vivimus

vivimus qui te condemnent. Moralis Evangelicæ Defensores omnes amamus, tantæ Regulæ omnes auscultamus, hoc Deus jubet, mandat Ecclesia, & ratio dictat. Non omnia tamen moralem Evangelicam afferunt, quæ eo nomine prodeunt insignita; hoc docent nos Constitutiones Pontificiæ: aliquamdiu latêre fraus potuit, latêre omninò diù vix potest, jam pridem in aperto est, & larva illa graviùs desiit nocere, posteaquam authoritate Apostolicâ, & summâ Ecclesiæ utilitate fuit sublata.

Gratiam *per se* efficacem alii defendunt, oppugnant alii, pars utraque pro se inclamat Magnum Augustinum; pro neutra parte postremum judicium latum est: dum licet, sua quisque opinamenta salvâ Fide tuetur Theologus, nihil ex hoc capite, quemquam condemnat Hæreseos. Indica nobis homo insolentissime qui hæc scribis, indica inquam, scriptorem Societatis, qui aliquem ceu Hæreticum traduxerit, ex hac una causa, quia tueretur Gratiam per se efficacem. Quod si indicare non potes, tace. Scito tamen me nihil vitilitigationibus tuis tribuere, rem certam volo, & apertam, quam omnes intelligant.

Huic junge priori affine, & hoc alterum mendacium: "Hodie vel ipsi Jesuitæ, in-"quit pag. 347. *Liberius* utique *Gratianus*, "& alii palàm attestantur, V. Propositiones "Damnatas continere solam de gratia per "se efficaci doctrinam, istamque Augustini "de gratia per se efficaci doctrinam in illis

"pro-

» propositionibus damnatam contendunt.

Hæc falsa sunt, & imperita. Qui non admittunt gratiam *per se* esse efficacem, negant eam à Sto Augustino traditam fuisse. Negant illam posse componi cum variis apertisque S.Doctoris sententiis: negant à Magno Augustino scriptum fuisse eo modo, id est *per se* gratiam esse efficacem: Theologorum omnium una vox est, Cor Regis esse in manu Domini, habere eum efficacissimas gratias, & omnipotentissimam voluntatem, quâ pro altitudine judicii sui, ex omnibus hominibus creatis, creandisque sub hac revelata Divini Numinis Providentia facere possit aliud in contumeliam, aliud quidem vas in honorem; & quæ sunt his alia affinia, hæc omnes docemus; de *modo* sola disputatio est, de *modo* inquam, de hoc quæritur, quo loco Theologico traditus sit, ubi legere possimus, Divinam Gratiam, ubi semel recepta est, *se ipsâ*, & *per se* conjungi cum opere bono. Quoties id non flagitatum est, ut *modus* iste quo Dei gratia in nobis efficax esse affirmatur *à se*, & *per se*, legeretur nobis, sed clarè, aut in sacris Literis, aut in SS. PP. atque imprimis in Sto. Augustino? Quis præstitit? Quis locum allegavit, in quo *modus* ille efficaciæ gratiæ Theologorum judicio legi potuerit? Lætabor, si aliquem quisquam attulerit, qui convincat.

Nemo proinde Catholicus tam stolidè delirat, ut Sti. Augustini Sententiam de Gratia Damnatam esse contendat, qui hoc à Scriptore Societatis contendi scribit, imponit graviter: quæ verè est Magni Patris de

Gratia

Gratia Sententia, illa, pro eo ac ſtatuit Ecclesia omnibus Catholicis certa eſt; quæ porrò talis ſit verè, dum licet, & poſtremo judicio nihil eſt definitum, diſputamus Theologi, ita ſemper comparati, ut omnium in Religione controverſiarum Judici, Chriſti Vicario, certi ſimus auſcultare, & adhærere.

Quæ de *Liberio Gratiano* Tubicen ex aliis denuò revocat, recitator ſemper leviſſimus, ipſe autor Diſſertationum de Mente Concilii Tridentini luculentiùs diluit, quàm ut poſtulare res poſſit, de his verbum ultra adjungi.

Sed tabulam ſtuduit prenſare, in quam ſe reciperet. Communibus conſiliis, ſummâ contentione pridem ſuſceptum eſt, Religionem Societatis JESU omnibus artibus in invidiam adducere, quo fructuoſiùs quaquaverſùm inclamarent, in cauſa Janſeniana cum ſolis Jeſuitis rem eſſe: ſolos Jeſuitas, ſui, non Religionis, non Fidei cauſâ hoc bellum & priùs moviſſe, & proſequi indies.

Innumeris libellis multiplici idiomate diſperſis, id totis viribus agitur, ut lectores in eam opinionem adduci poſſint, doctrinam Janſeniani libri, tum Sacris Literis, tum SS. PP. ſancto Auguſtino maximè, per omnia reſpondere: Hujus libri defenſores, genuinos eſſe ſancti Auguſtini diſcipulos, non aliam ſe propugnare quàm ſancti Auguſtini de Gratia Sententiam, eamque quam tot Academiæ, & Religioſi Ordines indies defendant. Solâ Jeſuitarum potentiâ ſe agitari & opprimi, Jeſuitis autoribus omnem excitari poteſtatem,
ne

ne si Janseniana hæresis nulla esse credatur, aperti sint ipsorum errores, & quales sint tandem noscantur. aliaque quàm plurima, quæ toties vulgata non vacat repetere, quæ nescio an Janseniani incautiùs divulgent an stultiùs: quid enim est stultius, quàm Academias Catholicas, aut Religiosos Ordines, quasi socios suis adjungere, qui nunc omnes atque ex solemni præscripto Janseniani libri Doctrinam rejiciunt, & damnatum Janseniani libri sensum interposito Sacramento se damnare confirmant. Quid ineptius, quàm vociferari sibi solos Jesuitas esse adversarios, qui neminem habent Catholicum aut Patronum aut Socium? Quod si ita se res habet, qualiter cæci divulgant, enimverò in eum locum adducti sunt, ut Catholici esse non possint, nisi omnis potestas in errorem pridem inducta, constanter decipi pergat, & decipere; ibi, inquam consistunt, ut aut necesse sit ipsos Jansenianos esse Hæreticos, aut errare Ecclesiam: quo, nihil est quod incautiùs possint effutire, qui se Catholicos etiamnum cuperent appellari

Verùm perfidia sensim incedit impudentior, cùm ultra se tegere & latere non potest, laxatis habenis furit, & positâ larvâ latentem pestem exhalat: Accipe specimina aliqua, quæ *Liberius* hoc Capite pluribus deduxit, in pauca pronuntiata redacta.

1. Jesuitæ, inquit, Propositiones V. æquivocas per Devotum sibi *Cornetum* ex Jesuitam fabricarunt quas totidem verbis in Jansenio contineri contra veritatem sparserunt.

2.

2. Per Christianissimi Regis aulam,& Episcopos Galliæ circumvenerunt Urbanum VIII. Innocentium X. Alexandrum VII. Orbem denique universum.

3. Regibus, Principibus, Cardinalibus, & moderno Pontifici persuaserunt, eos qui se defensores dicunt Sti Augustini defendere V. Propositiones sensu Calviniano, ipsos proinde Calvinistas esse &c.

4. Innocentius X. Jesuitis fidem adhibens, V. Propositiones excerptas esse ex Augustino Jansenii dixit Narrativè in Proœmio & clausula Constitutionis.

5. Innocentius X. tantùm injunxit examen V. Propositionum in abstracto. Ex nullo actu authentico ostendi potest juridicum libri illius examen ab Innocentio X. cuiquam injunctum fuisse.

6. Constitutio Innocentii X. ab omnibus & Janseniani libri defensoribus recepta est, omnes item V. Propositiones damnarunt: sed Jesuitæ novam adorsi sunt litem de Jansenii *Facto*, nihil ad Fidem pertinente.

7. In Ecclesia prorsùs insolitum est hæreticas Propositiones autori in Ecclesia defuncto definitivè tribuere tamquam ex libro ipsius extractas, nisi todidem verbis in eo existent.

8. Janseniani libri Defensores parati erant demonstrare à se & aliis non paucis DD. magno studio quæsitas V. damnatas Propositiones, in eo libro à se inventas non esse, sed solam de gratia per se efficaci doctrinam.

9. Jesuitæ ab Alexandro VII. per Sub & Ob-

obreptionem obtinuerunt Constitutionem *ad Sacram* : in quâ Sti Augustini defensores propterea vocat *filios iniquitatis*.

10. Jesuitæ à Clemente XI. per Sub & Obreptionem obtinuerunt Constitutionem *Vineam Domini*.

11. Jesuitæ persuaserunt Clementi XI. Jansenianì Facti defensores prætendere quod Religioso silentio satisfieret Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. tam *quoad Jus*, quàm *quo ad Factum*.

12. De ista Jesuitarum calumnia manifestè constitit tempore Clementis IX.

Hæc pauca ex multis, quorum nihil umquam Catholicis oculis subjici deberet, neque ego sanè repeterem, nisi hoc unum consilium esset, ut tu quoque, quisquis es lector, oculis tuis crederes, atque intelligeres, quo tandem impetum vertat tota hæc legio, quæ præmisso Tubicine, Jesuitas se oppugnare nuntiabat : sed bene habet, clarissimè insonuit *Tuba*. Ipsi qui se Sti Augustini Discipulos appellant, quia proprium nomen erubescunt, palàm omnibus in hunc sensum enuntiant.

Reges, Principes, Academiæ, Religiosi Ordines, Episcopi, Cardinales, Pontifices, Orbis universus, aut est autoribus Jesuitis deceptus, aut nos sumus Hæretici.

Hoc veritas tandem extorsit; nullam spem habent, quâ se turpissimâ illâ notâ possint liberare, nisi id factum sit, quod factum est numquam, quod numquam futurum esse Deus promisit.

Hinc illa tantis discipulis digna, & instituta hoc

hoc loco exclamatio. " Ergone semper pars
" Domini inaudita,& Christus in illa damnabi-
" tur, & mactabitur autoritate Curiæ ? Barab-
" bas verò cum parte malignantium, & S. Se-
" dem mendaciis suis circumvenientium pœ-
" nam evadet, exaltabitque cornu suum, seu
" potentiam? *

Hæc est desperatæ impietatis ultima vox.

§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§*.§.*§

CAPUT V.

Indicantur Instrumenta quæ Liberius *alteri Editioni suæ adjecit. Ostenditur qualia sint, quid de iis sit æstimandum, quàm imperitè adversùs Societatem è tenebris suis evocentur.*

TRia sunt Instrumenta, quæ hac alterâ editione accesserunt ad Tubam magnam. Primum, Epistola esse dicitur P. Nicolai Caussini, quam ipse scripserit ad Præpositum suum Generalem Mutium Vitellescum. Hæc, inquit *Candidus*, *numquam ante hac edita est, ut puto.** De me fateor, Epistolam illam editam vidi numquam, sed neque manuscriptam, neque an fuerit aliquandò, audivi umquam: subiit animum proindè desiderium intelligendi, unde vetus hoc monumentum, post septuaginta & amplius annos (exarata enim notatur Epistola anno 1638.) nunc tandem

* Pag. 369. * Pag. VII.

dem ad nos usque pervenerit: cùm ecce præter spem in hanc proximam periodum incidi; *Quî ad manus nostras pervenerunt hæc duo scripta* (Epistola nempe attributa P.Caussino, & *Enarratio* de qua paulò post) *parùm interest hîc enarrare. Sufficit non ausurum Huylenbroucq ea falsi insimulare.**

Sanè interest plurimùm, cùm quis tabulas objicit, primùm enarrare, quæ sint, & quales, unde evocatæ, quàm certæ, quàm sinceræ; qui de his nihil docuerit, se prodit, & inani verborum strepitu verberat aëra, apud sensatum hominem numquàm audiendus: quod non probatur, nihil evincit. Ut negarem Epistolam hanc esse genuinam, satis esset, Tubicinem ausum non fuisse indicare à quo, aut qua ratione eam ipse acceperit, neque enim larvis plus aliquid credendum est, ac bene demonstrent.

Verùm tametsi hoc solo Responso, quia solido, instrumentum hoc missum facere, & præterire meritò possem, tamquam nullâ ratione comprobatum, juvat nihilominus imperitum hominis consilium apertiùs explicare atque evincere, laudari nos ab eo, & eodem illo instrumento, quod adversùs nos objicit. Itaque dabo tantisper, quod nescio, & supponam, quod asserit, Epistolam illam autore *P.Caussino* scriptam fuisse.

Atque de Epistola sic equidem existimo, si *Caussino* tribui deberet, *Caussino* digna est, sive in ea eruditum quæras, sive Religiosum, & Religionis suæ Societatis Defensorem, & singulis

* Pag. VII.

singulis nominibus magnum.

Non revocabo in memoriam ea tempora, quibus hæ literæ sunt exaratæ: prostat, ut quamplurimos prætermittam, typis edita anno 1694. vita Eminentissimi Cardinalis, & Ducis *De Richelieu* præcipui status Administri apud Ludovicum XIII. Regem Christianissimum; hanc consulat, cui est otium: præcipuè Tomum 2m. mihi fixum est non evagari. Satis habeo proximam Epistolæ occasionem, quæ esse potuisset, paucis indicasse.

P. *Nicolaus Caussinus* scriptis clarus, ab eximia morum probitate, & innocentia commendatissimus, alieno arbitrio in Aulam est evocatus, & Regi Christianissimo Ludovico XIII. à Sacris Confessionibus fuit: sustinuit arduam illam Provinciam vir Religiosus, memor Dei, probatus Regi: omnium potentiam declinare non potuit. Itaque literæ sunt impetratæ, quibus Parisiis jussus fuit excesse, *Rhedonas* missus primùm ad extremas Galliæ oras, inde in infimam Britanniam *Corisopitum*, novus & inusitatus ex aula in his Regionibus hospes; forti animo miser. Hunc locum hæ literæ notant, destinatæ, ut præferunt ad Reverendissimum Patrem Mutium Vitelescum Societatis Præpositum Generalem die 7. Martii 1638.

Jam verò, ut ad *Liberium* redeamus, quid nuntiat, amabo, illa Epistola, post tot lustra, nescio, unde aut habita aut evocata? nisi enim singulariter nos accuset, ne is inopiam suam deprædicat, qui antiquata hæc tela se ipsis obtusa emendicet; quod si etiam eadem

dem ipsa Epistola Religionem nostram commendet, stultus profectò est *Tubicen*, qui eam decantat.

Age igitur, inspiciamus: An Caussinus alicubi incusat Societatem? nequaquam; disertis verbis pronuntiat, *Nihil imputabam Societati, quam ut Parentem carissimam semper habui.** Num fortè culpat Præpositum Generalem? neque illud: scribit se ab eo, *Quasi communis pietatis ara solatium fidenter implorare*: addit ipsius Præpositi Generalis *Exempla, & præcepta lucem, totam in Societatem transfundere.** Repetit iterum, *nihil in Societate metuendum tam Sapiente Præposito, tam vigili Moderatore, Patre tam pio.**

Sed socios suos, & contubernales perstringit? Nihil minùs. Affirmat ipse: *nihil tamen imputandum velim fratribus meis, quos semper enixè colui.** num igitur *Rhedonis* in *Caussinum* tempestas deseviit inclemens? imo scribit de se ipso, *Diu tandem jactatum, & attritum incommodis recepêre Patres Rhedonenses summâ humanitate, quamquam repentini casûs terrore confusi.** Superest ut *Corisopiti* omnis querelarum materia sese aperuerit; at negat id iterum *Caussinus*, & testimonium reliquit in hæc verba, *Excepere me Patres Corisopitenses eximiâ caritate, quamquam Rectore usus sum parum æquo, qui per inamænitatem ingenii me negligeret, mea curiosissimè observaret, ne scilicet Lotharingus in suspicionem veniret prævaricationis.** Vides *Caussinum* etiam

* Pag. 584. * Pag. 572. * Pag. 604. * Pag. 589.
* Pag. 586. * Pag. 590.

etiam minutias non præteriisse, & in eo loco Superioris attentam notasse prudentiam.

Ubi ergo tandem sunt crimina, ubi scelera, aut indignæ Religiosis viris actiones quas *P.Caussinus* objiciat, ut hæc ejus Epistola ab Accusatore jure divulgari potuerit? imò quid nuntiat? dicam brevissimè de singulis, omnia tamen.

Queritur 1. Provinciæ Societatis tum fortè Moderatorem, allatum à *Noyerio* Regi à Secretis de exilio mandatum, sententiamque altero pòst die, mane, accito sibi recitasse de scripto. Addit 2.do misso vectori *Tradiderunt me Fratres mei necessitate compulsi, ut essem aliter ruituræ domus piamentum.* * Subjungit 3o Superiorem jussum fuisse scribere circulares Literas, iisque jussum esse nuntiare quæ nec probaret, nec crederet, sed ex necessitate expuncta, vi extorta. Meminit 4o se à Provinciæ Moderatore de Patrum consensu conscriptam Epistolam accepisse, quæ varia Capita objiceret, tametsi non ambigere se dicerent quin omnia fide optimâ virtutisque zelo ductus ac conscientiæ fecisset.

Hæc summa est, huc redit omnis ille apparatus. Ubi nunc Accusatio Societatis? Ipsa Epistola Societatis est Apologia, *tota*, inquit, *prope Societas pro me in hac causa est.* * Ipsos quoque,quos paulò ante nominavi paucissimos numero, & quos querelæ imprimis respiciunt, nescio an magis, accuset, quàm purget: accipe genuina verba; sic habent:

* Pag. 586. * Pag. 602.

habent: "Non accuſo pietatem tuam," ſed "doleo neceſsitatem: multa fuerunt imperanti, plurima minanti concedenda: jubebat ab aula amoveri, parendum fuit; jubebat ab urbe, exeundum; jubebat in abditum relegari Collegium, nec iſtud deprecandum; jubebat à re ſcribi contra me quidquid ira frementi dictavit, quidquid tua prudentia ignoravit, hoc honeſtè tu poteras denegare, & ſi urgeret, fortiter recuſare," tum de circularibus literis denuò conqueſtus, *loqueris*, inquit, *ore non tuo*, *ſenſu judicas alieno*; *ſæva neceſſitas*, *quæ hoc extorſit*, *miſera virtus*, *quæ neceſſitati ſuccubuit*.

Habes ſententiam *Cauſsini*, ubi invenis Religionis ſuæ accuſatorem? Æquior fuit *Cauſsinus*, quàm ut in cauſa ſua innocentem Matrem perſtringeret: docuit Vir Religioſiſſimus magno poſteris exemplo, adversùs iratam potentiam, ſatis non eſſe ſolam innocentiam; rem verò ſemper tutiſſimam eſſe, præter Deum nihil timere.

Vis ſcire modò, utrum per id tempus Moderatoribus & in eam neceſsitatem conjectis, an contra P. *Cauſsino* in hac querula lite virtus patrocinetur? habes allatam Epiſtolam; hæc pro autore ſuo perorat: audi alteram partem, inquire quas literas pro ſe dederint Moderatores, quibus momentis adducti munere ſuo ſint functi: ubi hinc inde omnia ritè perpenderis, per me licet ad nos redeas judex, neque intelligere pœnitebit, quo ſpiritu agantur qui in Societate ex illius Inſtituto aut Domibus præſunt, aut Provinciis.

At

At tu homo leviſſimè, tu inquam ô *Tubicen*, deſine fucum facere; diſce aliena monumenta nec præter propoſitum adferre, nec præter autorum voluntatem. Scito Pm. *Cauſſinum* ex exilio revocatum fuiſſe Lutetiam, & in Aulam: ſcito integerrimum & doctiſſimum Virum, à reditu ſuo omnibus palàm feciſſe, quo loco Religionem ſuam, Societatem haberet, ejuſque defenſionem adversùs obtrectatores, & fortiter ſuſcepiſſe & conſtanter, publicæ ſunt, quas redux vulgavit, ſcriptiones duæ; uni titulus eſt, *Apologia pro Religioſis Societatis JESU ad Reginam Regentem.* Pariſiis 1644. in 8. & in 4. Alteri, *Reſponſio ad objecta Theologiæ moralis.* Pariſiis 1645. in 8.º Ipſe annis gravis, & multis meritis cumulatus ad horum præmia migravit ad Dominum Pariſiis in Domo Profeſſorum die 2. Julii 1651. Ætatis 81.

Venio nunc ad alterum *Liberii* monumentum, & priori recentius; huic hic titulus eſt. „Succincta Narratio eorum quæ P. Thyrſus „Gonzalez geſsit in Hiſpania apud Superio-„res ſuos, & apud Pontificem Innocentium „XI. ad cohibendum Opinionum probabilium „abuſum, cum brevi explicatione rationum „ob quas anno 1691. Edidit Tractatum „ſuccinctum de hoc argumento, & difficul-„tatum quæ circa ejus publicationem ſuper-„venerunt. *

Lætor equidem nihil ubique eſſe, in quod Adverſarii noſtri non inveſtigent, omnes Provincias circumcurrunt, veluti theſau-rum

* Pag. VII.

rum relaturi, & magnæ operæ pretium, si quid nancifcantur, quod Societati objicere fe poffe exiftiment. Is enim fructus inde ad nos pervenit, ut intelligamus nos medios inter fpeculatores vivere, & gratias Deo maximas effe reddendas, cùm qui omnia perfcrutantur nihil afferunt, quod probi hominis attentionem poffit mereri.

Juvat nunc objectam hanc narrationem excutere. Quæro itaque primò: Quo autore elaborata eft illa narratio, quibus momentis eft ftabilita, à quo tandem eft habita? Hìc hæret aqua, cùm aliud non poffit, divinat Liberius: *Si*, inquit, *illius narrationis autor non fit ipfe Generalis, certè fidus quidam illius amicus eft, & confiliorum confcius. Qui ad manus noftras pervenerit, parum intereft hìc enarrare.** Hariolatur *Liberius* nofter, & lectoribus opinor fcribere fe exiftimat tam ftolidis, ut numquam requirant, quâ fide, quis, quidquam attulerit. Errat porrò hic compilator, non fcripfit R. Adm. P. N. Thyrfus Gonzalez vulgatam hanc narrationem; aliquam aliquando hac de materia elaboravit, hanc Legi coràm, & ex ipfius manibus acceptam; fed tantum eft inter utramque difcrimen, quantum inter diem noctemque: nec fidus fuerit oportet, nec amicus, nec confiliorum particeps qui divulgaverit, quæ hìc recitantur: quod enim in ea narratione eft certum, aut à veritate non alienum, tam obvium eft, ut vix tyro de iis fæpius non inaudierit. Hæc certa pofteris potuit relinquere, is

* Pag. VII.

is etiam, cui cum P. Thyrso nulla umquam consuetudo intercessisset.

Ex manuscriptis, pergit *Candidus*, *eruta est parum accuratè exaratis*, *inde fieri potest varias in Editione irrepsisse mendas* * hoc veriùs scribit, irrepserunt enim quamplurimæ: *Dum hæc scribo*, ait, *occurrit pag*. 613. *lin*. 32. "Elator, *ubi legendum* Procurator." Crederes hominem Appellationum nostrarum ex jure nostro esse non imperitum, qui tam opportunè corrigat se: sed corrigenda est correctoris correctio, nihil corrigit bene: Non est igitur legendum, ut habet mendosa narratio, *venit P. Thyrsus Anno* 1687, *tamquam Elator Provinciæ Castellanæ ad Congregationem generalem XIII.* neque legendum est. venit *Procurator :* non fuit eo anno in Societate Congregatio *Procuratorum*; ad Congregationes Generales nulli veniunt *Procuratores*, P. Thyrsus Gonzalez tamquam *Procurator* numquam venit in Urbem. Si quid legi debeat, legendum est, venit *Elector*; Electusque est ipse Societatis Præpositus Generalis XIII. Anno 1687. 6. Junii. Optimi Parentis nostri, & præclarissimi viri, virtute juxta ac doctrinâ notissimi, gratam quotannis habemus memoriam.

Cuperem post hæc intelligere quid nuntiet illa narratio, quid afferat adversùs Societatem, ut ab accusatore possit evocari, quid habeat ad usus Tubicinis accommodatum? Vereor sanè ne eam non legerit, qui ipsam imprimi curavit, siquidem affirmat, quæ adversarii

* Pag. VII.

verſarii noſtri toties veritatem edocti confiteri etiamnum erubeſcunt: demus ſpecimen aliquod. Unum eſt Pag. 611. ibi ſic habet: "Manifeſtum eſt enim hanc doctrinam (eam "intelligit quam benignam appellant) am-"plexos fuiſſe non ſolùm ſapientiâ, ſed & "virtute & pietate inſignes, non ex ſtudio "placendi hominibus, & animos hominum "ſibi conciliandi, ut malitiosè calumniantur "Janſeniſtæ cum Ludovico Montaltio Epiſt. "V.â,ſed ſincero deſiderio conſulendi proxi-"morum ſaluti, ad quam promovendam ma-"gis aptam cenſebant hanc benignam doc-"trinam, quàm oppoſitam paulò ſecuriorem; his fidem negare non poteſt *Liberius*, qui narrationem hanc celebrat. Credet ergo Janſeniſtas eſſe, eoſque Societatis malitioſos calumniatores, atque hos inter recenſeri debere, clariſſimum, qualem ſalutat, ſuum *Paſchalem.*

Aliud occurrit Pag. 616. narrat eo loco, Tractatum hunc elaboratum eſſe; "Ad Clau-"denda ora Janſeniſtarum, qui ut invidiam "conflarent Societati, ex laxitatis fama, tam-"quam propriam tribuunt ſententiam Proba-"biliſtarum, non ſolùm conceptam ſub ter-"minis ſub quibus communis eſt inter ſcripto-"res hujus ſæculi paucis exceptis,ſed etiam ſub "terminis invidioſis, qui eam Doctrinam "reddunt invidioſam.

Tum poſt pauca proſequitur in hæc verba. "Manifeſtè probat *P. Thyrſus Gonzalez*, "illam Sententiam (invidioſam de Probabili) "non prodiiſſe ex Societate, & non niſi per "calumniam à *Ludovico Montaltio* in Literis

"Provincialibus, à *Willielmo Wendrochio* in "Notis ad eas Epistolas citari tamquam Do-"ctrinam Societatis; quia evidèns est eviden-"tiâ facti eam fuisse communem, quando "Doctores Societatis incæperunt de hac con-"troversia scribere, ut ostendit *P. Thyrsus* "Differt. Primâ

"Deinde probat è Societate exstitisse hu-"jus Sententiæ (qualis à Paschali & Wen-"drochio, aliisque Societati per calumniam "attribuitur) primos impugnatores; nam an-"no 1608. illam impugnavit P. Ferdinandus "*Rebellus* in opere de Just. & jure lib. 8. q. 5. "& anno 1609. Paulus *Comitolus* in Resp. "Moral. lib. 5. q. 1. & fusè ac ex Professo "P. Andreas *Blancus* sub nomine *Candidi* "*Philalethi* 1642. De quo propterea *Julius* "*Mercôrus*, & *Joannes Baptista Gonet* ex sa-"cra Prædicatorum Familia, testantur eum "autorem primum in Italia adversùs illam "doctrinam calamum strinxisse, & hujus no-"stri sæculi opinandi licentiam compressisse, "quod ideo dixerunt, quia primus illam doc-"trinam probabilistarum ex professo impug-"narit.

Non exigui sunt momenti quæ ex probata hac sibi Narratione paucis his lineis *Candidus* retulit. Quod igitur felix faustumque fit, approbante Accusatore nostro, invidiæ conflandæ caussâ attributa est Societati Sententia de probabili, qualis non nisi per calumniam citatur tamquàm Doctrina Societatis; & quod Caput est, eamdem illam sententiam aliis communem, primi impugnarunt Autores Societatis, & de eo testantur *Mercorus*

corus, & *Gonetus*. Gratias Superis maximas, quod, quæ nos quidem vera, atque certifsima esse non ignoramus ipsi sponté allegent, ac simpliciter; quod omninò facere non possunt, nisi quæ asserunt cognoscant, approbentque. attulit autem hæc *Candidus*, objecit enim, igitur probet necesse est.

Plura proximis paginis recitantur in eamdem sententiam. "Ostendit, inquit, Præpo-"situs Generalis falsò Jansenistas tribuere "communi consensui Jesuitarum senten-"tiam benignam sumpto in sensu odioso, & "intellectam de opinione minùs tuta, quæ "ab ipso operante indicetur falsa, vel pruden-"ter posit judicari talis.*

"Præterea ostendit esse falsam Doctrinam "Jansenistarum, & quorumdam aliorum The-"ologorum nimis rigidorum, asserentium nul-"lam opinionem probabilem re ipsa falsam "& Legi Divinæ contrariam à peccato co-"ràm Deo excusare; probat enim posse dari "ignorantiam invincibilem juris naturalis. &c.

"Insuper (probat) contra Jansenistas, as-"serentes nullam opinionem merè probabi-"lem de honestate actionis sufficere ad licitè "agendum, sed requiri omnimodam certitu-"dinem moralem.

"Tradit & probat malignè Jansenistas tri-"buere Societati Sententiam probabilistarum "acceptam in sensu invidioso: id est (ut pau-"lò ante commemorat) si intelligatur de opi-"nione minùs tuta, quæ ipsi operanti in actu "primo magis apparet falsa, quàm vera.

Atque

* Pag. 618.

Atque hæc quidem Patrono Societatis dignissima sunt, vera sunt enim.

Inquiramus modò in cætera : an fortè paria, aut iis quæ retulimus majora contra Religionem nostram accumulat illa Narratio; nequaquam ; evolvi integram, nihil in ea legitur quo Societas accusetur : igitur hujus narrationis alteram editionem curet qui volet, sed eam Jansenianis objiciat, non Societati, illos calumniæ convincit, hanc defendit.

Quoniam tamen huc sumus adducti, dicamus etiam de iis, quæ sunt se ipsis particularia, & quæ hoc loco narrantur, de Libro R. A. P. *Thyrsi Gonzalez*, de sententia quæ eo libro propugnatur, de intentione, qua sententiam illam proposuerit : tum falsa quædam subjungam quæ hac narratione affirmantur, & quæ sunt hac de materia Societatis Decreta, subjungam. Nihil enim est in hac re, quod nos celare quemquam velimus, & hac oportunitate palàm fiet, quàm multa ineptè ac deridiculè adversarii nostri divulgent; vociferationibus tumidi, & quid proferant ignorantes.

Accedo ad primum. Anno 1665. P. Thyrsus Gonzalez docere desiit Theologiam scholasticam (hanc Salmanticæ Tradiderat annis decem) & zelo Apostolico, quo summo semper flagravit, per Hispaniam Missionibus se totum applicuit. A Scholasticis Concertationibus adductus ad praxim, visus est sibi Confessarios invenire, qui sinè ulla limitatione quasi cæco impetu uterentur Principio

inter

inter Theologos tunc familiari de usu licito opinionis probabilis & minùs tutæ, relictâ probabiliore, & tutiore.

Anno 1670. cæpit hanc materiam studio privato diligenter versare : notavit à malevolis, & calumniatoribus Societati hìc multa affingi : veluti eam sententiam sinè limitatione conceptam ab autoribus Societatis primùm esse evocatam, eam etiamnum ab iisdem communiter tradi, & haberi veluti Societatis propriam, & ut talem defendi, atque his alia similia. Ut his ex judicio suo aptè occurreret, Anno 1675. Romam misit elaboratum à se Tractatum, ibidem ex more Societatis examinandum. Tractatus ille Romæ à Revisoribus generaliter approbatus non fuit. Neque tunc facta licentia est, opus illud in lucem edendi : hoc novum non est; suo quisque arbitratu ducitur, sic homines sumus; qui suum, omnibus fore pulchrum existimat, aut is certè non novit se, aut ingenium humanum.

Revisorum rationes, quibus moti eum Tractatum non approbarunt, in publicum scriptum redactæ sunt; quod illius Tractatûs *Censura*, usitato vocabulo, dictum est. Prostat ea *Censura* manuscripta in Bibliotheca Collegii Romani; illi pòst, aliud juxta positum est Manuscriptum, quod prioribus rationibus, suas opponit: utrumque hoc instrumentum consulat qui potest, & oculorum suorum testimonio intelliget, longè alias fuisse rationes, ab iis, quæ in hac narratione recitantur, ob quas aut Tractatus ille non

fuerit

fuerit tum approbatus, aut postea autori non fuerit facta licentia, oblatas, quas aiunt ab ipso paucas propositiones, inferendi Tomo suo IV. Theologiæ scholasticæ. Sed hæc longiùs me abducerent, ac ferat hic locus.

Anno 1676. *P. Thyrsus Gonzales* ex moderatorum jussu è Missionibus rediit, quas undecim annis communi approbatione, fructu maximo, contentione summâ excoluerat, atque ex Designatione Regis Catholici, Præfectus fuit Cathedræ primariæ Universitatis Salmanticensis.

Tribus pòst annis, A° 1679. Innocentius XI. Pontifex Maximus, perniciosas Propositiones damnavit LXV. has inter non paucæ, & jure meritissimo reprobantur ex ea materia, in qua Theologi quærebant, quis, qualis, & quando usus licitus esse posset Opinionis Probabilis.

Intellexit tum fortè Sanctus Pontifex ex literis Nuntii sui apud Regem Catholicum; Tractatum pridem in Hispania elaboratum fuisse adversùs Probabilistarum, qui circumferebantur, abusum.

Hâc oportunitate Tractatus hic *P. Thyrsi* ex Hispania Romam venit ad Summum Pontificem, hujus jussu traditus est viris peritis duobus, & ab iis examinatus, ita est approbatus laudatusque, ut alter tamen Examinatorum plus aliquid rigoris in eo desideraverit.

Literas subinde ad Pontificem dedit *P. Thyrsus*: de his *P. Laurêa* ex Ord. S^ti. Francisci exinde S. R. E. Cardinalis retulit in Congregatione Inquisitionis feria 4. die 20. Junii 1680.

1680. Dixerunt eâ die Emmi DD. ei rescribendum esse, Sanctitatem suam mandasse, intrepidè doceret, & defenderet opiniones magis probabiles: nec non viriliter impugnaret sententiam eorum, qui asserunt, quod in concursu minùs probabilis opinionis cum probabiliori sic *Cognitâ*, & *Judicatâ* licitum sit sequi minùs probabilem. Gratum fore suæ Sanctitati, quidquid pro ea causa effectum dederit. Dixerunt item Emmi DD. injungendum P. Generali Societatis Jesu de Ordine Sanctitatis suæ, non modò permitteret subditis suis scribere pro opinione magis probabili, & relatam supra sententiam impugnare, verùm omnibus significaret mentem Sanctitatis suæ esse, ut quilibet, pro ut sibi lubuerit, liberè scribat pro opinione magis probabili, & impugnet contrariam prædictam, eisque jubeat ut mandato suæ Sanctitatis se submittant.

Relatum fuit de hisce ad Præpositum Generalem *Joannem Paulum Olivam* proximo pòst mense, 8. vel ut alii 15. Julii; qui respondit, nec per ipsum, nec per suos Prædecessores fuisse umquam interdictum scribere pro opinione magis probabili, eamque docere. Cæterà, se in omnibus quantociùs pariturum.

Nescius subindè *P. Thyrsus Gonzalez* quid Tractatu suo Romæ ageretur, & num fortè ut transmissus fuerat, Autoritate Apostolicâ imprimi juberetur, ad Pontificem 25. Dec. 1681. literas dedit in hæc verba. "Quamvis "Doctrina mei Tractatûs probetur à Revi-"soribus designatis, vel designandis à vestra "Sancti-

"Sanctitate, & ab illis deducatur utilem fo-
're, non expedit ut Tractatus imprimatur
"ut jacet. Cùm enim illum composuerim
"dum versarer in Missionibus, & pòst magis
"ventilata sit hæc materia, nunc necesse est
"illum magis locupletari; licet enim pro
"Missionario foret sufficiens, pro Cathedra-
"tico Primario Salmaticensi est diminutus,
"& oportet fusiùs impugnari per illum, qui post
"illum Tractatum compositum, Tomum
"edidit de Regula Morum.

Post hæc, Tractatus authoris sui studio, uti petierat, relictus est. Præpositus Generalis *Joannes Paulus Oliva* vivere desiit 26. Nov. 1681. ingenti sui relicto desiderio: huic suffectus est R. Adm. P. *Carolus de Noyelle*; is præter suorum vota, communi omnium luctu citiùs sublatus est, obiitque 12. Dec. 1686. ad proximam Congregationem generalem ex Provincia Castellana venit Elector *P. Thyrsus Gonzales*, & defuncto Præposito Generali successit ipse, electus 6. Julii 1687.

Congregatio hæc Generalis & in Societate XIII. multorum falsis querelis mota, ut rei veritas omnibus innotesceret, ac certus declararetur sensus Societatis adversùs imperitos & malevolos calumniatores, commune Decretum dedit Num. XVIII. quo solemnius monumentum Religio dare vix potest, ipsum in hæc verba est exaratum. "Cùm re-
"latum fuisset ad Congregationem aliquos
"in ea esse persuasione, quod Societas com-
"munibus quasi studiis tuendam sibi susce-
"pisset

" pisset eorum Doctorum sententiam qui cen-
" sent in agendo licitum esse sequi opinionem
" minùs probabilem faventem libertati, re-
" lictâ probabiliore stante pro præcepto, De-
" clarandum censuit Congregatio, Societa-
" tem nec prohibuisse, nec prohibere, quo mi-
" nùs contrariam sententiam tueri possent,
" quibus ea magis probaretur.

Anno proximo 1688. in Academia Gregoriana Collegii Romani, cùm alter de more ex Hispania Professor Theologiæ sufficiendus esset, evocatus est *P. Josephus Alfâro*, qui contrariam illi, quam benignam placuit appellare, sententiam propugnavit; idem antè, & pòst plures fecerunt; ita de libertate utrumvis in Societate defendendi nemini dubium esse potuit, nisi ex relatione non vera, eorum potissimùm, quibus hamus numquam non pendet, quo aliquid expiscentur quod in nos jaciant.

Statuit subindè R. Adm. P. Generalis opus suum prælo submittere: ecquis fuit, amabo in Societate, qui huic impressioni remoram injiceret ex eo capite, quod illo defenderetur sententia, Benignæ contraria? Declaraverat Præpositus Generalis *Joannes Paulus Oliva*, Declaraverat Congregatio XIII. id neque prohibitum fuisse neque prohiberi. Non ignoro multos hoc loco esse disertos, de oppositione, de occasione hujus libri, multa comminisci, quæ non intelligunt, multa, quæ pro arbitratu suo effingunt, quo Societatem in invidiam adducant. Loquaces hos homines oro enixè, è turba sua unum aliquem

seligant,

ſeligant, qui proprio nomine prodeat, aptiſque momentis nos doceat, ſeriùs prodiiſſe Tractatum *P. Thyrſi Gonzalez*, quia noluit Societas publico ſcripto defendi ſententiam, benignæ contrariam, hoc, inquam, evincat, ſed bene. Sales, & Satyras,autoribus ſuis permitto, quorum clamores ipſos quidem fatigant, nihil evincunt.

Hæc de libro, qui ut primùm publici juris factus eſt, avidèque exceptus, minùs perculit lectus, quàm exſpectatus, & aliis libris annumeratus,librorum ſubiit ſortem. P.*Thyrſus Gonzalez* doctiſsimis ſcriptis ſuis diu ſuperſtes, meritis & annis gravis, ad laborum ſuorum mercedem è vivis diſceſſit 27. Oct. 1705.

Proximum erat de ipſa libri ſententia pauca ſubjungere; neque enim eſt hujus loci jus ipſum verſare, aut pro contra, allatis momentis expenſiſquè ſtatuere, quorum placita firmiùs ſtabilita eſſe videantur, aliorum lucubrationibus id factum eſt, neque ſegniter, aut parum eruditè. Prætereo Profeſſorum prælectiones, & annuas Concluſionum ſuarum propugnationes; ex multis,aliquas ſatis fuerit indicare quæ datâ operâ,atque ex integro,materiam illam ſunt proſecuti.

Pro ſententia de Probabiliori ſteterunt.

Ferdinandus Rebellus Luſitanus Academiæ Eborenſis Cancellarius, in opere de *Obligationibus Juſtitiæ* quæſt. V. *Paulus Comitolus* Peruſinus in *Conſiliis* ſeu *Reſponſis moralibus* lib. 7. Impreſſis Lugduni in 4°. 1609.

Andreas Blancus Genuenſis in Libro De Opini-

onum praxi ſub nomine *Candidi Philalethi*, in 8°. edito Genuæ A° 1642. Madriti 1645. & iterum Cremonæ 1646. R.P. Joannes Baptiſta Gonet,cùm *Blancum* primum fuiſſe ſcribit, qui è Societate Jeſu in Italia ſcripſerit adverſùs ſententiam benignam, de *Paulo Comitolo* ex eadem Societate, & patriâ Italo, nihil fortè inaudierat.

Interpellat hoc loco Apologia Epiſtolarum ad Provincialem : illius autor Epiſt. 5. pag. 196. & 197. Lectori imponere ſtudet rem ſtolidiſſimam, ſcilicet in Societate liberum non fuiſſe, neque permiſſum, ſcriptis tueri Sententiam benigniori contrariam, pro hac ſubjungit in hæc verba. *En effet de l'an* 1642. *un de vos Theologiens d'Italie nommé* le Blanc *ou* Blancus, *aiant composé un Traitté contre cette Doctrine, il fut obligé pour le donner au public de deguiſer ſon nom & de faire paroitre cet ouvrage ſans permiſſion de vos Superieurs ſous le nom emprunté de* Philalete, *pour marquer que l'amour de la verité l'emportoit dans ſon cœur ſur l'engagement qu'il avoit en qualité de Jeſuite à ne pas s'eloigner de vos opinions.* Atque hæc quidem intrepidè,garrulitate ſemper conſtanti.

Falſum eſt,*Blancum* ratione ſententiæ,quam defendebat neceſſe habuiſſe nomen Philaletis hìc uſurpare. Sub eodem nomine *de Cambio* ſcripſit Genuæ 1652. ſub eodem nomine *Pios Mores* typis Edidit, & *Sanctos Amores* epigrammatis illuſtravit Genuæ 1653. num fortè per moderatores Societatis integrum non erat proprio nomine alterutram materi-

am

am tractare, & studio suo explicare?

Falsum est, Tractatum de *Praxi opinionum* sinè Facultate Superiorum publicum fuisse. Agnovit eum Societas, agnovit inquam, editum nomine *Philaletis*, semel, iterum, tertiò sub eodem nomine recusum agnovit, & inter agnitos à se scriptores suos, annumeravit, eique nomine semper eodem in Bibliotheca Societatis, approbante ipso met Præposito Generali *Joanne Paulo Oliva* locum fecit Bibliothecæ continuator *Nathanaël Sotuellus*. Hæc ad ineptias illas sint satis: si tamen homo inconsideratus in minutiis mysteria fabricat sibi, & se somniis suis delectat, edisserat amabo, cur *Paulus Comitolus* proprio nomine benigniorem Sententiam impugnaverit, *Centum* verò *& triginta B. Virginis Privilegia* tacito suo nomine in 4.to Ediderit Perusiæ 1615. num fortè per Societatem non licuit aperto marte, & propriâ appellatione propugnare, atque illustrare Privilegia Deiparæ Virginis? quæ ingenia ejusmodi gerras nobis propinant? pergit ineptire idem damnatarum Epistolarum Patronus, prioribus hoc quoque mendacium subnectens, *Un autre de vos Peres nommé* Elisaldi (proprium nomen est *Michaël Elisalde*) *aiant fait la meme chose que le P. le Blanc, fut obligé comme lui, de prendre un nom de guerre & de faire imprimer son livre sous le nom de* Cella Dei. Ubi, aut quod instrumentum de obligatione illa vos docuit?

In Belgio, qua ratione pro probabiliori steterint Societatis JESU Theologiæ Professores, docet

docet opus P. *Ludovici de Schildere* de Principiis conſcientiæ formandæ, hujus ſententiam in definienda opinione probabili communiter alii ibidem Profeſſores probarunt.

Eodem Sæculo pro ſententia probabiliori ſcripſerunt *P. Ægidius Eſtrix* Belga, & Præpoſiti Generalis Secretarius.

P. Joſephus Alfaro Hiſpanus, Theologus Pontificius.

P. Franciſcus de Malatrà Gallus.

P. Adamus Erentreich Germanus, omnes tres Reviſores Romani.

Sententiam benigniorem primus è Societate amplexus eſt *P. Gabriël Vaſquez* Tom 1. in Primam Secundæ, ſed tunc, cùm ſententia illa benignior jam eſſet inter Theologos communior: neque multis eſt opus ut hoc demonſtrem. Sub oculis habeo Opus de Reſtitutione celebris ſcriptoris *Petri de Navarra*, editum Lugduni anno 1593. in hoc opere lib. 3. Cap. 1. N. 265. Pag. 82. Ita affirmat, *juxta communiorem ſententiam Theologorum ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ probabili opinioni ſe conformare, etiamſi ſit minùs probabilis.* Quod eo numero, aliiſque confirmat.

Intelligis, opinor, quanto teſtimonio ſit certum, ſententiam benignam inter Theologos fuiſſe communiorem Anno 1593. id eſt 54. poſt confirmatam Societatem; uſque ad illud tempus nemo fuit ſcriptor è Societate, qui eam materiam expenſis hinc inde momentis datâ operâ pertractaverit; exſtant quidem eodem anno editi Commentarii *P. Gregorii de Valentia* appellati à Clemente VIII. P.M.

Doctor

Doctor Doctorum, ut autor eſt *Adamus Contzen* lib. 5. Polit. Cap. 1. & Philippus Alegambe in Biblioheca, ſed is eam ſententiam citat tantùm, & citat ut jam tum communem, cui obiter & breviſsimè viſus eſt adhærere. *P. Gabriël Vaſquez* primùm opus ſuum edidit anno 1598. id eſt annis quinque poſt *Petrum à Navarra*, Theologum Toletanum.

Evaneſcet ſpero poſt hæc inconſideratum mendacium, quo invidiæ nobis creandæ causâ non pauci divulgant, ſententiam benignam autoribus Societatis Originem ſuam debere: certum eſt potiùs è Societate exſtitiſſe illius ſententiæ communioris jam redditæ primos impugnatores, *Rebellum* ſcilicet, & *Comitolum*.

Annis ultra quinquaginta, qui medii fluxerunt à *Petro Navarra*, uſque ad Damnatas 45. Propoſitiones ab Alexandro VII. anno 1655. & 1656. unanimi propemodùm ſuffragio omnium Nationum atque Ordinum itum eſt in eam opinionem: qui horum autorum Catalogum deſiderat, adeat *P. Mathæi de Moya* ſelectarum quæſtionum Tomum 1. Tract. 1, q. 5. & opuſculum *P. Stephani Deſchamps*, cui titulus *Quæſtio Facti* &c. Docebit uterque, quot Epiſcopi, quot Academiarum Doctores, quot Illuſtres aliorum Religioſorum Ordinum Scriptores eam ſententiam judicio, & momentis ſuis ſtabilierint, atque à veritate eſſe perquâm alienum, vulgare hoc ignorantium effatum, Sententiam benignam inventum eſſe Caſuiſtarum: ſi cui autores illi in promptu non ſunt, eadem tradit, qui hìc

hìc fortè magis ad manum eſt, *P. Claudius de la Croix*, Tom. 1. Theol. Moralis. pag. 133. N. 289.

Ad Societatem quod attinet, Communiori ſententiæ, cum ſcriberent, pariter adhæſerunt *P. Franciſcus Suarez* à Paulo V. quaternis literis ſalutatus *Doctor Eximius* Tom. XI. anno 1622. & de Religione Tom. IV. utroque poſtumo, obiit enim 25. Sept. 1617. multis dubium relinquens doctiorne vixerit, an ſanctior.

Nicolaus Baldellus Italus Doctrinâ & Virtute celebratus, in Diſputationibus ex Mor. Th. Aº 1637. *P. Martinus de Eſparza Artieda* Navarrus, Qualificator S. Inquiſitionis Romanæ, & Conſultor Congr. Rituum, in Curſu Theologico edito Romæ tomulis decem 1655. pòſt Tomis duobus Lugduni 1660. atque in Appendice ad Quæſtionem de uſu licito opinionis probabilis, Romæ 1666.

. *P. Antonius Tirillus* Anglus, Florentiæ, Parmæ, Leodii de Mathematicis & Theologicis Diſciplinis optimè meritus, in opere, cui titulus *Fundamentum totius Theologiæ Moralis* &c. 1668. quod opus poſt Decreta Alexandri VII. editum, *à multis Laudatum eſt*, inquit *Sotuellus*. *P. Andreas Junius* in Provincia Toletana S. Theologiæ Profeſſor, aliique; omnes multis limitationibus, & explicationibus multis, ut inter benigniores, Rigidi meritò debeant cenſeri; & licentiam quorumdam opinandi, non vulgariter cohibuiſſe.

Oſtendit ſanè *P. Joannes Pollenter* S. J. Theo-

Theologus Belga, erudito opere, quod inſcripſit "Sexaginta quinque Propoſitiones nu-"per à S.D.N.Innocentio XI.proſcriptæ, à So-"cietatis JESU Theologis diu ante SS.Domini "Decretum datum 11.Martii 1679.communiſ-"ſimo conſenſu rejectæ" Oſtendit inquam, quantopere communis Societatis conſenſus, & melior, probabilitatis à multis aliis paſſim aſſertæ uſum coarctaverit; demonſtratque luculenter adductis uniuſcujuſque ſententiis emanatas eo Decreto Propoſitiones, ab autoribus Societatis multis antè annis rejectas fuiſſe, idque ab iis met ipſis, qui benignioris ſententiæ Patroni recitabantur; qui proinde autores, eos quoque ſocios ſuos impugnarunt, qui aut ſcripſerant antè ſecuriùs, aut pro ingenio ſuo liberiùs, aut minùs certè exactè, & pro materia, multiſque lectoribus minùs explicatè. Hæc legant apud autorem illum copiosè deducta, qui otioſam operam ſuam collocant, ut jure meritiſſimo à Summo Pontifice Propoſitiones Damnatas *pro ut jacent*, à Scriptoribus Societatis traditas fuiſſe perſuadeant: omnibus à Sede Apoſtolica emanatis prohibitionibus, Societatis Religio ſubſcribit, à ſuis ſubſcribi mandat & vult, nec ſuum agnoſcit, qui hoc loco reluctatur.

P. Thyrſus Gonzalez his omnibus, ut ſcribit, perpenſis, multa in multis benignioris Sententiæ Patronis probavit laudavitque, non tamen ſatis eſſe exiſtimavit ad cohibendum abuſum, quem ab hac materia originem ſumere poſſe, ipſe animo ſuo præſagiebat

ebat sententiam suam ad hæc tandem reduxit, quæ inter Benignitatem, & Rigorem ipsius suffragio media consisterent.

Hæc duobus complexus est, altero quod affirmat, altero quod negat: Negat licitum esse sequi sententiam probabilem minùs tutam, quæ ab ipso operante spectatâ autoritate, & ratione judicatur *falsa*, aut judicari potest *falsa*, quia verisimiliùs illi est *falsam* esse, relictâ probabiliore & tutiore. Addit in hæc verba, "Fidenter assero perpau-
"cos fore in Societate Theologos, qui distinc-
"tiùs interrogati, an liceat nobis in praxi se-
"qui opinionem probabilem minùs tutam,
"quam judicamus esse *falsam*, vel *falsam* esse
"prudenter judicare possumus (momentis
"rationum, & autoritatis graviùs eò incli-
"nantibus) respondere audeant id nobis li-
"cere, sed plerosque statim responsuros, id
"nequaquam nobis licere.

Neque tamen adversùs alios argumenta sua prosequitur, quàm qui defenderent id nobis licere; *in illo*, enim inquit, *dumtaxat sensu sententiam illam impugno:* Id est in illo sensu tantùm, quo quis affirmaret licitum esse, sequi sententiam minùs probabilem, & minùs tutam, quæ simul judicetur esse *falsa*, aut quæ verisimiliùs illi sit *falsam* esse. Unde multis sæpe dubium fuit, quinam huic autori hoc loco sint veri adversarii.

Affirmat verò "licitum esse sequi opinio-
„nem probabilem minùs tutam, quæ ab ipso
„operante judicatur vera, ipsique est proba-
„bilior ob momenta rationis; quamvis speci-

„ficativè & materialiter, & in communi æſti-
„matione ſit minùs probabilis, quia pauciores
„pro ſe habent autores graves ex iis, qui di-
„cuntur facere opinionem probabilem.

Habes ſententiam *P. Thyrſi Gonzalez*, & qualem ipſe verbis ſuis explicavit, ac toto Tractatu deduxit: Defenſori Epiſtolarum Montaltii hæc ſententia nondum omne tulit punctum: *Il s'en faut encor beaucoup* (inquit ille) *qu'il condamne dans la probabilité tout ce qu'elle a de condemnable.**

Suam porrò in hac lucubratione intentionem his verbis expreſſit. "Hunc Tractatum
„non edo tamquam Præpoſitus Generalis
„Societatis JESU, ſed tamquam unus è So-
„cietate Theologus; nullum è ſubditis meis
„ad ita docendum adſtringere intendens, ſed
„omnibus plenam libertatem relinquens, ut
„in hac graviſſima controverſia eam partem
„defendant, quam poſt accuratum ſtudium
„ex ſincero deſiderio inveniendi veritatem
„ſuſceptum ſolidioribus nixam fundamentis
„deprehenderint, imò ut cum S. Auguſtino
„in Prœmio lib. 2. de Trinitate loquar;
„*Magis optabo à quolibet reprehendi, quàm ſi-*
„*ve ab errante, ſive ab adulante laudari, nul-*
„*lus enim reprehenſor timendus eſt amatori*
„*veritatis.*

Dixi prætereà in Narratione à *Libertio* adducta, falſa occurrere; hoc oſtendo: ac primò refert Narratio hæc verba, "Innocentius
„XI. in Bulla data anno 1679. Declaravit,
„ad uſum minimum (*licitum* legi debet, ut
„exiſtimo

* Epiſt. 5. pag. 200.

„existimo) opinionis minùs tutæ non suffi-
„cere, quod illa sit utraque probabilis in se,
„si ejus probabilitas comparata cum probabi-
„litate sententiæ tutioris sit tenuis & exi-
„gua.

De re ipsa nihil inquiro; neque jam disputo, quid ad usum licitum opinionis probabilis minùs tutæ sit satis, an secus: aio falsum esse, Decreto Innocentii XI. id declaratum fuisse, aio toto Decreto nullibi Declarationem illam occurrere; si quis contrà censet, legat nobis in Decreto, ubi hoc fuerit declaratum. Scio Autoritate Apostolicâ ut minimùm, tamquam scandalosam, & in praxi perniciosam damnatam esse *prout jacet* Propositionem inter LXV. Num: Tertiam his distinctis verbis conceptam. *Generatim, dum probabilitate sive intrinsecâ; sive extrinsecâ quamtumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Sed neque ignoro inter hæc duo Theologicum discrimen esse apertissimum.

Post hæc plura Facta conglomerat, recitatque subjuncta: "Dolebat Pontifex, &
„conquerebatur de tanta conformitate, &
„quasi conjuratione Jesuitarum in defenden-
„da minori probabilitate tamquam Regula se-
„curæ conscientiæ, videbat quotidie ex offi-
„cina Societatis prodire libros, qui quasi pro
„aris & focis pugnabant pro usu licito opini-
„onis minùs probabilis, & minùs tutæ, eos-
„que recipi cum plausu à Jesuitis; nullum
„autem prodire qui apertâ fronte, & non
„diffi-

„diſſimulato Autoris & Religionis nomine, „Doctrinam illam impugnaret: inſuper audiebat, in Societate malè audire apud ſuperiores, qui Doctrinam probabiliſtarum diſplicere ſibi ſignificaret, & fere nullum eſſe, „qui eam palàm auderet impugnare, imò & aliquos moleſtias non paucas paſſos eſſe ob „hanc cauſam. Hinc inferebat tantam uniformitatem tantamque conſpirationem in „defendendo ſuo probabiliſmo, in Religione, „in qua eſt tanta opinandi libertas, ut eſt Societas, non videri caſualem, ſed potiùs provenire ex conſilio Religionis volentis ſenſim, & in actu exercito adaptare ſibi, & facere propriam Religionis ſententiam de uſu „licito opinionis minùs probabilis.

Fallit graviter quiſquis hæc affert, veluti, ſi ea à *P. Thyrſo Gonzalez* ſcripta fuiſſent; ignorare non potuit vir eruditus, aut Summum Pontificem ea omninò non ſenſiſſe, aut illa dolo malo, & falſo apud eumdem fuiſſe expoſita. Quæ enim, amabo, eſt illa fictitia Jeſuitarum conjuratio, & in materia opinionum, in qua quiſque ſibi plerumque ſedet Judex, dum quidem per Eccleſiam licet, ut hic certè licebat? Scilicet quod quiſque ſenſit, pro ingenio ſuo explanavit, parum ſollicitus, atque ut uſuvenit, neſcius, ſi fortè quis alibi ſuis conformia aut ederet, aut meditaretur. Ridicula res eſt conjuratio in liberis opinionibus licitiſque, inter longè diſſitos, totâ Europâ diſperſos, varioſque cœlo non minùs, & Natione, quàm ingenio.

Nimia

Nimia quoque elt illa imperitia, quæ dictat neminem eo tempore è Societate prodiisse, qui benignam Sententiam impugnaret. Dedi jam antè hujus opinionis è Societate Adversarios antè Decretum Alexandri VII. dedi alios poſt illud, usque ad Decretum Innocentii XI. Indicavi librum P. *Joannis Pollenter*, qui integros Syllabos refert, eorum maximè, qui Damnata à Summo Pontifice priùs rejecerant, qui eadem omnes apertâ fronte, & non diſſimulato autoris, & Religionis nomine pluribus impugnaverant; de quibus apud Innocentium XI. facilè poterat innotuiſſe. Poſt emanatum hujus Pontificis Decretum, vivo etiamnum Innocentio XI. palàm ac publicè rigidiorem ſententiam propugnabant *P. Thomas Munieſſa* in Hiſpania, apud Gallo-Belgas, *P. Joannes Baptiſta Taberna*, quorum paucis pòlt annis editas lucubrationes accepimus; *P. Joſephus Alfaro*, quæ Romæ tradidit, priùs propugnaverat in Hiſpania; ſinguli in Provinciis ſententiæ ſuæ ſocios, & Patronos reliquerunt, qui & ipſi quoque propriis nominibus ſenſa ſua defenſarunt. *P. Michaël Elizalde* tametſi aliâ appellatione, & ex cauſa, quæ extra hanc rem eſt, librum ſuum ediderit A° 1684. de *Recta Doctrina Morum*, ab ipſis nihilominùs è Societate Propugnatoribus Sententiæ Benignioris, proprio nomine Autoris & Religionis, quâcumque oblatâ opportunitate eſt nuncupatus, citatuſque.

Ubi porrò auditus eſt ille plauſus Jeſuitarum, cùm quis benigniora defenderet? Qui

ſunt

sunt illi, qui apud Superiores malè audierunt, ex eo quod opinionem benigniorem fortè oppugnarent? qui sunt, qui ob hanc causam molestiis fuerint impliciti? Quis attulit horum rumorum tabulas, quis testes? Nimis profectò inconsiderata sunt ista, & domesticis testimoniis omnium temporum copiosissimè refelluntur. Est autem à veritate longè alienum, aut conspirationem umquam fuisse in Societate in defendendo, ut loquuntur, Probabilismo, aut ex consilio Religionis defensionem illius sententiæ esse susceptam, aut eam propriam sibi reddere voluisse; nemo id sibi in animum inducere potuit, qui quidem res nostras ex propinquo inspiceret, aut certè non ignoraret quæ Domi nostræ agerentur: nihil pro hac causa statuit, aut decrevit Societas, nihil suasit, nihil optavit: cujus quidem tot testes habemus, quotquot in Societate vivimus rerum tantopere publicarum non ignari.

In *Decreta* sua conspiravit Societas, hæc ex consilio Religionis sunt exarata, hæc sibi vult esse propria, in iis omnibus Finem sibi proponit, Docendo, Scribendoque pro ut Deus dederit, prodesse Ecclesiæ, proximo, sibi. Ut hunc Finem obtineat, jubet teneri in Societate Doctrinam, quæ *sit magis communis.* (a) *Magis approbata* (b) *sana* (c) *magis secura* (d) *magis solida, melior, ac magis conveniens* (e) jubet vetari doctrinam *suspectam* (f) *differentem à communi sensu Doctorum Eccle-*

(a) Parte 8. Cap, 1. k. [b] p 4 c. 5. §. ult. (c) p. 3. c. 2. § 6. (d), p 4 c, 5 § ult. [e] p. 8. c. 1, k. (f) p, 4. c, 14, §. 1,

Ecclesiæ (a) quibus omnibus manutenendis Regulas suas præscribit, & Professoribus, & Studiorum Theologicorum Præfectis, & quibus edendorum examen committitur. Huc item faciunt leges pro delectu opinionum, aliaque pluribus Congregationibus Decreta ad Provincias transmissa, quæ magis omnibus obvia esse possunt, quàm ut denuò debeant excerpi. His adde, si placet, in hanc rem Præpositorum Generalium Epistolas, Patris *Goswini Nickel* datam 29. Maii 1657. Patris *Joannis Pauli Oliva* datam 2. Dec. 1662. aliamque 30. Aprilis 1667. & Congregationum Generalium post illud tempus *Decreta*: quibus omnibus, qui Societatis scriptorem aliquem minùs auscultasse existimat, si eum accuset, & si reum esse probaverit, ausim promittere, futurum, ut Superiorum æquam animadversionem desiderare non possit.

Atque hæc quidem de hac Narratione sint satis: ostendi multa in illa esse vera, quæ non imperitis spontè sunt obvia, à solis Jansenianis non admittenda: demonstravi, quàm multiplicibus vitiis iisque notissimis laboret prætereà: ipsa proinde, neque autore Patre Thyrso Gonzalez est elaborata, neque conscio consiliorum doctissimi Viri: quis eam pro arbitrio suo composuerit, nihil interest scire. Omnibus intelligere volentibus semper erit certissimum, Societatem in hac materia nullam sententiam proscribere, nullam rejicere; Theologis suis integram libertatem relinquere, ut eam opinionem propugnent, quam

(a) p. 3. c. 1. o.

quam salvis omnibus Superiorum Decretis, atque imprimis S. Sedis Constitutionibus, licitè judicant sibi magis probatam, & melioribus momentis innixam.

Accedo nunc ad postremum Tubicinis monumentum, quod novo apparatu Societati objectat; huic titulus est *Lucii Cornelii* Monarchia Solipsorum. Dicam de hac lucubratione duo, alterum de Autore, de Re ipsa alterum. *Arnaldus* cum fortè hujus scriptionis meminisset Tom. 3. *Moralis Practicæ*, ibidem pag. 502. scripsit confidentissimè. *Il est certain que cette* Monarchie de Solipsis *est d'un Jesuite Allemand nommé le* P. Melchior Inchofer, *& on sçait ou est l'Original de la Lettre d'un Jesuite Espagnol qui le reconnoist, & en fait des grandes plaintes.* Doleo equidem *Arnaldi* eruditionem nimiùm esse avaram, multa sunt ei in promptu, neque tamen communicat aliquid; debuerat illa non prætermisisse, qui tanto magisterio pronuntiabat *certum esse*, hanc *Monarchiam* Autore P. *Melchiore Inchofer* fuisse elaboratam. *Candidus* sanè hoc loco Magistro suo omnem fidem non habuit, nec ausus est scribere id *certum* esse; satis est arbitratus, si diceret, id famâ constanti fuisse renuntiatum. *Collectionem*, inquit ille in *Monito* pag. VIII. *nunc Claudit* Monarchia Solipsorum. *Scriptum hoc esse* Melchioris Inchoferi *Jesuitæ, constans fama est; licet id in dubium revocet* Huylenbroucq, *sed quid non audeat? manifestissima, & demonstrata negat hominum audacissimus.* Inficetam hanc *Liberii* appellatio-

tionem, qua me salutat, ne notatam quidem esse volo, ejus verba, injuriasque pari loco semper habiturus. Materiam ipsam, quæ præ manibus est tantisper inspiciamus.

Tametsi existimem nihil magnopere interesse quis *Monarchiam* hanc olim exstruxerit, num Jesuita is fuerit, an Anachoreta; neque, si Jesuitæ tribui deberet, an P^{ri.} *Inchofer* autorem habeat an *Bobadillam*, aut alium quemcumque, Europæum an Afrum, quia tamen obtrectatores nostri, *Arnaldus* imprimis, tantâ fiduciâ merces suas diventitant, ut eos existimes, aut oracula fundere, aut Sibillarum folia citare, juvat quoque apertiùs hìc explicare, quod paucis ante indicaveram, scilicet hanc *Monarchiam* perperàm adscribi P. *Melchiori Inchofer*: neque alio consilio id mihi imperavi, nisi hoc solo, ut tu lector pergeres intelligere, *Arnaldum*, ejusque sectarios etiam tum fallere, cùm nihil hæsitantes, se res *certas* afferre pronuntiant: neque longè erit abeundum, ipsa hæc lucubratio quam afferunt, ipsa, inquam *Monarchia*, quod dicendum suscepi, facilè demonstrabit.

Primò itaque autor *Monarchiæ* ubi de se ipso mentionem instituit, ait, cum hæc scriberet, se in Societate *Quinque & quadraginta* * annos cum salute eluctatum fuisse; scribebat autem, ut ipse quoque sub finem indicavit paginâ ultimâ, cum "facto æris campani ex turri Capitolinâ vehementiori, "protractiorique pulsu, audiret Urbanum "VIII. Summum Pontificem è vivis excessisse: "obiit verò Pontifex Maximus Urbanus

„VIII.

* Pag. 637.

VIII. 29. Julii 1644. igitur hoc anno Autor *Monarchiæ*, suo quidem testimonio, agebat in Societate annum Religionis 45. debuerat proindè in eam admissus fuisse anno 1599. Quid si nunc P. *Melchior Inchofer*, eo anno Societati adscriptus non fuerit? Quid si numquam ille Pater ab ingressu in Societatem annos vixerit 45. an non bellè ei quadrabunt quæ Autor *Monarchiæ* de se meminit? An ipsi poterit opella hæc tribui? Consule nunc si placet, Bibliothecam Societatis; quære ibi; *Melchior Inchofer*: invenies, eum Societatem ingressum esse, non anno 1599. sed anno 1607. mortuum verò Mediolani Anno 1648. tum si placet, calculum tuum institue, & docebunt te *numeri*, Patrem illum in Societate numquam attigisse annum 45. multo minùs eos annos numerasse, cùm Urbanus VIII. P. M. ad superos evocaretur, imò docebunt te apertissimè, Virum illum diem suum obiisse ab ingressu in Societatem anno 41. ita quidem ipse met autor *Monarchiæ*, Arnaldum jugulat, & suâ ætate, quam ipse met indicat, demonstrat se alium esse à P. *Melchiore Inchofer*.

Demus nunc aliud: idem autor *Monarchiæ* fatetur propriis verbis, se anno Religionis 45. jussum fuisse exesse è Societate, & eam ætatem se explevisse, anteàquam Urbanus VIII. vivere desiit, & tum demum post abitum suum *Monarchiam* hanc à se scriptam, fuisse. Vides opinor P^m. *Inchofer* nihil cum his omnibus habere commune, nisi fortè Magnus *Arnaldus*, qui tam *certa* diventitat, etiam certum habeat à Societate mortuos dimitti, & P^m. *Inchofer* ab ea rejectum

tum fuisse post obitum suum anno quarto. Exspecto ut Arnaldinus aliquis Magistro suo mortuo hìc ferat suppetias, eique jactatam suam certitudinem vindicet, ne narrator ubique sit deridiculus. Moneo quoque non obliviscatur surrecturus adjutor, eo anno, quo scribit autor *Monarchiæ* se Majestatis Reum damnatum fuisse, atque intra triduum jussum discedere numquam reversurum, eo anno, inquam, à P. *Melchiore Inchofer* in Societate editum fuisse *Annalium Ecclesiasticorum Regni Hungariæ* Tomum Im in folio, Romæ typis *Grignani.* Juverit prætereà eum meminisse, in Bibliotheca Societatis, P. *Inchofer* enumerari lucubrationes alias duodecim præter editas pridem, quibus subjungitur in hæc verba, *hæc omnia parabat, sed mors præoccupavit*; qualis notatio non adjungitur studiis eorum, qui nobiscum vivere desierunt, posteaquam enim exiverunt à nobis, illâ certè sollicitudine nos liberant.

Ab Ætate transeamus ad Munia, quibus in Societate Pr *Inchofer* fuit detentus: vitam suam in studiis posuit, Philosophicas disciplinas tradidit, Mathematicas, & Theologicas tum Morales, tum Scholasticas, utrasque diu *Messanæ* in Sicilia, & alibi: indè scribendis libris vacavit, quos Romæ typis edidit: contrà autor *Monarchiæ*, ut ipse, atque verborum suorum phaleris explicat se, "Ego, "inquit pag. 636. qui jurisconsultus Euro-"pæus agnitus fueram, postea Rationibus Re-"giis admoveor, mox & Præsidum Provinci-" arum assessor, non nunquam causarum ju-

dex

„ dex ſum conſtitutus. De ſtudiis non meminit verbo; ita quæ hic de ſe prædicat, iterum ipſum alium fuiſſe commonſtrant ab eo, cui *Arnaldus* tantâ certitudine hoc opus attribuit.

Verùm, inquies, ſcripſit *Arnaldus* compertum haberi, ubi ſint literæ Jeſuitæ Hiſpani, quibus fatetur autore Patre *Inchofer* Monarchiam hanc extructam fuiſſe. Reſpondeo in hac cauſa *Arnaldo* nihil me credere, quod quidem jure facio meritiſſimo, quia fefellit non ſemel: proferantur igitur illæ literæ, acceptas legam, & lectis reſpondebo: ceterà literis, neque viſis umquam, neque auditis nihil habeo, quod reponam: unum hoc omnibus ſignifico; quiſquis exiſtimat leviſſimam hanc ſcriptionem toties memorato Patri tribui debere, is precor nodos ſolvat, quos propoſui, mihi enim gordii ſunt, & indiſſolubiles; plures quoque ad manum ſunt, ſed in re tantilla, hi pauci abundare poſſe videntur.

Ecquis igitur tandem eruti hujus Theſauri habendus eſt autor? Jam dixi, *Pompeius* is fuerit, an *Dolabella*, noſtrâ quidem intereſt nihil. Totâ ſcriptione manifeſtiſſimum eſt, ejus parentem fuiſſe hominem ſpiritûs irrequieti, queruli ſemper, in alienis Argum, in propriis talpam. Importunum cenſorem eumque mordacem; totum in novis legibus, in condenda novâ Republica, in reformando Orbe terrarum. *Volebam*, inquit ipſe de ſe, ut ferebant, *Leges Regni corrigere*, *in pleriſque dictamina contraria ſectari*, *&* *ſerere*; *plus omnibus ſapere*. In quo nihil denique ſit tolerabile

bile, præter idioma, hoc enim neque latio indignum eſt, neque incomptum. Sed *Priápus* ipſe, ſi ita velis, auro licet gemmiſque onuſtus incedat, *Priâpus* erit. Denique is eſt qui de ſe ipſo fatetur, à ſuperioribus ſuis multiplici nomine damnatum fuiſſe ſe, juſſumque tandem exeſſe; hunc hominem de nomine noſcere velle, neſcio cui incidere poſſit, niſi huic fortaſſis, qui illi ſit ſimilis.

Tranſeo ad rem ipſam: vix dubito quin primò ad Titulum hæſeris, neque ſatis habueris compertum, quid tandem promitteret inuſitatus hic Index, *Monarchia Solipſorum.* Sic igitur habeto: Jeſuitæ, ut ſomniat quidem autor ille, ſe ipſos ſolos deprædicant, ſolos ipſos laudant, & æſtimant, ſoli ipſi ſibi homines eſſe videntur, cæteros omnes ut fungos habent. Sapienti hac perſuaſione ductus, Jeſuitas appellandos eſſe duxit *Solos ipſos*, & contractiùs *Solipſos*: tum ut eſt mirè perſpicax, Regimen Societatis planè Monarchicum eſſe ſibi viſus eſt detexiſſe, indè eam Religionem nuncupavit *Monarchiam*: atque ita ſtultus hic Titulus *Monarchia Solipſorum*, autori ſuo idem eſt, ac *Religio Societatis.*

Inſolenti titulo, ipſo dignum opus ſubjicitur, mole exiguum, paucis foliis circumſcriptum, ænigmaticis verborum ambagibus ſingulare; cujus ſinè œdipo vix unam paginam intelligas; omnia enim peregrinis ſcatent vocabulis, & adinventis, excogitatiſque pro arbitrio, Perſonarum, & rerum appellationibus turgent, ut cùm omnia pervolveris; tum demùm divinare debeas quid legeris

ris : sanè & *lapide lydio*, *Boccalini*, & *Argenide*, *Barclaii*, & *Sectani* Satyris magis sunt implexa, atque involuta. Fuerunt proinde Divinatores, qui *Clavem Onomasticam* appararunt, quâ recluderent quamplurima nomina, tam propria, quàm alia, quæ in illa scriptione sunt mirè occlusa : hæc *Clavis* passim ad calcem operis annectitur; neque tamen ubique eadem est, sed varia, à conjecturantibus nempe elaborata.

Corpus operis in varia Capita dissectum, prosequitur *Monarchiæ* antiquitatem, Sacra, Studia, Mores, Magistratus, Statum, Leges, Judicia, Comitia, Industriam, Eventus, Conjugia, Reditus, Bella. Qui visiones has oppidò miras publicas fecit, inscripsitque Clarissimo Viro *Leoni Allatio*, neque ipse satis est assecutus quid divulgaret : monebat propterea statim initio in hæc verba; *Porrò verane sint*; *an veri Umbræ*, *& potius agendorum*, *cavendorumque in Politicis delineamenta*, *quæ hic tradit*, *tu videris.* Viderunt enimverò quotquot non cæcis oculis in hæc inciderunt, non umbras solummodò, sed collectionem integram, umbrarum domum esse, quam sibi autor exstruxit, ne quid in ea ipse conspiceret, nisi quod priùs cæcus finxisset.

Delibemus aliqua, ne quid dixisse videar temerè : 1° Itaque de *Antiquitate* dicturus, sententiam suam his verbis complectitur : „Si præsentem Regni Statum (scribebat anno, ut dixi, 1644.)" & assurgentis Monar„chiæ magnitudinem consideres, non ad-

„mo-

"modum antiqua, ac saltem prisca regendi "forma non est. Ex Annalibus descriptum "habeo tertium Sæculum haud excedere, à "quo exsplendêre tantâ granditate cæpit." * An non hæc de Societate prædicantur eruditè? De Religione, quæ eo tempore, vix à triennio expleverat Sæculum Primum?

2º Ad *Religionem* accedit, & *Sacra*: de his ita commemorat. *Religio* (Solipsorum) *à Pagana distat, non superstitione, sed varietate... Monarchæ dictum illis ratio credendi... nec paucæ apud Romanos Damnatæ Sententiæ illis primæ veritates sunt.* Tum quasi gratiam facturus, *Resurrectionem*, inquit, cum *Pharisæis* admittunt: mox tamen subjungit, cum *Herodianis ex parte conveniunt, & quatenùs arbitrio Monarchæ omnia subjiciunt, cum Saducæis.* inde ad *Sacra*, & nescio quæ vespertina divertens, *Sacrificium*, ait, *absque Sacrorum Ministro virtute arcanâ consummatur.**

3º Ab his gradus est ad *Studia*: in his Principia, atque Elementa traduntur, *tracta* inquit, *in Dispendium juventute.... Aristotelis apud eos nulla autoritas, ut neque Scolasticorum in Theologicis.... Philosophica apud eos ferè ejusmodi sunt; An puncta Mathematica sint receptacula spirituum: an canum latratus lunam reddat maculosam... Theologica sunt: utrum in spatiis imaginariis possit institui navigatio... utrum animæ Deorum sint coloratæ.* * Mitto, quæ alia enumerat, forensibus scurris dignissima.

Neque tamen existimes, amice lector, futurum

* Pag. 638. * Pag. 640. & 641. * Pag. 641. & 643.

turum, ut omnes hujus ſtultitiæ cellas percurram, quaſi ex iis deliramentorum trophæum velim erigere: ſatis eſt primas baſes has indicaſſe, his reliquum opus inſiſtit, ſtultâ ſemper conſtans in levitate ſua. Enimverò crediderim homines ſanos ſomniaſſe magis tolerabilia, quàm hic vigilans ſcripſerit: ſcilicet omnium ingenia, nec ratio regit, nec prudentia; multis magnum momentum eſt, quod animo morem geſſerint. Sic homines ſumus; quod ſi negemus, falſi nos arguet uſus quotidianus.

Abſolvi, quæ mihi propoſueram, oſtendi *Arnaldum* temerè impoſuiſſe, ſcripſiſſe quoque inconſiderantiſſimè, *certum* eſſe à *Melchiore Inchofer* hoc ſcriptum compoſitum fuiſſe. Poterat ab hoc errore eum revocaſſe opus ipſum, ſi id aliquando pervolviſſet; poterat priùs inſpexiſſe, quæ publica erat, Epiſtolam *Timothei Curſantii*; is quidem affirmabat: 1° Se ab autore ipſo, folia hæc accepiſſe, & arbitrio ſuo permiſſa, ac tum edi curaſſe.

2° Fuiſſe hunc autoris ſupremum partum, ſibi verum traditum eſſe, cùm Autor in Paleſtinam diſcederet non reverſurus, uti exiſtimabat.

3° Autorem inter *Solipſos rubiginaſſe*, id eſt, ut ipſe vult intelligi, inter Jeſuitas, dum iis convixit, minùs profeciſſe, ac illius ingenium promitteret: cæterà neſcire ſe, an aliud umquam ediderit.

Hoc tamen miratus ſum ſcribi ab eo, qui paulò ante hanc *Monarchiam* autoris *ſupremum*

mum partum fuisse affirmaverat : unde enim amabo, compertum habuerit *supremum* esse, qui fatebatur se ignorare an alium edidisset, sed demus *Cursantii* propria verba, sic habent.

"Redit in Urbem liber de *Monarchia So-*
"*lipsorum... Lucius Cornelius* profecturus
"ad visenda Sacra Palestinæ Loca, nec um-
"quam si rectè præsagiebat rediturus, su-
"premum partum mihi commendavit, ut quid
"eo factum vellem, ratum esset. visum
"est... publico juri permittere; an alibi alia
"specimina reliquerit clam me est : illud
"constat, nisi inter Solipsos rubiginasset, co-
"piâ & splendore inter summates literarum
"viros fuisse radiaturum; sic ingenio & diligentiâ factus erat.

Hæc si aliquando legisset *Arnaldus*, poterat ex Bibliotheca Societatis ei non ignota apprimè intellexisse, ipsa à gestis, à vita Patris *Melchioris Incbofer* esse aliena, quàm quæ maximè, qui in Europa natus Viennæ Austriæ, ex Europa numquam discessit : quantam verò in Societate contraxerit rubiginem, documento sunt præclara viri volumina Historica, Philosophica, Mathematica, & Theologica, quorum syllabum dedit *P. Alegambe*, tum ipsa quoque S. Congregationis *Indicis* luculenta encomia, de quibus suo chirographo testatus est S. Congregationis Secretarius F. Joannes Baptista *Marinus* Ord. Prædicatorum, 1. Maii 1634. hæc de Autore : Opus ipsum vetus satyra est, ipsam apud me servo impressam ab anno *Venetiis* 1645. In

Germania alterâ editione adjecta fuit opuſculis *Scioppii* tanto ſcriptore non indigna: tota quanta eſt, agitati animi, ac miſerè melancolici, implexum ſtudiosâ obſcuritate & antiquatum pridem eſt monumentum.

Hæc ſunt, quæ putridis Damnatæ Bibliothecæ blattis *Libéri* eripuiſti, hæc publica feciſti multiplici peccato in Leges Eccleſiaſtices ac Civiles: illis de tuo addidiſti in Sedem Apoſtolicam irreverentiam graviſſimam, & contumaciam: quod ad nos attinet, te equidem Accuſatorem nobis gratulor: cùm enim plurima dixiſti, omnibus nos abſolvis, dum nihil evincis. Quid, unde petitum, quo pondere adduxeris, integrâ ſcriptione hâc indicavi, aliàs fortè non indicandum: quo loco conſiſtamus, quos experiamur adverſarios, & quales, tu Lector æquus judica; tum quod poſtulat Charitas, mecum, obſecro, apud Deum ſtudeas impetrare ejuſmodi ſcriptoribus dignam pœnitudinem, mentem ſaniorem.

Cùm tamen hæc cauſa Viennam Auſtriæ nos adduxit, & hominem ex ea Urbe oriundum *Tubicen* evocavit, quem Accuſatorem noſtrum falsò nominavit, Placuitque ipſi redire ad tempus præteriti Sæculi fere medium, ſi vacat, Lector, huc etiam ſequamur, erit ibi fortè quod non pigebit intellexiſſe. Ecce enim ex eo loco communicatum olim Cæſareum Teſtamentum Ferdinandi II. Imperatoris ſemper Auguſti, in hoc habes Auguſtiſſimi Principis de minima noſtra Societate atque eodem illo tempore exaratum ſummum ju-

judicium, merita nostra longè quidem transcendens, sed Sanctissimæ Domûs Austriacæ, immeritæ in nos Benevolentiæ Augustissimum Testimonium. Si integrum apud te repeto, scito mihi planè non licuisse syllabam surripere ex iis, quæ sunt Imperatoriâ manu conscripta: ipsum sic habet, & qualiter datum est, idiomate Hispanico, addo latinum.

PEro antes totas cosas seriamente con sũmo favor y celo grande dexamos encomendada a nuestros Successores la mui venerable Religion de la Compagnia de Jesus, y todos los Padres de ella: considerando quanto aprovecha à la Iglesia Catolica no solo en estas nuestras Austriacas Provincias, si no tambien en todos los demas Reinos nuestros, y Provincias de toda la Christianidad; y considerando con quanto estudio, fervor, y fidelidad trabajan (adelantandose a todos los demas) en conservar y plantar en todas las partes del Mondo la

VErùm ante omnia seriò, summo cum favore & zelo magno commendatam esse volumus Successoribus nostris multùm venerabilem Religionem Societatis Jesu, & omnes Patres Religionis illius: Considerando quantum prosit Ecclesiæ Catholicæ, non solùm in his nostris Austriacis Provinciis, sed etiam in reliquis omnibus Regnis nostris, & Provinciis totius Orbis Christiani; Considerando item quanto studio, fervore, & fidelitate laborent (reliquis omnibus magis se diffundentes) in conservan-

da

Religion Catolica;

Y considerando que tambien por el contrario son los mas odiosos a este mundo perverso e ingrato, y que padeçen maiores persecutiones que otros algunos, y por esta causa, necessitan de major favor y proteccion, y la merecen. con esta nuestra voluntad estamos confiados, y ciertos, que cumbliran nuestros herederos y Succeßores. Y esta es neastra seria, e inviolable voluntad; en cuya fee con mano propria firmamos este Codicilo, y le sellamos con nuestro Sello Cesareo, y hicimos que da se autentdicado por nuestros Consegeros. En nuestra Ciudad de Viena 10. *de Mayo de* 1631.

da, seminandaque in omnibus Mundi partibus Religione Catholica.

Et considerando etiam à contrario, eos præ reliquis odio haberi, à perverso hoc Mundo, & ingrato, eosque majores, reliquis persecutiones pati, atque ex hac causa necesse habent, majori favore muniri, & protectione, eamque merentur. Hanc Nostram voluntatem confidimus, & certi sumus ab Hæredibus & Successoribus nostris esse adimplendã; atque hæc est nostra seria, & inviolabilis Voluntas; in cujus fidem manu propriâ his Codicillis subscripsimus, ipsosque munimus Sigillo Cęsareo, & à Consilio nostro volumus authenticari. In Civitate nostra Viennensi 10. Maii 1631

Hæc confer cum Accusationibus nostris, & Vale.

FINIS.

INDEX CAPITUM

PARTIS SECUNDÆ

APPROBATIO PARTIS 2DÆ

Censoris Ordinarii

VAlde utiliter in lucem edetur liber cui Titulus *Vindicationes Societatis* adversùs famosum libellum appellatum Tubam Alteram Autore R. P. ALPHONSO HUYLENRROUCQ, non tam quòd causa, quam autor tuetur ulteriorem hunc laborem exigat, quàm ne maledicentia, si nemo obloquatur, triumphum canat. Gandavi hac 17. Julii Anni 1715.

JOANNES VANDEN HOVE Canon. & Thesaur. Cathed. & Exemptæ Eccles. S. Bavonis Libr. Censor Ordinarius.

APPROBATIO

RR. PP. Minorum Recoll. Ord. S. Francisci:

FAcA malè litigantium est conditio, ut dum desperatæ causæ nullum queunt adferre subsidium, bonæ causæ Patronorum famam, si planè arietare nequeant, saltem virulentis detractionibus & contumeliis proscindere satagant. Hos inter palmam facilè obtinet Auctor, vel melius Consarcinator ad orcum relegandarum *Tubæ Magnæ*, & *Tubæ Alteræ*, qui dum *Causam Jansenianam*, quam in Tubis una & altera non uno in loco salvam vellet, tot Pontificiis, ab omnibus veris Ecclesiæ filiis receptis & recipiendis Oraculis ita finitam & protritam videt, ut ratio opitulandi suppetat nulla, in *Jansenismi* oppugnatores nemini secundos, ac strenuissimos quarumcumque Ecclesiasticarum Constitutionum propugnatores SOCIETATIS JESU Religiosos calamum stringit, *ex charitate Janseniana.* in hunc finem in unum corradendo quidquid umquam Acheronte in imo, Cerberique spumis exaratotum prodiit libellorum. Sint hi, ut verè sunt, à Summis Pontificibus proscripti, à Potestate Politicâ infami sint stigmate notati, homini huic, suique similibus perinde est; nimirum quibus fixum videtur nullis parêre legibus, quæ vel ipsis contrariæ, vel, quos justissimè patiuntur, suis adversariis sunt faventes. Hinc quasi pro ratione quidlibet audendi sufficeret libido, dum sibi adversantium frustra impugnant doctrinam, & vitæ integritas splendore suo ęgros illorum offendit oculos, libellos famosos componunt, vel ab aliis compositos contra omnia jura, naturale, Divinum, Ecclesiasticum, & Civile, divulgant ad suam ipsorum & illos legentium æternam damnationem. Tales libelli sunt *Tuba Magna*, & *Tuba Altera*. sunt

enim cloaca fordium undequaque in PATRES SOCIETATIS hactenùs falfiffimè & injuftiffimè profufarum, quibus eluendis fola Patrum illorum confcientia, & omnibus non præventis notoria fufficit converfatio; & omnibus fufficeret, nifi juxta SS. PP. exempla & doctrinam non tantùm confcientiæ effet habenda ratio, fed etiam bonæ famæ; ne dum hæc apud credulum vulgus, & præventos defpicitur, etiam Prædicatio contemnatur, & Sancti illorum Labores fuo fructu fruftrentur. Meritò proinde R. P. ALPHONSUS HUYLENBROUCQ *Societatis Jefu* &c. binæ *Tubæ* fuas opponit VINDICATIONES, in quibus eleganti, & quod pro materiæ qualitate mireris, modeftiffimo ftylo refellit quidquid in *Tubis* Societati fuæ affricatur, & fontes aperit ac demonftrat impuros, ex quibus Tenebrio ille detractiones fuas & contumelias deprompfit, confequenter digniffimas, quæ citra periculum in Fidem vel bonos mores impingendi in publicam prodeant aream & auram, ad peffimè accufatæ SOCIETATIS JESU honorificam defenfionē & impiè accufantium perpetuam, utinam & falutarem confufionem! Ita Cenfemus in noftro Fratrum Minorum Recollectorum Brugenfi Conventu hâc die 19. Julii 1715. Fr. BERNARDUS DRAGER *S.Theol.Lector*. Fr. IGNATIUS GHYSENS *S. Theol. Lector*.

Pag.	*Lin.*	*Errata*	*Lege*
41	20	Conftituito	Conftitutio.
42	21	ema	emana.
74	5	fe	de.
	18	ora apponit	ori apponat.
75	27	decleratione	Declarationem
85	16	fauftores	fautores.

